OBSERVATIONVM SELECTARVM

AD

REM LITTERARIAM SPECTANTIVM.

TOMVS VII.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI N

NE STATERAM TRANSILIAS.

HALAE MAGDEBVRGICAE Ao. 1703.

Proſtat in officina Libraria Rengeriana.

Digitized by Google

INDEX OBSERVATIONVM.

I. Strepitus circa ventrem, rupturam Venæ portendens.

II. Ex Venæ ruptura deiectio cruoris haud funeſta.

III. De Perfrigeratione eiusque ſignificatione hippocratica.

IV. De Conuerſationibus litterariis.

V. Mors in Vndis cur Gentilibus olim præ aliis Mortis generibus maxime inuiſa fuerit.

VI. Hiſtoria de Latrocinio gentis in Gentem.

VII. Moralitas Latrocinii gentis in Gentem.

IIX. Hieronymi Hirnhaimii tractatus de Typho generis humani, ſiue de perverſo ſcientiarum ſtudio.

IX. Paganini Gaudentii volumen de philoſophia apud Romanos.

X,

X. De Loco Hebræorum X. 5.

XI. Emendatio loci cuiusdam Ciceroniani & Liuiani.

XII. De Metallorum emendatione modico fructu profutura.

XIII. Paganini Gaudentii liber de Philoſophia apud Romanos ſeu cont. Obſ. IX.

XIV. De Titulo ſemper Auguſti.

XV. De Vita, Morte, ac ſcriptis, Hugonis Grotii.

XVI. De Iure Cæſaris in Epiſcopos & Epiſcopatus Germaniæ.

XVII. De Cleri Romani controuerſia cum Clero Germanico, circa Muſicam Eccleſiaſticam.

XVIII. Io. Launoii Conſtantienſis, Pariſienſis Theologi, de vera cauſa ſeceſſus S. Brunonis in Eremum Diſſertatio.

XIX. De Diuiſionis & Diffisſionis differentia.

XX. Papa inter teſtes veritatis.

XXI. Alexandri Aleſii Vita.

OBSERVATIO I.

STREPITVS CIRCA VENTREM, RVPTVRAM VENÆ PORTENDENS.

SVMMARIA.

I. IMmedicabiles morbi ſunt, quorum cauſa cognoſci haud poſſunt, II. cuiusmodi fuit ex vena, cum ſtrepitu in ventre rupta, breui funeſtus Grauidæ, III. detegente poſt mortem cruore extrauaſato abdomen replente. IV. Huius cauſa plethora, abortum molita, quidem videtur, ſed, per obſeruationem antecedentis abortus, redarguitur; V. vtpote cuius alia cauſa ex Hippocrate inueſtigatur, VI. quam & dolor iuxta inguen, velut quidem textus Hippocratis, & obſeruatio Anatomica colorant, haud euincit. VII. Probabilius igitur a fataliter incauto corporis motu deducitur, confirmante ſtrepitu, circa ventrem percepto, cuius terror, haud inanis, per ſimilia comprobatur exempla, imprimis Chartadis Hippocratici. VIII. Mors autem, haud omnino repentina, rupturam venæ maioris quidem refellit, non item minoris, quæ hic

coniicitur, IX. binc pro illa cauſa per ſtructuram partium Anatomicam concluditur.

§. I.

Hippocrates, primus artis medicæ glorioſus Architectus, eandem, eiusque filios, a ſolitis maleuolorum illuſionibus & calumniis præclare purgat, *de arte XIX. Quæcunque*, inquiens: *oculorum conſpectum effugiunt, ea mentis oculis obtinentur & ſuperantur. Quæcunque vero ægri mala perpetiuntur ob id, quod non ſtatim cognoſcantur, ea non ad Medicos ipſos, tanquam ad ipſorum Autores referenda ſunt, ſed ad naturam ipſius ægri, itidemque morbi.* Etenim, velut *idem ibid. XXI.* ait: *Medicina aliquibus ex ſuppuratione thoracis, aliquibus iuxta hepar & renes*, itemque vterum, *ægrotantibus, eorum omnium potentia inſpiciendi priuata eſt, quod ipſum apud omnes in confeſſo exiſtit.* Quamuis autem *alias facultates coadiutrices inuenerit, nimirum fluxiones, quæ ſingulis locis, per quos exitus iis dantur, deſtillare conſueuerunt, quarum modo odores, modo colores, deinde etiam ponderatam tenuitatem ac craſſitiem obſeruet, ex eisque tum ſigna eorum, quæ ægri iam perpetiuntur, tum quæ perpeti poſſunt, colligat;* Attamen nonnunquam ipſa morbi natura obſcuritate

tanta

tanta gaudet, vt ipſum nullo modo, per quæcunque ſigna artis, liceat aſſequi. Quorum veritatem ſequens obſeruatio Anatomica confirmat:

§. II. I. V. D. CONIVX 28. annorum, per decenne circiter matrimonium, quatuor abortus, embryonum tantum maſculorum, paſſa (cum duæ filiolæ adhuc viuant, quas DEVS cum Dn. Parente diu ſeruet incolumes) in lecto corpus, ſine vi quadam vertens, ſtrepitum in ventre, quaſi aliquid rumperetur, cum paruo breuique dolore, perceperat, vnde, paucis diebus abeuntibus, in pube iuxta inguen quædam moleſtia grauare ſaltem, ſenſimque inſolita aliqua laſſitudo crura, & ſomnolentia caput fatigare cœpit. Ipſa tamen d. 29. Octobr. A. C. in templo conciones audiuit, d. 30. ædes egreſſa amicam viſitauit, muniisque ſuis domeſticis ſine notabili dyſphoria ſatisfecit, vsque dum d. 31., iuxta conſuetam periodum, menſium fluxus recurſum ſperans, graui opprimitur debilitate, cuius ergo lectulo corpus committens, ſapientes Matronas aduocat, ex quarum conſilio ſolitus timebatur abortus. A meridie, circiter horam tertiam, ego etiam vocatus deprehendebam, corpus, ſuffuſo pallore, calorem vitalem fere penitus reliquiſſe, men-

tisque haud ſatis compoti, vocem quoque deficere. Cum igitur, omnium animis firmiter conceptus, abortionis metus methodum medendi, lipothymicis communem, plus prohiberet, quam lege artis contraindicaret, pulueris ſaltem cordialis cinabarini doſis vna, in binas diuiſa, exhibebatur, ex quo paulatim ſpiritus liberius meare ac, redeunte animo voceque, oculos adleuantis corpus calorem natiuum recuperare cœperat. Verum, horam circiter veſpertinam nonam, grauisſima corporis perfrigeratio, recrudeſcens, reſpirationem difficilem acerbisſimumque dolorem in hypogaſtrio dextro, cum multa ſiti iungebat, ab hora X. vterus viſus fuerat mouere tres parturiendi nixus, ſed qui, quaſi ſpurii, mox ad ſuperiora recurrentes, in ructus ſingultuoſos deſierant, breui circa mediam noctem pauci vomitus breuisſimam mentiebantur euphoriam, tandem naſo acuto, facie multum collabeſcente, mente tamen integra, cum voce debili, ad vltimum halitum vſque conſtante, malum ingraueſcens horam circiter matutinam VI placidisſima morte ipſam paratiſſimam, beabat.

§. III. Per meridiem, abdominis muſculos cum cultro Anatomico vix perforaſſem, protinus ſanguis copioſus proſiliebat, quo iterum

iterum atque iterum ſpongia exhauſto, & abdomine cruciatim diuiſo, vltra menſuras quatuor deprehendebam cruoris congrumati, qui præ aliis vtrique teſticulo, maxime vero ſiniſtro, firmiter cohærebat, vt vi quadam ab ipſo eſſet auellendus. Quæ pars autem non, vt debet quidem, per ligamentum latum oſſi Ilium viciniſque partibus ſatis affixa, neque vaſis præparantibus connexa obſeruabatur; Quanquam præfracte negare haud auſim, ob ſanguinem extravaſatum, has partes omnino recondentem, oculorum vſu denegato, manus, ſic cœcas, fortaſſis aliquam vim iisdem feciſſe. Vterus, pugni maioris magnitudine, apertus, foetum, nuce caſtanea vix maiorem, neque prioribus æqualem, cum ſecundinis vaſisque vmbilicalibus integris, offerebat. Inteſtina parumper flatibus turgebant, epar, lien, ventriculusque, ſed manibus ſaltem palpantibus, nihil præter naturam exhibebant; nam viſcera cætera, vel ſolius abdominis, ſcrutari & ſingula, prout res poſtulabat, inueſtigare, Matronæ primariæ indultus, mihi neceſſarius, denegabat.

§. IV. Qui caſus, haud quotidianæ praxeos, hanc præſertim quæſtionem excutiendam proponit: Num luctuoſi huius fati

cauſam occaſionalem liceat opinari, naturæ, conſuetum abortum affectantis, imparem fuiſſe conatum. Imprimis, cum per ætatem iuuenilem color floridus faciem venuſtauerit, prætereaque, per ſingulos abortus antehac, uberrima ſemper ſanguinis copia promanauerit, vt hinc omnino veriſimile ſit, ex ſola Plethora ob menſium ſuppresſionem tam antecedentes abortus, quam etiam præcipitem hanc mortem eueniſſe; ac venæſectione, in tempore inſtituta, utrumque infortunium potuiſſe auerti, ſicvt ſecundum *Loſſii L. IV. Obſeruationem XVIII: Mulier quatuor ante abortus paſſa, in poſterum venæ Baſilicæ ſectione, ſub finem ſecundi menſis inſtituta, & III. IVue repetita, pulchra prole maritum ditauerit.* Quo facit etiam *Eiusdem ib. Obſ. XXI.* Quod aſſertum etiam *cum Celſo, P. Salio, Amato Luſitano, Roderico a Caſtro præclaris obſeruationibus corroborat Riuerius in Prax. L. XV. C. XVI* p. 475. comprobantque *Mauriceau malad. des femes groſſes Chap. XIII. Boyl. Vſefuln. of. Exper. Philoſ. P. II. Eſſ. I. p. 5.* Qualia, ſæpius alias experimentis practicis mihi comprobata Anno 1700. tantum apud me valebant, vt d. 17. Septembr Beatæ, cum ſolita ſigna, capitis ſcilicet dolor, ardor internus, ſitisque, quæ per grauiditatem filiolarum ceſſâſſent; abortum rurſus minarен-

rentur, ex meo conſilio ſanguinis fere libra ſemis e mediana dextri brachii mitteretur, qui, primum ſubnigricans, poſtmeridiem floridam rubedinem, ſine maculis fuſcis, cum pauco ſero, exhibebat. Huius vero intempeſtiuitatem ſecundum *Hipp. Coac. III. 62. & 343. & L. VII. Epid. LIV.* arguebat mox ſuperueniens totius corporis, præſertim vero ipſius dextri brachii, grauis perfrigeratio. Licet autem ipſa, dyſphoriam aliam fortaſſe diſſimulans, eodem die ſolennitati baptiſmi neque per templum neque per conuiuium defuiſſet, vno etiam atque altero hauſtulo vini facto, dicta tamen frigiditas corporis ne quidem veſperi remittebat, potius, ab eſu placentæ pinguiuſculæ, duabus minoribus lipothymiis ſuperuenientibus, imo d. 18. antemeridiem cum eodem illo capitis dolore, ardoreque interno æque perſeuerabat, aſſumptoque prandio demum, ab intercalatis duobus vini hauſtibus, recaleſcentiæ concedebat. Nihilominus d. 25. Septembr. conſueto infortunii tempore proximante, a nouo terrore oppreſſæ cum flatibus, per ventrem murmurantibus, iam aquæ, quas vocant, minore quidem quantitate profluere occipiebant. Quamuis autem & medicamentis & amuletis, illud præueniendi omnis nauaretur opera, attamen d. 28. per

ipſum plenilunium cruor ipſe, multos craſſos grumos, quaſi molæ fruſta, ſecum volvens, magna copia, prorumpere cœperat, accedentibus grauiſſimis lipothymiis cordisque vehementi palpitatione, quam d. 29. puluis quidem antiſpaſmodicus leuauerat, ſed ipſo fœtu cum ſecundinis iam prolapſo, ac æque copioſis hæmorrhagiis, velut antehac, debilitantibus. d. 30. cum magna virium imbecillitate lateri ſiniſtro, niſi cum metu lipothymiæ, incumbere haud valebat, d. 1. Octobr. hoc ſymptomate licet ceſſante ſomnus fuerat dyſphorus, ſine tamen perfrigeratione. d. 2. poſt leuem quandam iactationem ſudoremque frigidum veſpertinum, ſomno euphoro recreata, ſenſim vires recolligebat. d. 17. Nobr. menſium fluxus per periodos breuiores, fere ſeptimanarum, recurrerat, quod malum potu decocti fl. maluæ arboreſcentis hinc maxime leuari videbatur.

§. V. A quibus itaque phænomenis mente mutata, exin iudicare cœpi, monente *Hipp. Coac. II. 112. circa faciem colorem bonum* ſæpe *ſtercora vetuſta ſubeſſe ſignificare*, præterea cereuiſiæ tenuioris potum ordinarium, vini rariſſimum, vitamque ſedentariam raro plethora venas onerare, grauiſſimas illas hæmorrhagias, per maiorem abortuum, quam par-

partuum naturalium, violentiam, arteriarum neceſſarias rupturas agnoſcere, vt hinc veroſimilius illorum iteratorum cauſa deducenda foret *ex ſ. 5. aph. 45. Hippocratis, Quæcunque,* inquientis: *corpore bene conſtituto, bimeſtres atque etiam trimeſtres abortiunt, nulla incidente abortionis cauſa externa, his ſane cotyledones muco abundant, eoque fit, vt præ grauitate fœtus haud potentes eſſe poſſint, ſed diſrumpantur.* Vtpote quem aphoriſmum *Mauriceau L. I. Cap. XXVI. p. 185.* exponit, *quod cotyledones ſeu vaſorum inoſculationes glutine viſcoſo plenæ ſint, vt fœtum non retineant, cui accidenti præ aliis mulieres pituitoſæ eſſent obnoxiæ, quibus familiaris eſſet fluor albus.* Velut etiam confirmat *Loſſius L. IV. Obſ. XIX.* de muliere *quæ ob fluorem illum muliebrem quindecim fuit abortus paſſa.* Qui affectus ſicut mulieribus hic Halis, non ſecus ac in Batauia, ob ſitum vrbis humidiorem, accedente vita ſedentaria, haud infrequens eſt; ita Beatam quoque, ſubinde cum imminuto menſium fluxu, afficiebat moleſtia. Quibus etiam *Heurn. in cit. aph.* calculum ſuum addit, ſimul per obſeruationem appoſitam comprobans, purgantibus in tali caſu hoc malum optime Medicos præuenire. Quoniam vero *Hipp. ſ. 4. aph. 1.* admonet, *prægnantes* quidem *purgare oportere, ſi turget* (copia ſcilicet crudorum

humorum per primas vias ventriculi & inteſtinorum, ſed non, niſi) *quarto menſe vsque ad ſeptimum, iuniores vero fœtus vereri oportere*, iccirco tum, docente *Riuerio L. XV. Cap. XVII. Si abortus ob cruditates & flatus* (quos proximus in Beata ſatis prodebat) *excitatur, quod eſt frequentiſſimum, quando incipit à cauſa interna, exhibendus eſt puluis ex aromatico roſato & ſem. coriandri compoſitus. Imo aqua Imperialis exhiberi poteſt, ſi maior ſit pituitæ flatuumque congeries.* Quamobrem haud abſone mihi dein laudabatur, ex conſilio B. D. Brunneri Eſſ. Sem. Abel moſch. additis paucis guttulis olei ſtill. cinam. (veluti ipſius Annales Practici detegebant) abortum, ſed tantum fœmininum, præcauiſſe. Vt itaque Panſophia colus admodum fallat, dum contrarietates ſuas indicatiuas a ſymptomatibus, non morborum cauſis deſumens, in quouis abortus metu, vel ſolam eſſentiam caſtorei reiicit; cum tamen iuxta illius ipſius captum Balſamo Embryonum, aqua verbenæ cum vino, vt taceam orbes calidos de cruſta panis, vino generoſo imbutos, additis ſimul calidis aromatibus, ſæpius in ſimili caſu, multum proficiatur, non ſane ob virtutem refrigerandi, ſanguiniſue ebullitionem cohibendi, ſed calefaciendi, potiusque flatus ſpasmosque inteſtinorum ſedandi.

Maxi-

Maximum vero ſine dubio pondus omnibus in Beata abortibus nimia abdominis anguſtia addidit, vt enim iunctam teneram gracilitatem omittam, elegans Eiusdem proceritas non tam ipſius corporis, quam crurum longitudini debebatur. Quæ ratio fuit, vt leviſſima quæuis cauſa occaſionalis, aliis innocua, ſcilicet leniores ſpaſmi ex ſuperficiariis animi affectibus, minores inteſtinorum inflationes, ex intempeſtiuo eſu vel vnius piri aut pomi, huic calamitati producendæ haud impares fuerint, & vterus, exinde multum compreſſus, imprimis ipſius orificio interno, ſphincteris quaſi vice fungente, per iteratos abortus admodum laxato, exoptatiſſimam ſpem mox proiecerit, maxime vero ſexus maſculini, vtpote per omnes animantium ſpecies grandius incrementum, præ fœminino, affectantis, ſicut ſimile quondam in Conſulis Numburgenſis coniuge, breuioris ſtaturæ, pariterque albo fluxui obnoxia, obſeruaui, quæ fœtus etiam maſculinos tantum abortiebat, filias vero tres maturis partibus edebat.

§. VI. Deducta igitur immunitate a Plethora, neque illi, etiam per grauiditatem, cohibitoque menſium fluxui fatum illud vltimum venit aſcribendum. Equidem opinioni contrariæ multum fauere videntur

illa

illa *Hippocratis L. I. de morb. Mul. VIII. Quibusdam*, inquientis: *vbi bimeſtres aut trimeſtres fuerint menſes & ad lateris mollitudinem allapſi, cum non ſint ſuppurati, velut tuberculum fit ſupra inguen* (vbi locorum quippe Beatam prius moleſtia illa grauabat) *ſine capite, magnum, rubrum. Et vulgus medicorum ignarum, quid hoc eſſet, iam ſæpe ſecuerunt, & ſic in periculum induxerunt;* item *ibid. XI. Multis contingit, vt putent, ſe ſex menſibus in vtero habere, aut etiam paulo breuiore tempore; poſtea ſunt & quibus ſuppvrati eruperunt ſupra inguen, cum viam ea parte patefecerunt.* Quo etiam facere videtur ſequens obſeruatio ex *Riolano a Bon. in Anat. Pr. p. 119.* recenſita, quam ipſiſſimis Autoris verbis huc transſcribere haud grauabor: *Dna Contia, Quæſtoris Regii vxor, 31. circiter annorum, per 4. menſium geſtationis tempus nihil, præter ſolitum, graue, nihil moleſtum, vnde conqueri poſſet, ſenſit. Vnum hoc adfuit; quod paulo ſupra regionem inguinis dextri tumor quidam, cum duritie oui magnitudine, tactu perceptibilis, cum aliquantulo dolore apparuit, quem & coniugis manibus ſæpe contrectandum exhibuerat. Raræ aderant cardialgiæ, nulla præter conſuetudinem corporis & membrorum, de qua conqueri ſolent grauidæ, laſſitudo; neque hæc imprægnatio, quæ octaua fuit, tot enim fœtus geſtauit, vllo ab aliis diſſimilis modo videbatur. d. 2. Ianuar.*

men-

menſe quarto a conceptu, circa veſperam, de dolore grauiſſimo ad pubem conqueri cœpit; frequentes adſunt cardialgiæ, interdum etiam lipothymiæ, ac de imi ventris & cordis dolore ad iugulum vsque pertingente conqueritur. Vocatus Medicus hyſterica ſymptomata ſuſpicatur, (quid enim aliud coniectari licuiſſet) vacuata aluo, quæ ad hyſtericos affectus conducere videbantur, præſcripſit, ex quorum vſu paulo melius habere viſa eſt. His ad mediam vsque noctem peractis, obſtetrici, quæ, ſi forte periculum abortus accideret, vocata fuerat, tota res commendata eſt, quod reliquum fuit noctis, & ſi cum pubis dolore & cardialgia, placidius tamen tranſactum eſt vsque in horam V. matutinam ſequ. diei, qua inſtante, exacerbatis doloribus & fractis viribus fatis conceſſit. Chirurgus, diſſecta ventris infimi regione, in eius cauitate libras non minus, quam ſex concreti ſanguinis comperit, in dextro latere fœtum, latebris quibus inerat, diſruptis, egreſſum videt, is quinque pollices & vncias magnus, partibus omnibus bene & diſtincte efformatus, vracho ad vmbilicum & ſecundinas ſuſpenſo, repertus eſt; ſiniſtrum teſtem mole exigua conſpicit, dextrum dum perquirit, in quo, & vaſis eiaculantibus ex dextro vteri cornu, antea fœtus concluſus tenebatur, omnia lacera animaduertit; ipſius teſtis glanduloſam ſubſtantiam diuulſam & ſparſam videt. Vaſorum ſpermaticorum membranas laceras ad

corru

Digitized by Google

cornu dextrum vteri vſque intuetur. Vterum inveſtigat, quem ſanum, integrum, rugoſum & vacuum, qualis in non prægnantibus eſſe ſolet, pugni contracti magnitudine contemplatur. Verum, vt breuitati ſtudeam; illa Hippocratis huc non admodum quadrare, cætera contextus explanant, neque obſeruationi adductæ ratione cauſæ occaſionalis, velut in cæteris quidem, ſimilitudo cum noſtra conuenit. Nam illa quidem etiam grauida fuit, ſed non per octo priores impraegnationes abortiiſſe dicitur; quod vero potiſſimum eſt, in noſtra Beata vterus integer ſecundum naturam fœum minorem continebat, at illius fœtum maiorem tuba vteri præter naturam concluſerat, quæ cum ipſius vaſis, non propter menſium obſtructionem, ex Plethora, fuit lacerata, ſed, vt Riolanus aſſerit, *fœtus tam arctis receptaculis, quibus non amplius contineri poterat, concluſus vel mole corporis, vel motu, lacerationis eiusmodi partium, & ſanguinis per ima ventris effluxus, fuit cauſa.* Prætereа conferatur, Beatæ priores abortus vaſa intra vterum, non extra eundem debilitaſſe, quæ tamen, non illa, rupta, ſanguinem intra abdomen, non uterum, effuderunt; dein aliquot ſimiles obſeruationes in *Boneti Anat. Pr. p. 690.* legi, ſecundum quas in mulieribus, etiam non grauidis, hæc fatalis cauſa occurrit, tandem neque vomitus, ven-

tris

tris illosque ſpurios parturiendi dolores pro abortus conatu concludere, quia tales in caſu ſimili, ſanguinis ſcilicet in abdomen effuſi, etiam extra graviditatem, afflixerunt, quomodo, *vide ib. p. 943. Uxor. N. ex tripudio, mox oborto animi deliquio, abunde vomuit, doloribus intra abdomen acerbiſſimis ſubſecutis, vt paulo poſt exſpirauerit. Diſſecto ventre, peritonæi cauitas, cruoris plena, diſruptam venam eſſe teſtabatur.* Simile in alia, mox proponenda, obſeruarunt. Omnes autem illæ paſſiones viſcerum aſſcribantur ſpasmis, qui, monente *Hipp. ſ. VII. aph. IX.* grauibus ſanguinis profuſionibus ſolent ſuperuenire; nec iis eximendos eſſe ſpurios illos parturiendi nixus, ſingultuoſi ructus, in quos mox deſierunt, declarant; nam non hæmorrhagiam illam anteceſſerunt, potius ſubſecutæ.

§. VII. Probabilius igitur ex infelici corporis conuerſione, a qua venam ruptam perceptus ſtrepitus aperuit, calamitas illa venit deducenda. Equidem ſimiles ſtrepitus aut crepitus nonunquam feſelliſſe, aut ſaltem alias, quam vaſorum, rupturas ſignificaſſe, arguit Bonet. in Anat. Pr. Obſ. I. multis, quoad externa, noſtræ conueniens, de muliere *cum opinione, falſa quidem, grauiditatis, quæ, pridie ante fatalem diem aliquid in cerebro crepitaſſe, excla-*

exclamauerat, ſubſequente inſolito vultus pallore, & ſequenti die, ipſo fatali, licet prius viſitantes coætaneas hilari vultu excepiſſet, vertigine, ſeu potius lipothymia, vt hinc aduenieus Medicus, hyſtericum πάθος ſuſpicatus, aluum enemate prolui iuſſiſſet, quinimo, hora a decubitu IV, morte inopina. Vbi miratu dignum eſt, *profeſſores Anatomicos, cum Medicis adſtitibus, vterum citra conceptionis rudimenta, omnia in corpore integra, præter ſolas vaſorum cerebrinorum varices craſſiſſimas reperiſſe.* Veruntamen alia Obſeruatio *Wepferi*, ibid. *p. 18. & 288.* legenda, conuincit puellam ruſticam non ſine cauſa *fragorem alicuius rupti in cerebro ſenſiſſe*, etenim *poſt mortem, ob rupturam vaſis cuiusdam, totum encephalon, ſi non ſanguis ipſe crudior, lympha tamen cruenta, inundauerat.* Proximius accedit Obſeruatio *Gallicæ obſtetricis ibid. p. 943.* reperiunda; ſecundum quam *Matrona cum diarrhœa dolorem in ventre, cum ſenſu alicuius rei diſruptæ, perceperat, ſuccedente ingenti æſtu, quamobrem ob inſecutam debilitatem, quoad vultum cadaueris pallore fœdata, & extremo languore affecta, lecto ſe tradidit, pulſus aliquando ſe ſubducebat, & exilis reſurgebat. Idea mali erat ignota. A duobus Medicis, non infima nota, quicquid e re erat. præſcribitur, ſed, ſyncope ſuccedente, eam reuocare non licuit. Sanguinis miſſio tentata, ſed ex pertuſa vena, non ſecus ac ſi ictus fuiſſet pannus laneus,*

neus, ne guttula prodiit. Mors contigit hora VI. matutina. Chirurgus, cadauere aperto, totum ſanguinem in abdomen confluxiſſe animaduertit, & venam ruptam, 4. digitis infra maiorem hepatis lobum, obſeruat. Præ aliis vero caſum noſtrum elucidat *Hipp. L. VII. Epid. IX. Chartades, cui, cum III. die mane ſurrexiſſet* (quod momentum Cous non ſine ratione, ob ſimile infortunium motus, in ſe haud violenti, attigit) *ſtrepitu circa ventrem citra dolorem percepto* (ob vaſis interni rupturam) *ubi aluum exoneraſſet, ſanguinis recentis plus, quam congii menſura ſubiit, & vbi iterum atque iterum cohibuiſſet, grumi concreti & febricula frigeſcere videbatur & animi quædam deliquia accedere, & ſpiritus ad veſperam valde multus erat, pedes frigidi. Quod vero peſſimum erat, vbi dixiſſet, ſibi aliquid infra ſubire velle, & oculis intente intuitus eſſet, non diu ſe cohibens, mortuus eſt.* Quem quidem caſum noſtro minime conuenire quis inquiat, ideo, quod ille Chartades, ſecus ac Beata, febricitauerit, ſanguinem inſuper per aluum egeſſerit. Verum quis etiam vulgatum illud ignorat? Omne ſimile eſt etiam diſſimile, cuius gratia Hipp. *L. VI. Epid. S. III. 36.* iubet *Medicum colligere ac diſcere an* (& quomodo quædam) *ſimilia inter ſe ſint, ac an* (& quomodo eadem) *non ſimilia inter ſe ſint, quo ex diſſimilitudinibus ſimilitudo fiat*

Digitized by Google

vna. Sic ſane fuerit via, ſic etiam eorum, quæ recte ſe habent, probatio, & non recte ſe habentium redargutio. Quomodo utrique caſui, licet alias etiam diſſimili, ſimilitudo in cauſa occaſionali & proxima morbi & mortis omnino intercedit. Sicut enim in Chartade ſtrepitus, circa ventrem perceptus, venam, in abdomine ruptam, aperuit, vnde ſanguis extra vaſa profuſus & circulationi denegatus, perfrigerationem, animi deliquia & præcipitem mortem intulit; ſic etiam in Beata. Eadem enim fuit ratio (quæ velut in Iure idem ius facit, ita in Medicina eandem ponit veritatem) ſanguinem, per venam ruptam effluentem, circulationi ſubtrahendi, tam in Chartade, licet in inteſtina depoſitum, vt hinc ipſi via per aluum patuerit, ac in Illa, in cauitatem abdominis deſtillantem, cui incluſus latuit; quæ ne quidem alia eſſet, in terram ſi per hæmorrhagias, vulnus aut venæſectionem profundatur.

§. VIII. Quod autem non, ſicut in Chartate, adducta muliere Gallica & pluribus exemplis, Illam mors repentina, mox a percepto ſtrepitu, oppreſſerit, ſed ad exemplum pariter adductæ Contiæ ex Riolano', & puellæ ruſticæ ex Wepfero, poſt aliquot dies protracta, demum ſuperuenerit, minus eum-

euincit, ſanguinis, adeo congrumati, tot menſuras, forte per diapedeſin, transſudaſſe, ſed venam illam ruptam fuiſſe minorem. Nam, inculcante *Hippocrate L. I. d. morb. XX. ſ. differt affectus* (idem in hoc ægroto) *ab affectu* (eodem in alio ægr oto) *maior a minore, & corpus a corpore* (& vena a vena) *His autem ſic inter ſe differentibus, neceſſe eſt etiam tempus diuturnitatis differre & aliis longius fieri & aliis breuius, & alios perire, alios non.* Quomodo mortem omnino repentinam ex ruptura venæ, ſed ipſius CAVÆ peremiſſe tria monſtrant exempla *in Bon. Anat. Pr. p. 693.* euoluenda; ſic quoque magnus omnino ramus fuit venæ ruptæ in Matrona illa Obſtetricis Gallicæ, quam Chirurgus haud technico nomine appellare nouit. Et talis etiam ſine dubio fuit in Matrona illa illuſtri (*vide ſis ibid. p. 690.*) *quæ, a prandio animi deliquio correpta, horis quatuor poſt exſpirauit, vena rupta in ventre*, quæ a *Botallo*, haud imperito Anatomico, *videri non potuit*, nec, vt vnicum cauſæ quaſi meritum fuit curata; *cum ſanguis totus in capacitate ventris fuerit inuentus*, etiam ſine omni grauiditatis nota. Quod ſi e contrario ob oculos ponitur vaſorum ſpermaticorum (quorum ruptura in Beata coniicitur) in minores tot ſurculos, qui in-

ſtar reticuli complicantur, miſcentur & intertexuntur, tam mira ſubdiuiſio, vt Excellentiſſimorum Anatomicorum ingenia multum exercuerit, imo litibus, vix dirimendis, anſam dederit; hi ſurculi, longe minores ipſo trunco venæ cavæ, rupti, cruoris tantam copiam tam cito circulationi haud ſubtrahunt, vt mox morte repentina quaſi trucidet. Quamobrem etiam in adducta Contia tumor ille aliquandiu ante obſeruatus, ſanguinem, vtpote cui debebatur, ex ruptis ſurculis vaſorum præparantium, ante plures dies exſudare cœpiſſe, non vero poſtremo demum die cum ſyncope, ex magna quadam ruptura ſuperueniente, promanaſſe teſtatur. Haud ſecus in Beata illa crurum laſſitudo, ſomnolentia, moleſtia grauans ſupra inguen, breui a ſtrepitu percepto ſuccedentes, per plures dies ipſum fatalem antecedebant, & hinc non eodem, quia menſium fluxui deſtinato, vaſis rupturam demum factam arguunt. Parili modo ac *Tulpius L. II. C. XL.* ex *talibus vaſorum rupturis internis duos vix ante tertium diem animas efflaſſe* ſcribit. Aſſertum hoc a quouis dubio analogiſmus vulnerum facile vindicat, qui mihi in mentem reuocat ſectionem quandam Anatomicam viri, nono demum die a vulnere demortui, cuius cauſam

ſam Celeberrimus D.D. Bohnius Lipſienſis, Præceptor ſingulari candore de me Meritiſſimus, venæ cauæ truncum deſcendentem, in abdomine vulneratum, deprehendebat, quem gladius acutus, non totum medium, diuiſerat, ſed latere ipſius ſaltem quaſi exſciſſo, foramine tamen ſatis amplo, aperuerat.

§. IX. Quodſi autem ipſe venæ cauæ truncus, tam magnum validumque vas, rupturam pati ſolet, quanto facilius, tam parvi vaſorum ſurculi. *Hippocrates. L. I. de morb. XII.* docet, *etiam in ventre inferiore* (ſeu abdomine) *conuulſa venula ſanguinem in illud effundi, & ſiquidem intro notas habuerit, cognitu eſſe difficile.* Qualis conuulſio facile concipitur, ſi perpendatur, vaſa præparantia, ſeu ſpermatica, ipſis truncis, ramisue maioribus cohærere, e contrario teſticulos muliebres oſſibus coxendicis & Ilium firmiter alligari, ab hisque plurimos robuſtiſſimos femoris muſculos deſcendere, vt adeo ſi pes velociori vehementioriq; tractu antrorſum extendatur, contra ſuperius corpus, retro relictum, per pandiculationem, forte incidentem, ſurſum motu e diametro oppoſito, acute retrahatur, vaſa ſpermatica conuelli, conuulſa rumpi, rupta ſanguinem exſudare, res ſit haud difficillima. *Occaſiones*

enim, *vnde ægrotare cœperunt, conſiderare oportet*, velut rectiſſime inculcat L.IV.Ep.S.III.vere Experientiſſimus Anteceſſor, Hippocrates.

OBSERVATIO II.
EX VENAE RVPTVRA DEIECTIO CRVORIS, HAVD FVNESTA.

SVMMARIA.

§. I. E*X quibusdam cauſis Medicinæ, quippe ſcientiæ, certitudo, ob finitum hominis intellectum, ſubinde non apparet. II. Quod declaratur, Hippocratis Chartadi conferendo exemplum Veterinarii; qui, ex vena dirupta, ſanguinem, per febrem haud funeſte, deiecit. III. Per cuius phænomena, collatis Obſeruationibus Anatomicis, reſolutisque obiectionibus elucidatur, Chartadem etiam ex vena rupta, ſanguinem deiecisſe. IV. Cum a cauſæ occaſionalis, minore apparente, violentia haud raro maiores læſiones ſequantur. V. Per rationes quasdam deciditur, quare ſecus ac Chartades, veterinarius ille ſuperſtes euaſerit, & quidem ex Hipp. ſ. 4. aph. 21. qui per obſeruationes aliorum & proprias confirmatur, hinc ex aliis Doctoribus, ſubiecta parua epicriſi, declaratur. VI. confertur aph. 23. qui etiam & aliorum & propriis obſeruationibus corroboratur, pariterque declaratur & ita quidem, vt*

neque

neque Chartaden neque veterinarium attingat. VII. hi duo aphoriſmi a 25. apparente contrarietate breuiter purgantur, cuius fragmentum detegitur. VIII Coronidis loco cautela, pro ſignorum ſignificationibus Hippocraticis accipiendis, monetur, & ex eodem, ob certas cauſas haud rara, in Medicina incertitudo excuſatur.

§. I.

Hippocrates, quem tamen Galenus ipſe *omnium, ad prædictionem* facientium, *Principem diuinum* haud immerito laudat, *L. I. de morb. XI. 49. Vol. 2. p. 16. Differt*, inquit, *corpus a corpore & ætas ab ætate, & affectio ab affectione, & tempus a tempore in quo ægrotarint; & aliqui maiorem in morbis tolerantiam habent, alii ad tolerantiam impares exiſtunt. Proinde certitudo temporis, quo* aut *pereunt* aut reconualeſcunt, *non eſt, an longum, an breue futurum ſit*, imo ſæpe vtrum hic, vel ille, ægrotus reconualeſcat, aut pereat; *nam differt annus ab anno & tempus a tempore.* Etenim Medicina, in vniverſum quidem Practica, Phyſices tamen eſt quaſi filia præſtantisſima, & magis intellectus prudentiæ, quam corporis manuumque artificiali exercitio debetur. Hinc æternis veritatibus æque gaudet, ac aliæ ſcientiæ, cum cauſarum naturalium, in ſe ne-

 ceſſa-

ceſſarias, actiones rimetur, ideoque ſua certitudine non deſtitui poſſe videatur. e. g. Aeterna veritas eſt, ſi vena aperitur, ſanguinem profundi. Sanguine omni profuſo hominem perfrigerari & perire. Contra, vena rurſus occluſa, ſanguis ceſſat effluere. Sanguinis quantitas conueniens ſi detrahitur, homini id, vitæ ipſius ad minimum, haud nocet. Nihilominus, vbi ſpecialiſſimis caſibus, in indiuiduis, tales ſunt applicandæ, perpetuam illam veritatem vbiuis euentu ſuo haud probare videntur. Cuius cauſa non pendet ex naturæ inconſtantia aut fallacia quadam æternarum veritatum, ſed quod tot inuicem contrariæ, miſceantur, vt finitus hominis intellectus non ſemper aſſequi poſſit, quantum & quibus circumſtantiis altera alteri moderetur. Vtut vero in Medicina præ cæteris hæc incertitudo maxime attendatur, obſeruetur & exprobretur, ipſi tamen haud ſingularis eſt, ſed communis cum cæteris Facultatibus Eruditorum, ipſa Matheſi, imo cunctis humanis negotiis. Pluribus hæc comprobari poſſent; ſed cum locus hic breuitatem poſtulet, illa Hippocratis, eiusdem Chartadi fere ſimile exemplum conferendo, elucidare ſufficiat, quod tale eſt;

§. II. Anno 1679. Faber quidam in pago Thuringiæ Balgſtädt/Veterinarius Celeberrimus

rimus, 50. circiter annos, de morbi occaſione partim tractum acutum ſeu conuulſionem (wehe thun) partim deinde oppreſſionem a ſpectro accuſabat, ex qua cum horore d. Sol. 12. Octobr, VIII. circiter morbi die, febricitantem, primo quidem dorſi dolore iam finito, pedum perfrigeratio, octiduana alui obſtructio & ſtranguria cum torminibus ventris circa vmbilicum debilitabant. R. Aqv. Cærefol. Petroſel. aa. Unc. *jß.* Frag. cum vino Unc. *ß.* Sp. Sal. Armen. Liqv. Tart. aa. *dr. ß.* Ocul. cancr. Sangv. Hirc. aa. ſcr. *j.* Laud. op. gr. *ij.* ol. ſtill. bacc. junip. g. *vj.* Sacch. alb. *dr. ij.* MDS. R. Ungv. Clysmat. Axung. Cet. ol. expr. Sambuc. aa. *dr. ij.* ſtill. bacc. junip. carv. aa. ſcr. *j.* MDS. Ungv. quo abdomen inungatur. R. Suppoſitor. n. *ij.* Præterea pro aluo aperienda lac. ebutyratum bibebat. d. XII. Licet Balneator inſuper duo inieciſſet enemata, aluo nihilominus obſtructa manente, grauamen acerbum, ſuperiori abdomine relicto, in pubem deſcendebat, & vrina, non amplius ardens ac guttatim exſtillans, ſine ſenſu & continentia profluebat, accedente ſudore frigido, anxietate præcordiorum femorisq; ad tactum dolore, fere tamen ſine ſenſu torpentis; abdomine etiam ipſo ne attactum quidem digiti, imo vix plumam ferente, qua

unguento illiniri potuiſſet. Vrina, fere aquea, griſeos furfures per fundum ſparſerat, ſupernatante tenui lataque nubecula, ſequenti die, in ſubturbida, ad parietes enæorema lacteum quaſi anfractuoſe aſſcendebat. R. Sal. volat. oleoſ. cortic. citr. *dr. ij.* D. S. g. XV. R. Croc. Metall. gr. X. Vin. alb. Unc. *vj.* Ebulliant leniter, add. Decoct. Emoll. Unc. *vij.* D S. pro enemate. Hinc ipſe inuiſens, calorem acutum, viribus ſimul multum proſtratis, deprehendebam, cum tamen, ab enemate iniecto & vſu duarum doſium Sal. vol. copioſi flatus, prorumpentes, dyſphoriam iam multum imminuiſſent, ſecundaque vice, præter dura ſcybala, parum cruoris coagulati ſimul deieciſſet: vnde, viribus quoque recreatis, dolor ex ſuperiori pede in plantam deſcenderat. R. Axung. anſer. ol. expr. ſambuc. aa. *dr. iij.* DS. Ungv. quo abdomen perungatur. R. Aqu. Borrag. Acetoſ. aa. Unc. *iß.* R. Cinam. c. V. Unc. *ß.* Arcan. Tart. *dr. j.* Cinabr. Antim. C. C. ſ. igne ppt. Antim. diaph. aa. g. X ol. ſtill. meliſſ. g. *iij.* Sacch. alb. *dr. j* MDS. d. XIII. Lacte ebutyrato copioſius inſuper exhauſto, cruoris meraci quantitatem maiorem ſimul per aluum deiecerat, vnde vrinam iam ſentiens, mitebat. Nihilominus, ab enemate ſaltem dura ſe exoneraſſe, opinans, aluum

aluum, adhuc obſtructam, (iuxta artem veterinariam) reſerandam eſſe, vrgebat. R. Reſin. Ialapp. l. a. ſol. g. XX. Antim. diaph. gr. *viij*. Sacch. alb. g. XX. M. F. Pulv. divid. in *ij*. part. æqv. DS. R. Tinct. Sol. Langel. g. XX. Eſſ. Op: g. *vij*. DS. vt ipſius g. *vij*, aliquoties in caſum hypercatharſeos iterentur. d. XIV. per noctem atrociſſimis excruciatus torminibus, mane hora V. primam partem purgantis aſſumſerat, hora VII. vero etiam ſecundam; cum autem aluus adhuc dura deieciſſet, oleum oliuarum cum cereviſia calida præterea hauſerat, indeque biliosa euomuerat ac copioſe deiecerat, ſed cum euphoria. R. Aqv. Cortic. aur. unc. *iij*. fl. Camæm. c. V. *dr. vj*. Cinabr. Antim. g. X. Antih. Poter. Matr. perl. aa. g. XV. ol. ſtill. meliſſ. fl. camæm. aa. g. *ij*. Laud. op. g. *j*. Man. Chriſt. ſimpl. *dr. ß*. MDS. d. XVII. lamentabatur, aluo denuo obſtructa, a Salis volat. vſu tormina potius excitari, grauiſſimum quaſi pondus pubem grauare, rurſus vrinam copioſius ſe, haud ſentientem, mittere, cumque viribus admodum proſtratis, iterum perfrigerationes ſubinde intercalare. R. Reſin. Ialapp. l. a. ſol. gr. XV. Ocul. cancr. Antih. Pot. Cinabr. Antim. aa. gr. X. ol. ſtill. meliſſ. g. *iij*. M. F. Pulv. divid. in *iij*. p. æqv. DS. R. Tinct. Antim. Tartariſ. *dr. iß*. DS. vt

per

per veſperas eius g. X. vtatur. d. XIX. hiſce tamen vſurpatis, aluo nondum aperta, pondus adhuc pubem onerabat, Urina, haud ſentienti miſſa, coloris aquei, nubeculam, per pectus aſcendentem, exhibebat, quæ ſeqv. die magis in fundo ſubſidebat. R. Rad. cal. arom. *dr. iij.* Enul. liquirit. aa. *dr. ij.* Helleb. nigri *dr. iij.* Fol. ſen. ſ. ſ. dr. X. Agar. alb. Unc. ß. Cortic. aur. Cinam. Caryophyll. Sem. aniſ. aa. dr. ij. Limat. Mart. cr. m. ppt. dr. j. Inciſ. contuſ. cr. m. DS. pro nodulo vini laxantis. R. Tinct. Sulph. Vitriol. Zwelf. dr. j. DS. g. XXX. per veſperam. R. Confect. Hamech. Ungv. popul. aa. dr. ij DS. Ungv., pro aluo aperienda, plantis pedum imponendum. d. XXX. hinc aluus, per hos tres dies aperta, magnos grumos cruoris deiecerat, vrinam rurſus ſentiens, ſed cum paruo ardore, mittebat, paſtus non amplius, velut quidem hactenus, ventriculum grauabat, alias, vtut lignorum magna pars fornaci hypocauſti iniiceretur, nondum tamen moleſtias frigoris deponebat, vt ſatis recaleſceret. d. XXXIX. ex pedibus tumentibus & torpentibus ad vmbilicum, velut etiam in brachio dextro, ſenſus formicationis recurrebant. Ab eo tempore cœperat reconualeſcere, ſicut poſt aliquot annos intelligebam ex ipſo, equi mei, ex luxata

ſca-

ſcapula, cum atrophia abbreviatum, crus feliciter ſanante, per vulnus inciſum & fiſtula inflatum, oleo terebinthinæ infuſo, cartilaginem p. n., arterias comprimentem, abſumendo.

§. III. Qui caſus, obſeruationis ergo, non imitationis, hic propoſitus, in Charta de Hippocratico venæ rupturam, in priori obſernatione aſſertam, apprime declarat, cum teſtetur, eius primam occaſionem euidenter inter conuulſionum cauſas, *ab Hipp. L. I. d. morb. XVII. n.* enumeratas, pertinere, ſcilicet, *quod onus maius leuauerit*, niſi quis ſimul plagam aut luctam a ſpectro iungere malit: cum tamen nihilominus ac ille, ſanguinem congrumatum etiam per aluum deiecerit. Quamuis enim improbabile ſit, a rupta vena in ventriculum aut inteſtina, ſanguinem pro talibus deiectionibus deponi poſſe, quod vaſa ſanguifera, in ipſis per duplicaturas membranarum repentia, ab omni ruptura, ipſo niſi viſcere ſimul rupto, firmiter muniantur; adeoque in talibus caſibus anaſtomoſes p. n, ab ebullitione febrili adapertas, coniici debere, aut eroſiones ab acri quodam humore, præeunte *Hipp. L. 2. d. morb. LXXI.* vbi de *morbo nigro* docet, quod *in ipſo æger nigrum vomat, veluti fæcem quandoque cruentam, quandoque*

que vero, velut vinum ſecundarium, quandoque velut polypi atramentum, quandoque acre, vel-vti acetum. Et vbi quidem nigrum cruentum vomuerit, cadaueris fœtorem refert, & fauces & os a vomitu ſtupeſcunt, & id, quod vomitu reiectum eſt, terram, ob corroſionem efferueſcendo, *eleuat.* Specioſam tamen hanc ſpeculationem ipſa Praxis Medica crebris redarguit exemplis, velut propoſitum veterinarium in hoc confirmat, qui iuxta *Hipp. L. IV. Epid. XIV. 12. p. 752. aſinum ex pacto eleuauit, & ſtatim febricitauit, III. IV. V. VII. & VIII. die ſanguis erupit, iudicatus eſt, aluus lubrica.* Ipſam rupturam per autopſiam Anatomicam Obſeruatio, quam *Bonetus in Anat. Pr. p. 775.* recenſet, confirmat de *Principe, qui viribus iam debilitatis nigra per complures dies deiiciebat, ac tandem ſyncope oborta, intra dimidiæ horæ ſpatium exſpirauit. Secto corpore, ventriculus ſanguine concreto ſemiplenus & in cavo iecoris manifeſta continui ſolutio, venæque portæ diſruptio reperta eſt.* Equidem ipſe laudatus *Bonetus p. 873.* de illa obſeruationis concluſione dubitat, quia lege circulationis *effuſio ſanguinis e portæ diſruptione alibi, quam in cauum abdominis fieri haud potuiſſet.* Nihilominus ſicut *Gliſſon. in Anat. hep. C. IX. p. 94. arbitratur, læſo hepate ex contuſione aliqua,* aut etiam alias, *ſequi poſſe per vomitum aut aluum ſanguinis eie-*

ctio-

ctionem, quod nimirum porus biliarius partem, aliquam ſanguinis, hepar opprimentis, in ſe recipiat, & ad inteſtina deducat. Unde vel motu periſtaltico inuerſo ſurſum, vel regulariter ſe habente, deorſum, feratur. Quod corroborat, etiam obſeruatio *Timæi ibid. p. 1617.* legenda: Ita etiam in Principe illo, porta ex hepate ſanguinem haud quidem ad ventriculum, aut inteſtina deduxit; attamen, cum, docente pariter *Gliſſon. ib. C. XXXII. p. 249. rami pori biliarii & venæ portæ ubique per hepar ſe inuicem comitentur*, ramus quoque pori biliarii, alterum portæ comitans, cum hoc ſine dubio ruptus fuit, licet per minus curioſam ſectionem Obſeruator haud deprehenderit, vnde ſanguis, ex vena portæ rupta effluens, per, ruptum ſimul, porum biliarium in inteſtinum tandem & hinc per aluum defluxit. Quod ſi autem quis opinetur, veterinario noſtro & illi, qui aſinum elevavit, hæc applicari poſſe; non æque, Chartadi, quod in eodem Hippocrates *tumorem, iuxta ſplenem rotundum*, notet, cuius ergo præ hepate lien in ſuſpicionem veniat. Ille ſimul perpendat, lienem etiam, per vaſa breuia cum ventriculo communicantem, ſanguinem ſæpius in illum, pro vomitibus & deiectionibus cruentis, effundere, confirmantibus Obſeruationibus Anatomicis *in*

Bon.

Bon. An. Pr. p. 822. 823. 983. reperiundis. Equidem his, *Loweri d. corde. cap. V.* experimenta, egregia & haud falſa, obſtare videntur; verum illa ſaltem de ſtatu naturali concludunt, non item præternaturali, quando ſcilicet ſpongioſa lienis ſubſtantia, venarum, quibus alias deſtituitur, munere fungens, ſanguine congrumato eſt adeo referta, vt pluri ſanguini, per arterias appellenti, aditus omnis præcludatur. Tunc enim, ſanguine regurgitante, proximi rami, ad ventriculum ſe vertentes, replentur & extenduntur, vt in aneuriſmata excreſcant, aut rupti, ſanguinem pro vomitibus ac deiectionibus cruentis, in ventriculi cauitatem deuoluunt: Quomodo, velut in Chartade, leuiſſima alia cauſa occaſionali adiuuante, ruptura vaſorum facillime obtingit.

§. IV. Neque deducta conuellunt, quod in veteriuario noſtro & illo Hippocr. ægro, qui aſinum elevauit, vehementes & grauisſimæ cauſæ occaſionales minores conuulſiones intulerint, quia ſanguinis profuſiones, haud funeſtæ, iis ſucceſſerunt, quamobrem leuiſſima cauſa ſurrectionis in Chatade & ſolius conuerſi corporis iuxta primam obſeruationem, non grauiores tales & lethales producere valuerint. *Multa* etenim, vt *Loſſii in L. III. Obſ. IV.* verbis vtar, *occurrunt*

Practi-

Practicis Medicis rara, quæ facilius admirari licet, quam eorum cauſas aſſignare, ſicut hæc innumeris exemplis corroborari poſſent, ſed ſufficiant duarum Hippocraticarum puellarum caſus, qui veritatem illorum ſatis ob oculos ponunt. Quarum prima *L. V. Epidem. XXI. 10. p. 784. Virgo illa pulchra, Nerei filia, annorum 20. a muliercula amica ludente, lata manu percuſſa eſt in ſinciput, &, tunc quidem vertigine capta eſt, & ſine ſpiritu erat &c. d. IX. mortua eſt.* E contrario altera *L. VII. Epid. XXXVIII. 7. p. 861. de rupe cecidit, voce deſtituta, vomuit ad noctem ſanguinem &c. VII. vocem rupit, calores tenuiores erant, ſuperſtes euaſit.* Quæ qui penetrare laborabit, ſine dubio a fatorum diuinorum infinita abyſſo difficillima vertigine confundetur. Huiusmodi in Praxi Medica occurrere frequentiſſima, ſatis eſt, & ſuperuacaneæ illi curioſitati iam ſilentium imponit.

§. V. Haud ſine fructu, ex regulis Medicis conferri poſſunt rationes quaſi decidendi vtramque ſententiam, tam illam, quæ Chartadem mortis condemnauit, quam alteram, quæ veterinarium abſoluit. Sine dubio diverſitas ipſarum in eo potiſſimum conſiſtit, quod in Chartade arteria, in Veterinario vero tantum vena rupta fuit. Præterea autem illæ deſumi poſſunt ex *Hipp. ſ. 4. aph. 21. p. 84.*

ita ſe habente: *Egeſtiones alui nigræ, velut ſanguis niger, ſua ſponte prodeuntes & cum febre, & ſine febre peſſimæ ſunt, & quanto plures fuerint peiores colores, tanto magis malum eſt. Cum medicamento* ſcil. purgante *vero melius, & quanto plures fuerint colores, non malum eſt.* Cuius aphoriſmi primum membrum præ aliis confirmat *in Hipp. L. VII. Epid. X. 24. p. 834. Hermoptolemi vxor,* quæ per febrem cum delirio *XIV. diem totam ad vtrumque, modo ad tumultum, modo ad quietem transmutabat. Sequenti nocte per aluum ſubiit aliquid cruenti, velut muccoſum & rurſus limoſum, poſtea praſina valde ac nigra, vnde XXIII. diem obiit.* Huc quoque facit obſeruatio *Solenandri ſ. 5. Conſ. 15.* iuxta quam *quidam vomuit libras ſeptem ſanguinis nigerrimi & per ſeceſſum deiecit multis vicibus ſanguinem nigrum, vt pix liquefacta* viſa fuerit *ad libras decem, altera nocte per os rurſus libras quinque* materiæ, *nonnihil tamen plus colore accedentis ad ſanguinem, odorem præ ſe ferentis ſubacidum, & per anum profudit libras ſex ſanguinis, ſic etiam III. IV taque die,* qui, licet *mutatis Medicis*, tamen breui poſtea *mortuus eſt*, aliud ex Sennerto lege ſis in *Bon. Anat. Pr. p. 983.* Quod ſecundum aphoriſmi membrum attinet, de purgantibus, præter infantem Zechii, cuius hiſtoriam in Conſ. 46. enarrat, ac noſtrum veterina-

rium

rium *Annales mei Practici L. IV. p. 34.* Offe-runt ſartoris famulum, qui, Anno 1682. per menſem Februarium, ex vulnere pectoris ſiniſtri, orthopnoicus, haud cruenta extuſſiebat, ſed dolore in ſcrobiculo cordis, ad vmbilicum vsque porrecto, acerbe grauabatur, hic ex vſu decocti Traumatici ad libras duas additis Syr. de Cichor. cum Rhabarb. vnciis tribus, cruore multo per inferiora deiecto, nullo exſcreato poſt aliquot dies reconualeſcens, referebat, ſe, haud amplius orthopnoicum, per ſomnum etiam decumbere poſſe, nihilominus ſibi riſum, aliumue corporis motum, paulo vehementiorem, ſuffocationis periculum intentare, & ad decubitum coſtam vnam in altum cum ſtrepitu proſilire (in die Höhe ſchnappen) Equidem, quæ *Heurnius* in aphoriſmum illum & *Ballon. l. 1. conſ. 53.* per Græcam vocem ἰόντα de mora excretionis notant, in Chartadem & veterinarium minus conuenire videntur, cum illa potius in hoc, eoque minus funeſto quam in illo, fuerit obſeruata. Derogare autem valori aphoriſmi videtur, qui ex pacto aſinum eleuauit, vtpote de quo haud refertur, quod purgans fuerit præmiſſum, cui ſimilia, exempla plura fortaſſis Autorum obſeruationes ſuppeditant. Quibus contrariis caſibus hunc aph. Hipp. expedire conatur

 Heur-

Heurnius hoc modo, vt Græca verba ὁκοῖον αἷμα μέλαν non de vero cruore nigro accipiantur, ſed ſaltem de quaſi tali, bile atra, colore nigerrimo cruorem mentiente. Cui interpretationi magnum pondus addunt, eiusdem mox ſequentia verba, de pluribus deiectionum coloribus peioribus, quæ non tam in verũ cruorem nigrum, quam bilem atram quadrare videntur. *Sunt etenim*, velut cum *Sennerto Bonetus in An. Pr. p. 873.* docet, *nigræ deiectiones triplices, prima ex ſanguine, qui e venis excidens in grumos concreſcit, atque ater ſit, quem Hipp. αἷμα μέλαν vocat, & hanc,* tradit *deiectionem non ita periculoſam eſſe, niſi forſan ſanguis putreſcat, atque veneni nvturam induat, cauſaue ſit magna, vnde illa ſanguinis collectio proueniat. Secnnda ex humore melancholico naturali, ſeu fæce illa ſanguinis, quæ circa lienem colligatur & fuſca liquataque maneat, nec in grumos concreſcat, qualis ſæpe fiat cum ægri commodo, lienis tamen & vaſorum ſplenicorum debilitatem arguat. Ideoque videndum eſſe, an talis euacuatio fiat per criſin & a naturæ robore, an vero ſymptomatice. tertia ex bile atra, quæ colore nigra ſit ac ſplendens & acris & hanc peſſimam eſſe, vtpote quæ occidat ab humore peſſimo.* Cui interptetationi fauet *Plateri l. 3. obſ. p. 800. de Viro quodam, qui inſtar atramenti ſcriptorii nigram materiam admodum copioſe euomuit, idque repetitis vicibus, ſumme*

me interim debilis, ſed poſtquam a purgante ternas ſedes æque nigras deiecerat, poſtea cœpit melius habere. Verum neque illa Heurnii, neque Sennerti nodum illum ſatis ſoluunt, neque ſeqq. *P. Salii Diuerſi*, recenſente *Bon. in A. Pr. p. 872. monentis Medicos, ne ſemper eiusmodi nigras deiectiones timeant, quod quadam abſque periculo fiant. Quibus vero notis diſtinguantur, has tradit; ſi iſtæ excretiones contingant in morbis acutis & materia educta non ſit atra bilis, ſed vere melancholicus humor, qui eſt fæx ſanguinis, quandocunque eueniunt, omni carent diſcrimine & ad bonum terminantur, exonerata per has a graui materia natura ipſa. Si enim ſplen præter naturam ſe habeat, limoſa hæc materia plurima accumulatur circa viſcera, inveniſque illis communibus, & ſi abundantior colligitur, etiam in meſenterio & circa pancreas, quæ totius corporis veluti altera ſentina eſt, aggregatur, quæ tandem cum grauis admodum fuerit, inſurgente vi expultrice, natura eius exploſionem tentat, hincque deiectiones fiunt nigerrimæ, quibus aliquando connectitur eiusdem ſuperfluitatis vomitus. Sin vitium accedat viſcerum, ipſaque eorum ſubſtantia labefactata ſit, nec ſolum* συναθροισμὸς *humorum, pernicioſæ ſunt eiusmodi deiectiones.* Sed vereor, etiam hæc, præclara quidem, ſi ad lapidem Lydium experientiæ revocentur, vix pro auro veritatis, penitus ex-

coćto, probatum iri, quoniam ſecundum *Hipp. ſ. 6. aph. 48. Splenicis Dyſenteria*, ſed *non longa*, monente *aph. 43.) ſuperueniens ſalutaris eſt*, quem aph. Heurnius obſeruatione *Principis ſplenicæ* confirmat, *quæ in febre deiecit aluo cruentam atram materiam copioſe bis aut ter, ſed quam trepidantem ipſe in bonam ſpem erexit, ſicut etiam euaſit.* Contra ſecundum *Hipp. de Vict. acut. XLVIII Ex ſignis nigra alui egeſtio mortem ſignificat.* Quomodo *L. III. Epid. S. I. Aegr. III. p. 714. Qui in Dealcis horto decumbebat*, *cum* per febrem *die IV. ſplen eleuatus eſſet, V. ſeceſſus plures nigri ſpumoſi, ſubſidentia ſeceſſibus nigra, nocte non dormiuit, mente motus eſt, licet XL. tandem per ſudorem iudicatus fuerit.* Adeoque hic aph tam cruores nigricantis, quam bilis atræ deiectiones melius complectitur, tertiam vero ſpeciem de ſucco melancholico ſeu fæce ſanguinis, magis curioſe, quam vtiliter excogitatam, ignorat. Qamobrem eius valor melius per vocem *κακίςων*, peſſimorum, non *Θανασίμων* penitus ſeu lethalium, (qua voce aph. 22. & 23. vtitur) ſaluatur; vt deiectiones tales pro ſigno ſimplici diagnoſtico, non pathognomonico, magnum pondus aliis malis ſignis, concurrentibus, addant, a melioribus tamen etiam earum peſſima ſignificatio emolliatur, ſicut mox pluribus monebitur.

§. VI.

§. VI. Magnam lucem deductis afferet enodatio ſequ. *aph. 23.* ita ſonantis: *Quibuscunque morbo acuto aut diuturno, aut vulnere, aut alio quouis modo extenuatis* (λεπτυνομένοισι) *bilis atra* aut *tale quippiam, quod fœculenti ſanguinis ſpeciem exhibet* (ὁκοῖον αἷμα μέλαν) *effluat, poſtridie moriuntur.* Quem aph. Heurn. confirmat obſeruatione mox ſubiecta *Ducis militis, qui cum diu quartana emaciatus fuiſſet, tandem concreti ſanguinis magnam copiam per ſedem depoſuit, poſtridie obiit.* Alia exempla recenſet *Bonet. in An. Pr. ex Riuer. Obſ. communic. p. 893. ex Ballonio* p. 777. *ex Rolfinck.* p. 507. *ex Hollerio* p. 922. Eodem modo teſtantibus meis *Annalibus Pract. L. IV. pag. 450.* Conſulis Numburgenſis filiola, 3. fere annorum, ante duos menſes ex morbillis imperfecte iudicatis, An. 1683. d. 10. Mart. febre lenta ſymptomatica debilitabatur, quandoque enim per euphoriam quandam obambulabat, ludebat, ſed appetitu proſtrato, omnes calidos cibos auerſanti, calor p. n. poſt meridiem exacerbabatur & cum ipſo etiam noctes inſomnis laborioſe tranſigebat. d. 21. M. dyſphoria, caloreque p. n. remittente, ſtercora multum viſcoſa, ſtriis cruentis tincta, obſeruabantur. d. 22. M. a purgante Solari-Mercuriali quater æruginoſa ſubnigricantia deiecerat, ſine quauis dyſpho-

ria. d. 30. Mart. ſponte cum ſtercoribus per aluum quatuor atro-rubros grumos cruoris, quaſi ex apoſtemate, excreuerat, iuxtim habitus renutriri, appetitus reſtitui, viresque recuperari videbantur. Enema, ex lacte cum terebinthina, infuſum euphoriam minori, quam purgantia, ſe commendabat. d. 1. April. erat oppoſitio Martis & Solis, per huius menſis initium cruenta deiicere ceſſarat, ſed lectum præter ſolitum deiectione polluerat, ſemel quoque, oculis parum breuique diſtortis & cum tuſſi multum fatigante, dyſphoriaque recrudeſcente, tempora collabi obſeruabantur. d. 15. Apr. cum ſudore calido, blando, achores capitis erumpentes, tuſſim emolliverant, ſed ſpaſmi oculorum, parui quidem breuesque, rurſus terruerant, grauisque ardor internus multum fauces ac labia combuſſerat. d. 16. April. tuſſis per noctem quietam remiſerat, ſed, viribus multum proſtratis, poſt meridiem per graviſſimum languorem ſpaſmi rurſum oculos diſtorſerant, manibus ſimul palpanti, vnde mox merum atrum cruorem deiecerat. d. 17. & 18. Apr. minus dyſphoræ achores capitis multum madebant, nares mucum fundebant, parotis pone aurem increſcebat, neque oculis iterum diſtortis; verum circa horam veſpertinam VII. plenus epilepſiæ

pa-

paroxyſmus opprimens h. IX. vitam finiebat, cum d. 20. A. inſtaret oppoſitio Martis & Mercurii. *Satius* enim *eſt*, ſecundum *Hipp. ſ. 2. aph. 26. febrem conuulſioni ſupervenire, quam conulſionem febri*. Aliud exemplum affert *L. II. Ann. Pr. p. 415.* de Auriga temerario Naumburgenſi, 50. circiter annorum, qui per annum ventriculi debilitate & dyſpnoea fatigatus Ann. 1678. d. 16 Aug. IV. circiter morbi die, appetitu proſtrato, pectore grauato (es lege ihm ſo auff der Bruſt) nec horroris, nec caloris p. n. ſibi conſcius, cum anxietate præcordiorum languidus, per hypocauſtum adhuc obambulabat, d. V., ab aſſumpto cathartico poſt copioſos vomitus, ſopore 3. horarum opprimebatur, hinc poſt meridiem, chronicam ſibi, præcordiorum Zonam recluſam eſſe, laudabat. d. VI. languor ingraueſcens lipothymiarum, & decubitus in ſiniſtrum latus ſuffocationis metu terrebat. d. VII. internus ardor grauiſſima ſiti urebat, vnde cereviſiam nauſeans aquæ frigidæ potu cor ſuum ſe recreare dicebat (ſcil. ſicut *Hermoptalemi uxor apud Hipp.*) ſed ſuperuenientibus ventris torminibus, auriumque ſonitu. d. VIII. horrores intercurrerant. d. IX. poſt meridiem ſponte ter deiecerat, morbum vero augente meteoriſmo per hypogaſtrium & pondere quaſi, ceruicem

cem grauante, item ſcrobiculi cordis ad tactum dolore. d. X. Dyſphoria fere minor. d. XI. cum permanente oris amarore, calore p. n. tenui, onus hypogaſtrium grauabat, infuſo enemate d. XII. malum, altiora petens abdominis, cardialgiam iungebat & ſuffocationis metum augebat, d. XIII. a vomitorio, quod inſtantisſime vrgebat, quater bilioſa euomuerat, terque deiecerat, oculis ſubflaueſcentibus, ſed, etiamſi euphoriam laudabat, vires ſumme proſtratæ cognoſcebantur. d. XIV. ſummus languor metu lipothymiarum capitis erectionem cohibebat, & præter auctum ardorem internum, oris amaritudinem, faſtidium, circaque vmbilicum tormina, quiuis hauſtus ventriculum grauabat ſuperueniente eructatione. d. XV. per eadem d. XVI. Urinæ tenui ſubaurantiæ, ſuper pulvere atro, per fundum ſparſo, enæorema innatabat, per noctem turbata, mane ſedimentum griſeum cauum depoſuerat, ſimilique farina parietes obduxerat. d. XVII. Erectum terrebat ſuffocatio & tandem lipothymia, ex paſtu cum genarum rubedine & calore p. n. ſomnolentus, raro mucum craſſum exſcreabat. Vrina ſimiliter tenuis, per noctem turbata, haud ſubſidebat. d. XIX. Præter caloris p. n., ardoris interni, oriſque amari-

ritudinis exacerbationem, tormina circa vm-
bilicum cruciabant. d. XXI. dulcedinem mi-
ſturæ, haud tamen purgantis, cauſans, cum
torminibus iisdem octies bilioſa deiecerat,
vrina adhuc ſequenti die tenui d. XXII. ab
omnibus fere alleuatus, leuius degebat, vri-
na mox mane craſſe limoſa, depoſito ſedi-
mento pendulo, rurſus extenuabatur. d.
XXV. hactenus, ex dyſphoria minori ſecu-
rus, medicamentorum vſum omiſerat, ſed
hodie cum quadrato Saturni & Solis, a iuſcu-
lo vinoſo dulci rurſus exacerbata referebatur,
d. XXVI. facie collapſa, rurſus omnia exacer-
bata intelligebam, per ſomnum ſudor multus
fatigabat, dyspnœa, lipothymia, cardialgia,
tormina, eructationes grauiores recrudue-
rant; vrina per ſequentem diem adhuc tenui,
tandem cum lipothymiis ſanguinis congru-
mati nigri fere libram cum euphoria, velut pu-
tabat, deiecerat, ſed admodum fallaci, nam
oculis clauſis, ſuperuenientibus manuum
perfrigeratione, ſudore capitis, præcordio-
rum anxietate, veſperi obiit. Quæ exem-
pla docent, aphor. hunc Hippocratis (1) tan-
tum de extenuatis & admodum debilitatis
loqui. (2) velut Heurnius quidem magis ſu-
per aph. 25. obſeruat, nigredinem ſanguini
debere eſſe propriam, ſcilicet, vt ſanguis in ſe
laudabilis, in inteſtina effuſus, haud ab acido
coagulante illam induat, quæ etiam non tan-

ta eſt & inſtar picis quaſi liquefactæ; ſed dependeat ab ipſa matrice ſeu abſceſſu, cuius materia ſanguis crudior, qui, ob deficientem calorem, non in pus laudabile concoqui poteſt, ſed gangrænose putreſcere incipit, vnde etiam ſimilia ſputa in pleuritide *ab Hipp. Coac. III. 215.* damnantur. Quamobrem hic aphoriſmus neque Chartadem Eiusdem, neque veterinarium noſtrum attingit, vtpote quorum ſanguis deiectus nigredinem ſuam, neque tantam, maxime moræ ſeu tranſitui per ventriculum, ab acore coagulante, debuit.

§. VII. Iam contrarietas *aph. 25.* qua duobus prioribus obſtare videtur, purganda reſtaret, vtpote qui ita ſonat: *Si cui ſanguis per ſuperiora erumpit, cuiusmodi tandem is fuerit, malum, at per inferiora nigra ſi recedant, bonum.* Cuius primum membrum de hæmoptoë & vomitu cruento ſicut omni dubio caret, ac hoc loco vſu alienum eſt; ita ſecundum de deiectionibus cruentis, maxime huc faciens, grauiſſimis eſt inuolutum difficultatibus. Vt-vt enim commentatores eis enodare laborant, hæc tamen ſumma remanet, ſanguinem nigrum, ſi non tantum, attamen potius, quam ſanguinem floridum, ſignificatione ſalutis ſolari, quod aſſertum tamen analogiæ Praxeos Medicæ ac textuum aliorum

Hip-

Hippocraticorum repugnat. Itaque, ſaluo ſecus ſentientium reſpectu, fœcundam alias vtilitatem huius aphoriſmi mihi ſaluare liceat, fragmentum (inter alia, per opus Hippocraticum haud infrequentia) coniiciendo, & per voculam ȣ̓, oſcitantia libellionum omiſſam, ſupplendo, hoc modo: *αἷμα κάτω δὲ ἀγαθὸν, ȣ̓ μέλαν ὑποχωρέον*, *ſanguis vero deorſum bonus*, non *niger ſecedens*, qui enim ſalutem vix potrtendit. Atque huic auſo meo primum membrum aphor. admodum fauet, nam iuxta illud *ſanguis qualiscunque*, ſiue floridus, ſiue niger, per ſuperiora damnatur, vt adeo iuxta ſecundum membrum ſanguis non omnis & floridus ſimul, ſed niger tantum, malum ſignificet. Pluribus hæc corroborarem, quæ etiam in promptu ſunt, ſed cum tractatio iam præter opinionem excreuerit, plenior eorum deductio in commodiorem locum reſeruari poſtulat.

§. VIII. Hoc ſaltem coronidis loco monendum venit, adductos aphoriſmos pro ſtylo Hyppocratis ſolito, non ſigna tantum pathognomonica inculcare, ſed etiam diagnoſtica proponere, quorum plurium vota quaſi conquirenda, cumulanda, ponderanda veniunt, præeunte ipſo Hippocrate per formulas, hinc inde ipſi vſitatas: e. g. *L. I. Prædict. l. 7. p. 472. Coac. II. 164. p. 543 ſi ſane*

&

& aliud quoddam ſignum aſſuerit. Coac. III. 348. p. 571. Verum etiam alia conſiderart oportet. nam ſecundum *Pranot. XXVI. 31. p. 470. Qui recte praenoſcere volet, vires ſignorum inter ſe conferendo perpendat.* Sic peſſima ſigna mox in Chartade, Conſulis filiola, aurigaque, deiectionibus illis nigris nouiter ſuperuenerunt, at in veterinario minime, ſed illorum loco magis euphoria. quippe iuxta *ſ. 1. aph. 2. ac 25. & ſ. 4. aph. 3. Si qualia oportet purgari, purgentur, confert & facile ferant, contraria vero difficulter.* E quibus omnibus affatim diſpaleſcit, veriſſima eſſe *Coi noſtri d. vet. Med. XVI.* inquientis: *Oportet enim* in Medicina *modum*, ſeu menſuram aliquam tantum *coniectare. Modum autem* (μετρὸν δὲ) *neque pondus, neque numerum aliquem, ad quem referas, cognoſces certitudinem exactam, aliam non reperies, quam corporis ſenſum.* (πρὸς ὃ ἀναφέρων εἴσῃ τὸ ἀκριβὲς, οὐκ ἂν εὑροίης ἄλλο, ἢ τοῦ σώματος τὴν αἴσθησιν) *Quapropter operoſum eſt ita exacte condiſcere* Medicinam, *vt* nunquam *parum in alterutram partem delinquas. Quanquam ego etiam eum Medicum vehementer laudarim, qui* nonnunquam, ſcilicet in difficillimis caſibus, tantum *parum delinquat. Certitudinem autem* vbiuis *exactam raro videre contingit.*

OB-

OBSERVATIO III.

De

PERFRIGERATIONE, EIVSQVE SIGNIFICATIONE HIPPOCRATICA

SVMMARIA.

§. I. Hippocratis contra monitum, Partem Medicinæ Semioticam ſæcula noſtra pro dignitate haud excoluiſſe e variis oſtendit perfrigeratio. §. II. Quæ, præter alios morbos, etiam communis eſt febribus, ardentibus ſcilicet ac leipyriis, quas Syluius male negat, nec enim illis calor p. n. eſt eſſentialis. §. III. Præ hoc autem illa maioris eſt momenti, quia maius portendit periculum iuxta Hipp. loca plurima. §. IV. Maxime vero conſiderationem meretur, quod deliria febrilia ſæpisſime comitetur, docente Hippocrate per textus. §. V. & confirmante per integras conſtitutiones febrium ac ægrotos, quibus aliorum Doctorum Obſeruationes conſonant & propriæ adiiciuntur. §. VI. Notatur, nihilominus ægros multos etiam ſine ipſa mori & quosdam cum ipſa ſuperuiuere, velut propriis obſeruationibus corroboratur. §. VII. Eiusdem cauſa deducitur (1) a ſanguinis quantitate imminuta, in ſpecie per Venæſectionem intempeſtiuam, vtpote quæ per illam tum nocere oſtenditur. §. VIII. (2) ab actuali frigore, præſertim potus. §. IX. (3) a coagula-

gulatione, praeunte Hippocrate, confirmantibusque obſeruationibus Anatomicis. §.X. Neque vero (4) niſi per hanc mediate, a gangræna. §.XI. Coagulationem illam cruori infert (1) acidum hoſtile, innuente Hippocrate, elucidantibus experimentis, declarantibusque Obſeruationibus Practicis. §. XII. Quod vero vel ipſi ſanguini eſt inteſtinum, vel foris a cruditatibus primarum viarum aduenit. §.XIII. (2) morboſus ſpiritum animalium ſeu Archei Helmontiiani ſtatus, circulationem ſanguinis turbans & retardans, declarante etiam ſomno. XIV. A perfrigeratione indicatur (1) haud venæ ſectio, ſed potius prohibetur, imo intempeſtiuitatis ab illa, ſuperueniente, arguitur. XV. Obiectio, eandem in aphoniis, comitante perfrigeratione, laudari ab Hippocrate, Riolano, P. Salio Diuerſo proponitur, ſoluitur & reſtringitur. XVI. Alia Obiectio de vtilitate ipſius in hæmorrhagiis redarguitur. XVII. Neque (2) Catharſis primario velut quidem ſecundario nonnunquam, a cruditatibus primarum viarum, ſi turgent. XVIII. optime vero ſudorifera, imprimis ex ſalibus volatilibus præ aliis maxime appropriatis, ſecundum experimenta, quæ quantum a concurrentibus hæmorrhagiis, aut metu abortionis prohibeantur, examinatur. XIX. Iuxta hæc (4) Sedatiua Sulphura mineralium ob virtutem ſuam Spir. animalibus & Archeo gratiſſimam, inter quæ Cinabrium Antimonii & natiuum pertinet. Quibus denique coronidis loco ſubiicitur Hippocratis præceptum de circulo in Medicina obſeruando.

§. I.

§. I.

CReberrime per erudita ſcripta Doctorum Medicorum legitur & relegitur, nec minus in ore Practicorum verſatur tritiſſimum illud *Hippocratis de arte XX. 4. p. 14. Medicus ſiquidem ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficiet etiam ad ſanandum.* De cuius certitudine quantumuis nemo dubitare auſit, attamen miratu dignum eſt, hoc Eius præclarum monitum per noſtra ſæcula, ſecundum ipſa facta, verbis licet contrariis, plurimum eviluiſſe, dum pars Medicinæ Semiotica, pro morbis morborumque cauſis cognoſcendis, inde uſque a Coi temporibus, loco incrementi magis decreuerit, niſi quis Siculas Galeni gerras de pulſibus obiiciat. Cum contra Phyſiologiam Anatomia per plurima egregia inuenta adauxerit, vt facie longe ſplendidiori, quaſi tota mutata ab illa antiquorum, oculos atque ingenia hominum perſtringat; ab altera parte Therapeuticam Chymia, quondam per metallurgiæ furnos male famoſa, ſed iam a Medicina ipſius ciuitate donata, medicamentis rariſſimis inſtruxerit, vtpote quæ, furfuribus ſecretis, loco crudarum glandium quaſi pane ſimilagineo ægrotos paſcuntur; vt Sulphura taceam Philoſophica, quibus paria

medicamenta priſca illa tempora prorſus ignorarunt. Adeo vt Illuſtris Boyleus, aliàs de Republica Medica meritiſſimus, *conſid. vſefulnenſ. of. experim. Philoſ. P. II. Eſſ. V. p. 109.* præ illa Hippocratis noſtri Semioticam alto ſupercilio deſpiciat, Eiusdemque, quod forte, Ioui ſe adæquantis, Menecratis mendacem arrogantiam auerſetur, candorem, in candide recenſitis, ægrotis mortuis, ſuggillet. Verum vtut Medicus, duobus his cruribus incedens, haud claudicat, attamen niſi facem Semioticæ in methodo ſua medendi præ ſe feret, per frequentiſſimas tenebras paulo difficiliorum caſuum grauisſime impingens, vtrumque crus franget quam facillime, vt, grauius quam claudicans, ingreſſu quouis plane deſtituatur. Quid enim iuuat ductus ſuccosque nouos inueniſſe, obſcuras viſcerum texturas explicuiſſe, ſanguinisque circulantis perpetuum mobile, nullo humano artificio imitabile, rurſus aperuiſſe? niſi per Semioticam in ſpecie ſuccum, viſcus, partemve affectam, eiusdemque ſpeciales defectus, tanquam ipſisſimas morborum cauſas, liceat eruere, vt, cui remedia opponantur, prius conſtet. Alias quippe, quo generoſiora medicamenta, eo per intempeſtiuum uſum grauius lædunt. Horum veritatem eui-

euidenter detegunt ſymptomata plurima, in ſignificationibus morborum maximi ponderis, & ab Hippocrate creberrime notata, e. g. iactatio, lumborum dolor, aphonia, a Practicis autem ſparſim ſaltem ac ſuperficietenus attacta, cum tamen, vt fila Ariadnea e labyrinthis obſcurisſimorum morborum perducentia, tota mereantur capita, quibus eorundem phænomena, inuicem collata, excutiantur.

§. II. Ex illis ſcenæ huic noſtræ potisſimum inſeruit PERFRIGERATIO, ſymptoma, non ſolum lipothymiis, ſuffocationibus hyſtericis & epilepſiis commune, ſed etiam hæmorrhagias & dyſenterias funeſtas concludens, & febribus continuis ac malignis cum maximo periculo ſuperueniens. De quibus vltimis quantumuis eadem per contradictionem in adiecto prædicari poſſe videatur, cum vniuerſa illarum eſſentia iuxta plurimos in calore p. n. omnes indicationes moderante, conſiſtat; res tamen eſt certisſima, quam non ſolum Hippocr. Chartades, & ille, qui ex pacto aſinum eleuauit, (vt ſine dubio per fragmentum coniicitur) item infans Zechii, veterinariusque Obſ. II. confirmant, ſed etiam in I. V. D. Coniuge Obſ. I. ſuſpicari licet, ob ardorem internum, quem ſitis teſtabatur; cum iuxta *Hipp. l. 1.*

de morb. XXVII. 15. Vol. 2. p. 32. de affect. XI. p. 167. in *Cauſo* ſeu febre ardenti ægri *internis partibus a febri exurantur, externis autem frigidi ſint. Et lingua ac fauces ab interno ſpiritu ac caliditate exaſperentur ac areſcant.* Quanquam enim hæc non omnibus Cauſis propria ſunt, attamen ad alterum ipſius *genus* pertinent, ſicut *Hippocr. de Vict. acut. XXXV. p. 298.* ſe explicat, quod alio nomine dicitur *febris Leipyria.* Hanc equidem Syluius, non ſolum eruditione, ſed etiam praxi Celeberrima, Leydæ quondam eminens. *Pr. L. I. C. XXIX. §. 31. 32.* prorſus negat, *quaſi non meminiſſet vnquam ſibi obſeruatam, vt hinc dubitandum ſit, an vmquam talis exiſtat.* Verum Summus hic Vir nodum hunc, quaſi Gordium, rarefactioni ſuæ febrili maxime obſtantem, agnoſcens, illum explicare nequicquam diu luctatus, ad imitationem M. Alexandri, tali modo, quaſi ferro, ſoluere tentauit, manifeſto documento, Medicos, cum præiudiciis theoreticis ſe permittunt, ipſorum ſenſuum ac experientiæ vſum dediſcere. Euidentia enim huiusmodi febris exempla ex *Döringio Bonet. in An. Pr. p. 741.* ac *Zecchio p. 1480.* proponit, ex quo etiam illud de infante, cuius iam aliquoties facta eſt mentio, adducit *Riuer. Pr. L. XV. C. I. p. 509.* & ſi anguſtia loci huius permitteret, in promptu

ptu haberem, per integram centuriam exempla ſimilium ægrotorum Conſtitutionis An. 1700. febribus petechiali-purpuriſantibus, laborantium, qualis, cum coniunctione Saturni & Martis, per Ianuarium A. C. diuturnum adhuc morborum ſilentium ruptura videtur. Adeoque quouis fundamento haud deſtituitur illa, durior quidem, cenſura Helmontii, quam *de febr. C. I. 13. p. 740.* proponit, in hæc erumpens verba: *Eſt lethalis ignorantia, febrim per calorem male definiuiſſe, ſi iuxta definitionem eandem* (refrigerando) *curauerint. Imo per L. Corneliam de Sicariis in illos agendum, qui* hoc modo *male curant pertinaciter eos qui ſuam vitam ipſis concredidere, vtpote quorum reatu tot millionum myriades tam infauſte necantur.*

§. III. Etiamſi verò eiusmodi integræ febres, quæ totum ſuum curſum, vel omninò, aut ferè, cum extremorum frigiditate abſoluunt, rariores ſint, attamen ſatis eſt, illam ſæpe ſæpius in febribus malignis cum calore acuto commutare, imò in illius extincti, locum intrare; quod vero maximum eſt, non cum ægrotorum euphoria, & bona ſpe reconvaleſcentiæ, ſed potiùs cum terrore funeſti exitus, ad minimum difficillimæ morbi protractionis hoc obtingere. Vt ſummopere mirandum ſit, Doctores, maio-

rem & ferè unicam caloris p. n. extinguendi in febribus rationem habere, de perfrigeratione præcauenda & recaleſcentia promouenda parùm ſollicitos, cùm tamen ex ipſa grauiſſimum & ferè certum mortis periculum inſtet, longeque grauius, quam ex calore, vt inde, omninò longè maioris momenti, maiorem quoque conſiderationem mereatur. Autorem horum iterum habemus Hippocratem, qui talia nobis variis in locis inculcat. dicens: e. g. *de Vict. acut. XLVIII. 10. Vol. 2. p. 307. Si animi deliquia adſint, tali remisſio febris* ſ. caloris *contingere ſolet, fidem verò ne habeas febrium remisſioni, nam qui talia ſigna habent, de vita periclitantur. ſ. 4. aph. 48. Vol. 1. p. 87. In non intermittentibus febribus ſi externæ partes quidem frigidæ fuerint, interna verò ardeant, ac ſitim habeant, lethale eſt. S. 7. aph. 1. p. 103. In acutis morbis frigiditas extremarum partium, malum. Coac. III. 345. p. 570. Caput & pedes & manus perfrigerari, aluo & lateribus calidis, malum eſt. Optimum autem eſt, totum corpus ſimiliter calidum ac molle eſſe. L. I. Præd. VIII. 5. p. 476. Perfrigerationes, ex rigore non recaleſcentes, malæ. Sudantes, ex perfrigeratione non recaleſcentes, malum. In his ardor doloroſus in lateribus & inſuper rigere malum eſt. Aeſtuoſi rigores aliquatenus pernicioſi & flammea facies cum ſudore in his mala eſt, in his frigiditas poſteriorum partium conuulſionem accer-*

accerſit. Coac. I. 2. p. 523. Moleſtè ferre morbum cum perfrigeratione, peſſimum. Ex perfrigeratione timor & triſtitia præter rationem in conuulſionem ſinit. de Vict. acut. XLII. 7. Vol. 2. p. 303. Plerumque in febribus *futuræ exacerbationis ſignum eſt pedum frigiditas & rurſus iuxta proportionem cum febris ſoluitur & in tenues partes* ſanguis coagulatus *dirimitur, ad pedes calor deſcendit, poſtquam verò calor ad pedes deſcendit, etiamſi non ſudanti, omnia deſinunt.* Quomodo ipſa proxima mors ab extremorum corporisque perfrigeratione ſignificetur, delineant *ſ. 8. aph. 10. 11. 12. 13. 14.* ſequentia: *Hæc igitur in febribus acutis obſeruare oportet, vti noſcamus, quando quis moriturus & quando quis euaſurus ſit. Teſtis dexter frigidus, conuulſusque, mortiferum eſt. Vngues nigri & digiti manuum ac pedum frigidi, mortem proximam eſſe, ſignificant. Labra liuida & frigida mortifera. Aures frigidæ pellucidæ lethales ſint. Coac. I. 1. p. 523. Qui ex rigore perfrigerantur, caput ac collum dolentes, voce deſtituti, inſuper exſudantes, poſtquam ſe recollegerint, moriuntur.*

§. IV. Quod vero maximam obſeruationem meretur, extremorum, imo totius corporis, hæc perfrigeratio per febres ſæpe ipſis deliriis iungitur, quæ tamen Grauiſſimi Autores plerique ſignum & productum caloris p. n. ſumme aucti, ſeu efferueſcen-

 tiæ

tiæ febrilis, admodum excedentis, exiſtimant, quemadmodum noſtrates, talia nec attendentes nec ponderantes, ex Hippocrate addiſcant, aiente: e. g. *de dieb. judicat III. & IV. & de intern. affect. L I. Acuti morbi fiunt a bile* (acida) *& horror & febris corripit, atque hæc quidem ab initio morbi ipſi ſunt ex interuallo, quandoque vehementer, quandoque minus. Quanto autem morbi tempus magis progreſſum fuerit, tanto maior ſit dolor in corpore & delirat æger, pedes autem ſemper ſunt frigidi. L. I. Praed. I V. 1. p. 473. & Coac. I. 101. p. 527. Moleſte ferre morbum cum perfrigeratione, ſi non ſine febre partes ſupernæ exſudent, phrenitim portendit, quemadmodum etiam Ariſtagoræ, ſed & pernicioſum hoc eſt. Frequentes in phreniticis permutationes* caloris & frigoris *conuulſoriæ ſunt L. I. prædict. IV. 6. Coac. I. 147. Saliuationes in phreniticis cum perfrigeratione nigra reuomuntur L. VI. Epid. S. VIII. 5. p. 818. Quæ in ſomnis exacerbantur, & quibus extrernæ partes perfrigerantur & mens turbatur & alia, quæ circa ſomnum ſunt eiusmodi* (maligna ſunt) *L. I. d, morb. XXX. 16. At ex phrenitide ita perit, & primum quidem extremæ partes minuuntur & perfrigerantur, deinde ipſis proximæ de Vict. acut. XXI. 9. aliquando* (in morbis acutis) *triſtes ac amarulenti fiunt, & delirant & extremæ partes perfrigerantur. XXII. Hæc autem, in principiis comparentia, vehementis*

delirii

delirii ſignificationem præbent & plerumque moriuntur.

§. V. Hippocratem ex ipſa experientia hæc addidicisſe, monſtrant abundantes eius obſeruationes. Quomodo *L. I. Epid. S. II. 44. p. 659. In continuis violentiſſimis febribus erat frigiditas extremitatum multa, vix recaleſcens. ibid. 52. p. 666. Cum igitur febres ardentes inciperent, ſignificationem de ſe præbebant, quibus pernicies immineret, multum delirabant, extremitates frigidæ, pedes ſummi & maxime manuum partes ſummæ. Plurimis autem IV. die dolores maximi & ſudores plerumque ſubfrigidi & extremitates non amplius recaleſcentes, ſed liuidæ, ſubfrigidæ, & neque ſitiebant. L. II. Epid. S. II. 90. p. 695. Quibus angina erat cum febre, hi multo magis & difficulter ſpirabant & aliena loquebantur & pedes omnibus quidem erant frigidiſſimi, maxime autem his & quidam non ſtatim moriebantur, quos autem ego noui, omnes mortui ſunt. L. III. Epid. S. III. 58. p. 724. In febribus ardentibus, itemque phrenitide circa exacerbationes obliuio, exſolutio & vocis priuatio, extremitates manuum ac pedum ſemper his frigidiores, præſertim circa exacerbationes, & rurſus tarde & non bene recaleſcebant, rurſumque intelligebant & loquebantur. Moriebatur vnusquisque, prout contigit erroneo modo, plerumque circa iudicationes.* Hæc generalia ſpeciales ægroti confirmant. e. g. *L. I. Epid.*

 S. III.

S. III. Aegr. I. Philiſco I. die febris acuta. III. per noctem omnino delirauit, V. noctem laborioſam habuit, deliramenta, extremitates vndique frigidæ & non amplius recaleſcentes, ad diem voce deſtitutus eſt, frigidum ſudauit, extremitates liuidæ, circa meridiem VI. die mortuus eſt. Huic ſudores frigidi perpetuo. Aegr. II. 673. Silenum febris corripuit, III. die, nocte nihil dormiuit, ſermones multi, riſus, cantus, continere ſe non potuit. VI. extremitates frigidæ, liuidæ, febris (ſeu calor) acutus. VII. voce deſtitutus eſt, extremitates non amplius recaleſcebant. VIII. ſudauit per totum frigidum ſudorem (hinc variolorum) *papulæ paruæ, velut vari, permanebant, non abſcedebant* (ſeu ſuppurabantur) *extremitates parum recaleſcebant, ſomni tenues, ſoporoſi, X.* (quaſi anginoſus, ſicut in variolis ſæpius ſolet) *potum non ſuſcipiebat, ſoporoſus erat, ſomni autem tenues; minxit aceruatim ſubcraſſum* (aliquandiu) *repoſitum. Hypoſtaſis craſſæ farinæ ſimilis, alba. Extremitates rurſus frigidæ. XI. mortuus eſt. Aegr. III. p. 673. Herophon VI. die delirabat ad noctem, ſudor, frigiditas, delirus permanebat. VII. perfrigerabatur, delirabat IX. ſudauit, iudicatus eſt, morbus intermiſit.* Huc porro pertinent ibid. *Aegr. IV. Philini vxor. Agr. VIII. Eraſimus. L. III. Epid S. I. Aegr. III. Qui in Dealcis horto decumbebat. S. II. Aegr. VI. Euryanactis filia. Aegr. VII. Anginoſa. Aegr. XII. Mulier in mendacium fore.*

ſoro. L. III. Epid. S. III. Aegr. III. Pythion. Aegr. V. In Lariſſa caluus. Aegr. XIII. Apollonius Ictericus. Aegr. XV, Dealcis vxor. L. IV. Epid. XXIX, 2. Senex ægrotans ſimul cum vxore ſua. L. VI. Epid. S. VIII. 89. Scheneus. L. VII. Epid. IX. Chartades. 31. Hermoptolemi vxor XII. 8. Balis filius XV. Theodori vxor. Pluribus exemplis ex Hippocrate cumulatis, pauca iam ex noſtratibus ſufficiant. Inter alia tale ſuggerit *Loſſius L. III. Obſ. XXXI. p. 246. de Matrona, cui ex Iliaca paſſione tandem ſuperuenit ſingultus & delirium cum extremorum frigiditate ac* breui mors. Quomodo etiam, velut *e Piſone* recenſet *Bonet. in An. Pr. p. 1453. in Viro illuſtri, febre tertiana maligna* (& fortaſſis ſimul continua,) *laborante, V. morbi die loonge grauiſſimus repetiit paroxyſmus, cum ingenti extremorum refrigeratione, obliuione, deſipientia, comate vigili, vnde breui obiit.* ex *Zechio* p. 1408. *Marchioniſſa, ex febre, delira ſub finem, cum extremorum perfrigeratione ſe iactauit & hinc breui præfocata periit.* p. 1485. *Puer nouem annorum, febre continua prehenſus, cum vomitu extremorumque perfrigeratione breui obiit. p. 1507. Varioloſo Principi poſt ſoporem d. IX. frigeſcebant extrema, d. X. febris acuta, ſudor ſymptomaticus cum virium reſolutione, vnde poſt conuulſiones, breui mors ſuperuenit.* Quam male etiam *algidum extremorum frigus in Variolis* ominetur, vide ſis *Tulp. L. IV. Cap. LII. p. 361.*

Diemerbr.

Diemerbr. de Variol. p. 502. Cuiusmodi triſte prognoſticon, deſcribente L. III. Ann. Pr. p. 297. A. 1697. per menſem decembris, mihi confirmabat Conſulis Numburgenſis filia, 20. annorum, cui variolis confluentibus cum ſaliuatione laboranti, ex errore quodam denudationis d. XI. ob recurſum incipientem puſtulis ſiccioribus, cum cardialgia & lipothymia, pedes perfrigerabantur, hinc illa d. XII. rauca, cardialgica, ſomnolenta, admodum languebat, facies, puſtulis magis ſicceſcentibus, detumeſcebat, in paucis punctula nigricantia putredinem maiorem & fere excellentem ſeu gangrænam minabantur; alii mores, ſolitam alias, verecundiam mutabant, imo circa veſperam per ferox delirium, ſtragulis reiectis, impudice, corpus denudabat. d. XIII. delira garriebat, puſtularum color in pedibus fuſcus euadebat, viribusque ſumme proſtratis, pulſu debili & celerrimo, ſe iactabat, d. XIV. paruæ breuique reſipiſcentiæ mox ſuccedens, anæſteſia epileptica oculos diſtorquebat, præter delirium ferox, palpebram alteram conniuentis, ſtrepitus bibenti magni fiebant, potum, metum ſuffocationis intentantem, reſpuebat & ſurſum ad naſum abſorbebat, tumore magis diſparente materiaque varioloſa recurrente, puſtulæ in manibus fere cortices pelluci-

lucidos, piſis coctis detractos, referebant, & decidentes nullam cruſtam relinquebant. d. XV. præter lecti permiſtionem, aſphyxiam, oris torturam, adhuc potum, ob difficilem deglutitionem, non ſuſcipiebat, hora veſpertina 9. poſt reſpirationem difficillimam, viciſſitudinesque caloris & frigoris obierat. Alias, referente L. IV. An. p. 718. An. 1694. menſe Auguſto, Naumburgi Opifex Latinus ſeu Cauſidicus Germanus, & Celebris mulierum curator I. die V. S. II. a pharmaco ſexies deiecerat. V. a ſudore petechiæ eruperant, d. VIII. per ſomnum noctu parum nugatus, mane vero reſipiſcens, manibus ſubfrigidis ſudabat (quod ſibi per ſanitatem familiare fuiſſe aſſerebat,) ſed, petechiis fere diſparentibus, ſtragula manibus voluebat, floccos legebat, a doſi ſpiritus volatilis ſudore recaleſcente, petechiæ rurſus quidem prodierant, ſed hinc (num ſubdelirus) veſtibus indutus, in ſtabulum deſcenderat, vnde petechiis recurrentibus, ſummo languore oppreſſus & in lectum reportatus ferociter delirabat, naſo albo & acuto, labiisque liuidis os torquebatur, pectus, ſpiritu ſublimi admodum anhelum, aliquot vehementibus pulſationibus percelli obſeruabatur, poſt binas horas obierat. Anno 1697. per menſem Februarium

Naum-

Naumburgi Cauſidicus Latinus, 30. circiter annorum, malo hypochondriaco & colicæ paſſioni alias admodum obnoxius, ab horrore d. III, aſſumpto pharmaco, vomuerat & deiecerat, d. V. e mediana ſanguis mittebatur. d. VI. velut ex certis rationibus ſuſpicabar, me diſſuadente ac inſcio, ex conſilio balneatoris affinis aluum, per biduum obſtructam, fol. ſennæ aperuerant, hinc ob vigilias ſacculo mercatoris crocato capiti ſuppoſito per ſomnum turbulentum nugari & floccos legere cœperat. d. V. a ſudoribus, ipſi ne vires ſibi diluerent, ſummopere metuens, pronus ſemper jacebat ac de ſuperiore parte lecti verſus inferiorem, cruribus valde incuruatis, delabebatur, oculos, quaſi ſomnolentus, vigil tamen, apertos aliquandiu ſeruare haud valebat, præterea cum perfrigeratione ſtragulorum impatiens, ſe iactabat, circa veſperam ſine ratione critica euphorus, multa de litibus ſuis in calamum dictauerat, d. VIII. manè ferociter delirabat, ſudore frigido madens, & manibus, imò toto corpore, quaſi in glaciem congelatis, vociferabatur, delirio vni, quaſi falſo ſuppoſito, cætera, admodum ingenioſa, miſcens. d. IX. mane mortuus erat. Ao. 1698. per menſem Ianuarium, commemorante L. V. Ann.

p. hic

p.361. huc Halis Prætor quidamProuincialis, aliàs lipothymiis admodum obnoxius III. die ex quo iam horruerat, licet fol. ſennæ proprio conſilio iam purgatus, per noctem capite inſomniis, ferè deliris, turbato, cardialgicus & cephalalgicus, cum multa ſiti parùm tuſſiebat. V. cum paruo alui fluxu pedum rigiditas malè ominabatur. d. VI. plantæ pedum pruriebant, externaque capitis cutis ad tactum dolebat cum euphoria. d. VII. poſt mite delirium, criticæ perturbationis, mane blandus ſudor manare coeperat, ſed ipſius impatiens & aliàs euphorus, aliquot exarauerat literas (& inter alias ad Medicum antehac ſibi ſolitum Magdeburgicum, cuius autem eruditum, vereque pragmaticum, reſponſum, vniuerſo morbi ſtatu mutato, reddebatur, & ſic ingenioſum illud commentum Boccalini Cent. II. Relat. XXXIV. de Medicis peregrinis conſulendis, obſeruatione quaſi, ſolidisſimè confirmabat) circa veſperam cum aurium ſonitu lectum repetens, graui comate vigili oppreſſus, delira nugabatur, poſt noctem, hinc ferè quietam, d. VIII. ſudor laudabilem mentiebatur criſin, etiam cum euphoria. d. IX. parua ſubinde recurrebat ignorantia, d. X. circa veſperam, cum nouilunio, ex paruo horrore, cum acerba præcordiorum anxiet,

xietate, pedibus calcitrans, ferociter delirabat, interna ſiti grauiter vrente, externa perfrigerabantur, pulſu, haud admodum debili, poſthæc recaleſcens, reſipiſcebat, d. XI. quieto quidem, ignorantia increſcere notabatur, ſuperuenientibus dentium ſtridore muſculorumque ſubſultibus, circa veſperam minùs dyſphorus, penitusque prudens, dentibus tamen ſtridebat. d. XII. perfrigeratio recrudeſcebat, maximè naſi, ſuperueniente ſingultu, rurſusque delirio, cuius ferocia, cum extremorum frigore increſcebat & parum remittente, remittebat, hinc breui a meſonyctio obiit.

§. VI. Nihilominus hic notandum venit, (1) non omnes ægros, imo ne quidem omnes febricitantes, lethales, ſcilicet, cum perfrigeratione mori, ſine dubio, quod mortis ſpecies plures ſint, & quædam oppresſione totali ſpirituum animalium, quaſi apoplectica, vitæ filum abrumpat. (2) Ex perfrigerationibus nonnullos, etiam acutè febricitantes, reconualeſcere, vt adeo Hippocratis vox τȣ̃ θανασίμȣ, velut etiam aliis, textibus declarat, non de ſimplici lethalitate accipiatur, ſed de tali, quæ, ſine culpa Medici, eiusmodi ægris plurimis vitam eripit. Quod aſſertum vt confirmem, plures ex integris quaſi febribus leipyriis reconvaluiſſe.

valuiſſe, exemplis docere poſſem, quos verò ad centuriam, quam promiſi, reſeruare conſultius duco, aliquot verò mulierum, huc facientium, ideo hic omitto, quia partim purpuræ, partim paſſionis hyſtericæ ſuſpicio de ipſis coincidit. Commodiora itaque videntur Virorum ſequentia: Anno 1673. Lanionis filius 18. annorum, per duas tresue circiter ſeptimanas, ignarus omnium, etiam Patris, per hos dies mortui, febricitauerat, cum adhuc aliorum Medicorum & medicaſtrorum conſilia miſcuiſſent, denique meum implorabant. d. XIV. Auguſti ſudabat, caput tantum, per vices frigidus, perpetuo delirus & ſurdus, d. XVI. ſe iactabat. die. XVII. ſtercora, parum cruore tincta, deiecerat (non tamen, velut aurigæ Obſ. II. adeò nigricantia) vnde indies, euphoria increſcente, reconualeſcebat. Anno 1682. Senator Freiburgenſis 30. circiter annorum, d. 5. Iun. ab horrore die circiter VII. cum ardore magis interno, externo vero calore tenui, anxietate præcordiorum tuſſique febricitabat. d. X. cum per hos dies quotidie menſuras plures cereuiſiæ frigidæ hauſiſſet, alvo obſtructa cum ventris torminibus, ſudorem, plerumque frigidum ſudabat. d. XI. per tres horas moribundus jacuerat, hinc vires parum recolligenti, liuor in altero oculo erupuerat, qui

die XIII. ſenſum diſcuti cœperat, ſed adhuc continuo ſudore frigido manante, nihilominus ſuperſtes euaſit. Ao. 1696. Studioſus 22. annorum, ante aliquot ſeptimanas aquas frigidas fontis ſanitatis, velut loqui amant, Raſſeburgenſis hauſerat, per hos dies ex horrore febricitare cœperat. d. IV. circiter cardialgia compreſſiua angebatur cum cordis tremore, ventris meteoriſmo, ſpaſmis crurum, capitisque temulentia, nihilominus vena ſecabatur. d. VI. per noctem recurrentem cardialgiam, pedibus frigidis, labiis pallidis, carneque colliquante augebant cordis palpitatio lipothymiæque, donec ab vſu Elixir. volat. Caſtorei ſudor, adhuc frigidus, recaleſcens, & per duas horas continuans, dyſphoriam illam grauiſſimam ſoluerat, vnde ſenſim reconualeſcebat.

§. VII. Perfrigerationis cauſam vt iam enodemus, eſt illa, cum corpus vniuerſum, aut pars quædam ſpecialis, vna aut plures, cruoris vitalis, parcius influentis, genio defraudantur; quod duobus modis obtingit, (1) ipſius quantitate imminuta, velut ab hæmorrhagiis, tam ſpontaneis enormibus aut ſymptomaticis, monente *Hippocrate Coac. III. 61. p. 553. Ex naribus erumpente ſanguine, cum exiguis ſudoribus perfrigeſcentia maligna ſunt.* vt *Williſius quoque Pharmac. Rat. P. I. p. 240.* confir-

firmat; quam etiam quaſi artificialibus, ſanguinis ſcilicet miſſionibus, in ſpecie per venæ ſectionem, aut nimis aut intempeſtivis. Hoc modo *puerperæ*, vt ex *Ballonio* recenſet *Bonetus in Anat. Pr. p. 568.* cui *decies aperta fuerat vena, inæqualitas ſuperueniebat caloris & frigoris.* Idem p. 692. teſtatur, aliam *puerperam*, *à crebris & ſine neceſſitate factis ſanguinis emiſſionibus, ſyncope ſubitò prebenſam, paucis poſt diebus interiiſſe* (ſine dubio cum perfrigeratione;) *poſt mortem vaſis omnibus totoque corpore ſanguine deſtitutis.* Quarum obſeruationum ſine dubio plures, maximè per Gallorum, Italorumque ſcripta legerentur, ſi eodem candore, quo Hippocrates, æque mortuos ægros nobis reliquiſſent. Veriſſimum enim eſt illud *Hipp. Coac. III. 92. p. Sanguinis detractiones acernæ lædunt*, maxime vero per perfrigerationem. Quomodo etiam iuxta L. VIII. Annal. Pr. p. 355. Anno 1701. menſe Maio, IV. morbi die Halurgi uxor ſatis robuſta, proprio conſilio è mediana ſanguinem miſerat, quem dein pellicula ſubviridis obduxerat, vnde ſeqv. die cum anxietate præcordiorum, per noctem deliræ, manè corpus exterius, cum ardore tamen interno & cardialgia frigeſcebat, & die VI. demum poſt vſum ſpiritus volatilis & Tinct. Lili præter miſturam bezoardicam, recaleſcebat, quanquam febris hinc ipſi pur-

pura cum ſalute iudicabatur. Idem oſtendit D. coniux Obſ. I. cum tamen ſanguinis emiſſi quantitas libra ſ. minor eſſet. Vix igitur ſatis mirari licet, hinc inde legi, non ſolum Italos & Gallos, ſed etiam Anglos & Belgas quosdam, Williſium, Tulpium & Diemerbroccium, qui tamen in peſte V. S. omnem penitus damnat, in febribus malignis ad uncias viij, libram vnam & quidem aliquoties & iterato, vel eodem die, ſine noxa, potius cum leuamine, ſanguinem profudiſſe. Pariter in eadem obſeruatu dignum erat, venæ ſectionem alterum brachium, illa quaſi læſum, præ reliquo corpore, perfrigeratione grauius affeciſſe. Haud abſimili modo ſecundum L. IX. Annal. p. 322. Anno 1702. menſe Maio in paupercula ſexagenaria, pleuritico peripneumonica, ob vrgentes dolores & dyſpnoeam, ſanguinis unciis tribus miſſis è mediana lateris affecti, tantum illud bracchium, reliquo corpore calido, per biduum manebat frigidum, cum tamen dolores & dyspnoea, totusque morbus mox hinc leuaretur, imo denique penitus ſuperaretur, ita vt per hanc hyemem nullum eius veſtigium, velut quidem ſæpius ſolet, ſuperſit. Quamobrem fidem meretur *Hipp. L. VII. Epid. LIV. 12. de Halicarnaſſenſi* animaduertens, *quod à venæ ſectione ipſi fuerit caput læſum, euacuatum & perfrigeratum,*

tum, ac æger inde phreniticus factus & mortuus. Hinc futilitatem ſapit, phreniticorum mortes ſemper ex omiſſa venæ ſectione deducere. Illa regula de ſanguine in illis mittendo, multis exceptionibus circumſcripta, pariter τὸ προσξευκρινέειν Hippocratis poſtulat. Ex quibus etiam ſymptomatis huius, alui fluxus & dyſenterias funeſtè concludentis, ratio facile deſumitur.

§. VIII. Pro perfrigeratione corpus ipſum, aut pars ſanguinis genio defraudatur per contrariam qualitatem (2) actualis frigoris; ſicut Alexander M. commemorante Curtio, ingreſſu amnis frigidi, Cydni, ſuo comprobauit exemplo, cui ſimilem obſeruationem de iuuencula ex *Salio recenſet Bon. An. Pr. p. 684.* Qui error etiam per copioſam ingurgitationem potus frigidi committitur; quomodo *Hipp. L. V. Epid. S. VIII. 89. p. 822. Scheneus, qui, multum luctatus aduerſus fortiorem & in caput lapſus, digreſſus multam bibit aquam frigidam, poſtea illa nocte extremarum partium frigiditates, poſtridie delirauit, III. die frigiditas extremarum partium, mortuus eſt.* Hæc quoque ſuis exemplis comprobant. Obſ. II. auriga Naumburgenſis & Obſ. huius Senator Freiburgenſis, ſimilemque obſeruationem de ſe relinquere voluit Medicinæ Candidatus, ſecundum L. IX. Ann. Pr. p. 613. Anno 1702. menſe

Nouembri, ex apoſtemate abdominis, nullum decubitum admittente, colica iuncta, febricitans, hæmorrhagia tamen narium critica, iuxta *Hipp. Prænot. VI.* nondum omnem ſpem denegante; qui, cum ex conſilio Medici, peregre aduocati, ſitim & ipſam febrim potu aquæ frigidæ, ſaltem per vnam noctem, extinguere tentaſſet, mox per diem, ſuccedente extremorum perfrigeratione, hincque totius corporis, cum ſudore, breui ad plures abibat. Præterea notam meretur, actualis frigoris grauisſimam noxam, vnam, partibus debilitatis Ideam ſui quaſi imprimere, vt ex leuiſſima ſimili cauſa perfrigeratio rurſus debilitet; cuius exemplum L. IV. Annal Pr. p. 29. offert de Xenodocho Camburgenſi, qui anno 1681. febre, cum perfrigeratione lipothymiisque oppreſſus, meum conſilium per uxorem rogabat, cæteris adiicientem, marito, ex quo grauiſſimas iniurias aquarum frigidarum, ob Salæ inundationem quandam, paſſus fuisſet, hoc malum familiare remanſiſſe, vt, niſi potu, igne calefacto, vteretur, mox totum corpus, in glaciem quaſi, congeletur, quanquam & hinc, ſuperſtes euadebat. Pariter L. III. Annal p. 512. teſtatur de Lanione Naumburgenſi, quod febre leipyria, cum acerbiſſima ſiti, ſuperata, retulerit, ſe olim

per

per diuturnum frigus aquarum, niuoſarum ſtagnantium, pedes admodum corrupiſſe.

§. IX Huius vicem, quaſi potentiale frigus, ſubit (3) cruoris vitalis coagulatio, ſicut *L. I. de morb. XXVII. Vol. 2. p. 32.* Hippocrates elucidat, dicens: *In febre ardente, ſi partes omnes* (ſeu ſanguis per ipſas coagulatione) *reſiccatæ fuerint, homo moritur. Extremæ verò corporis partes reſiccantur & plurima humiditas ex ipſis exuritur, & ſi ipſas contingere velis, frigidas comperies.* Clarius mentem ſuam exponit *ibid. XXX. 16. Vol. 2. p. 35.* talibus. *At ex phrenitide ita perit. Deſipiunt nimirum ſanguine corrupto* (ſcilicet per coagulationem) *& ex conſueta motione emoto* (id eſt, ſolita ipſius circulatione ſufflaminata.) *Et primum quidem extremæ partes conſumuntur ac perfrigerantur, deinde ipſis proximæ. Sed & frigiditatis & febris principium hoc habet: cum ſanguis, qui eſt in venis, perfrigeratus fuerit a pituita, transmutatur & conuellitur* (ſc. homo) *accervatim alias alia parte, & tremit, tandem verò omnia perfrigerantur & moritur.* Confer. *ibid. & XXII. & XXVIII.* Item *de Vict. acut. XXXVII. 15. Vol. 2. p. 300. Ut aliquis*, inquit: *decepente aphonus fiat, venarum interceptiones faciunt, corrupto ſanguine, & ſpiritibus* (eiusdem) *non potentibus naturales in ipſa vias permeare* (per circulationem,) *perfrigera-*

 tiones

tiones fiunt ex ſtatione. de morb. ſacro VIII. p. 334. Pituita perfrigerat & ſiſtit ſanguinem, dominatur enim ſanguini per frigus, ipſumque congelat. IX. 4. perfrigeratur ac congelatur (πήγνυται, concreſcit) *ſanguis.* Per ipſam autopſiam Anatomicam hæc confirmat *Spigelius in epiſtola ad Soph.* quam lege ſis in *Bon. Anat. Pr. p. 684.* aſſerens, *ſe in illis ægrotis, in quibus partes extremæ friguiſſent, interioribus verò calidis & uſtis, non tantum cordis ventriculos, verum etiam venæ cauæ & arteriæ magnæ truncos, ſanguine viſcido ac concreto repletos deprehendiſſe, ita vt, inciſis illis partibus, ſatis oblonga ac vnita iſtius ſanguinis coagulati portio extrahi potuiſſet, hinc pulſum paruum & vermiculantem obſeruari.* Ab hac haud abludit *P. Salii* obſeruatio de *puella*, quam *Idem* recenſet *p. 683. & Riuer. in Pr. L. VIII. C. I. p. 320.* His conueniunt Obſeruationes aliæ Anatomicæ, tam extra, quam per febres, legendæ *in Bon. p. 238. 1328. 1449. 1673.* in ſpecie *p. 1507. in variolis cum perfrigeratione.* In quibus, diſcretis tamen, referente L. IX. Annal. Pr. p. 570. anno 1702. menſe Octobri, Dni Conſiliarii filiolæ 7. annorum, d. IV. & V. hæmorrhagia narium largum cruorem profundebat, mox fere per ipſum profluuium totum concreſcentem, cui, capitis dolore quidem hinc leuato, puſtularum ſuppuratio præter ſolitum protrahebatur, d. XI. in lotio

lotio *exalbido grauiter olenti*, hypoſtaſis ſpargebatur craſſe farinacea (qualis in Sileni, varioloſi Hipp. fuit,) recurrentibus ſimul horroribus, & denudatum corpus perfrigerationibus moleſtantibus, d. XIV. miliaria exanthemata alba in pectore, variolæque nouitiæ iudicationem, nondum tamen, perficiebant, quanquam dysphoria, exinde ſenſim decreſcens, reconualeſcentiam afferebat. Sanguinis, vena ſecta, in cuiusdam epileptici ipſo paroxyſmo emiſſi, coagulationem deſcribit *Willis. de morb. conv. C. V. p. 77.* ſicut quoque *Galenus* notat, *in hoc pacto affectis corporibus ſi ſanguis detrahatur, eundem frigidum, craſſum & vix effluentem conſpici.*

§. X. Malunt quidem aliqui (4) hanc extremorum perfrigerationem, non, niſi a gangræna cuiusdam viſceris, deducere, neque adeo male, cum obſeruationes Anatomicæ teſtentur, poſt illam defunctorum cadauera hanc ipſis oculis expoſuiſſe. Quomodo *Hild. C. IV. Obſ. LXVIII. p. 371. Timæi in Bon. p. 1617. aliorumque p. 897.* in illa gangrænam inteſtinorum docuerunt; ventriculi *p. 796. 922. 1579.* epatis *p. 741. 796. 859.* Quam etiam in Camerario Naumburgenſi Anno 1678. ex febre hectica poſt perfrigerationem cum acerba ſiti demortuo, arguere videbatur huius

viſceris, in gibba parte, exterior macula, thaleri magnitudine, vbi locorum per duos vltimos dies acerbiſſimo dolore, quaſi à carbone candente, vri conquerebatur, quem etiam haud maiori ambitu circumſcribebat. Num vero gangræna illis demum diebus ſuperuenerit, an vero cum ipſa perfrigeratione, vtpote longioris temporis coeperit, haud auſim nec affirmare, nec negare. Verum obſeruatio in *Bon. An. Pr. p. 900.* teſtatur, quendam, a perfrigeratione defunctum, gangrænam haud oſtendiſſe. Præterea poſt illam multi ægri quoque reconualeſcunt, quod de eadem viſceris cuiusdam vix concipiendum eſt, vtpote omnino grauiore, quam in artu quodam exterius incipiente & illa tamen periculoſiſſima. Iccirco magis veriſimile videtur, perfrigerationes ac gangrænam ſanguinis congelaſcentis, communes haberi effectus, ita quidem vt ad illas minor, maior ad hanc, requiratur, ſicut innuunt exempla pedum frigeſcentiæ, gangrænam antecedentis in *Hild. Cent. II. Obſ. 89. & tract. de gangrana C. IV.* reperiunda. Quamquam e contrario hanc, totum dein ſanguinem congelaſcentia inficiendo, perfrigerationis priorem & occaſionalem cauſam ſubinde contingere poſſe, haud ſit inficiandum.

§. XI. Coagulationis ſanguinis proximam,

mam, & hinc perfrigerationis remotam, cauſam acorem hoſtilem præbere, indigitat *Hipp. de dieb. judic. III. & IV. item de intern. affect. L I. vbi delirium cum pedibus frigidis a bile* deducit. Sicut autem hæc eidem duplex eſt, *amara* & *acida*, ita de hac potius, ex Platone, optime illa declarat ſummus ſæculi noſtri Medicus. *Wedelius in Miſcell. Curioſ. An. 1671. Obſ. 197.* Ipſe vero *Hipp. de Vict. acut. XXVIII. 21. p. 292. Acetum*, ajens *mulſum* (& ſic omne acidum) *& alias debilitat, & extremas partes frigefacit.* Acorem vero ſanguinem coagulare, euidentiſſime ob ipſos oculos ponunt varia experimenta, *Borrichii, Boylei*, in ſpecie illud, quo cani viuo vena ſecatur, ſpiritus vitrioli, aliusue acidus per ſyringem infunditur, vbi mox totus ſanguis coagulatur, velut hoc per autopſiam Anatomicam confirmant *Lowerus Kerkringius, Grafius, Fracaſſatus, Drelincurtius*, ſicut ex huius diſputatione quadam recenſet *Bon. in An. pr. p. 961.* Quale & ego hiſce meis oculis, ab ipſo Leydæ inſtitutum, vidi, æque ac antea Lipſiæ, a D. D. Bohnio & rurſus Amſtelodami a Dno Bidlovio, tum temporis Chirurgo, ſed iam ſimul Anatomico Celeberrimo, deinde apud Leydenſes Profeſſore Meritiſſimo, ac quondam Maximo exercitationum propriarum Anatomicarum, per cadauera humana, Promotore. Acorem

vero,

vero, huic coagulationi inducendæ aptum, ipſi corpori humano in ſtatu morboſo haud deeſſe, creberrimi ructus vomitusque acidi teſtantur, quos cum perfrigeratione jungi docet *Hippocr. L. II. de morb mul. XVIII. 3. Vol. 2. p. 547.* vbi de ſuffocatione hyſterica docet, *quasdam etiam vomere, quandoque ſaliuam acidam & os aqua impleri & crura perfrigerari.* Magis autem euincunt tales ſudores, vtpote quorum graveolentia acida per conſtitutionem anni 1700 febrium leipyriarum, petechiali-purpuriſantium, integra conclauia tædioſe complebat, naresque meas viſitantis moleſtiſſime offendebat. Eundem acorem anno 1699, menſe decembri, deſcribente L. VI. Añ. Pr. p. 521. grauiſſime ſpirabat & fonticulus & ſudor d. V, in Viro pl. Reuerendo, qui ex eryſipelate vere peſtilenti, & per ſuam naturam, febrem ſumme malignam ſecum ferente, (ſi conferas Hipp. L. III. Epid. S. III.) dein defungebatur, cuius ſanguis ex venis raninis die VI. (ad ipſius in judicando vniuerſæ tyrannidis imitationem) miſſus, in vnum thrombum concreſcebat, d. IX, poſt illarum V. S. iteratam, mox perfrigeratione mortem accelerante.

§. XII. Acor hic hoſtilis eſt aut ipſi ſanguini inteſtinus, ſicut in febribus leipyriis eſſentialibus, aut ipſi extrinſecus aduenit, ex pri-

primis viis ventriculi & inteſtinorum, præſertim in colica, ſuffocatione hyſterica, ſicvt innuit *Hipp. L. II. d. morb. mul. l. c. & de dieb. iudic.* bilem de perfrigerationis cauſa arguens, velut, ſi ſuccum pancreaticum eius loco, haud abſone, accipias, optime deducit *Syluius Pr. L. I. C. XXXIV.* corroboratque, quod, *Williſio de morb. conv. p. 81.* aſſerente, *ſanguis epilepticorum ante paroxyſmum, ſecus, ac in ipſo detractus, ſero ſuo ſit dilutus*; maxime vero conualidat *A Sale* obſeruatio, de *nobili iuuene, qui, religioſe quadrageſimali ieiunio obſeruato, repente in ventriculi inteſtinorumque cruciatus vehementiſſimos incidit, cum vomitibus, cordis oppreſſione, ſiti & vehementiſſimo ardore, ſine febri tamen* (ſcilicet calore externo,) *huic poſt quatuor dies abdomine tenſo & doloroſo, cum cordis deliquio, deſiderio vomendi, ſummaque corporis iactatione, tumor ventris creſcebat, pulſu paruo, tardo, febris adhuc nulla obſeruabatur, ſuperueniebant tamen frigiditas extremorum, anxietas, deliquia, frigidi in fronte ſudores, hora VI. ex humanis diſceſſit.* Hoc anno 1703. vide L. X. Ann. p. 17. Primipara 18. annorum, tertia iam ſeptimana a partu, lochiis ſ. n. adhuc bene fluentibus, euphora vixerat, ſed hinc, illis tamen mox ceſſantibus, d. 9. Jan. cum quadrato Saturni & Mercurii, cardialgica & cephalalgica, cum horroribus repeten-

minori ſpirituum animalium influxu, ſanguinis, non tam ipſa tantum ſtagnatio, quam ſaltem tardior circulatio, pro ſanguinis coagulatione & perfrigeratione valeat, *ſomnus* docet, iuxta *Hipp. de flat. XX. 7. Vol. 1. p. 411. omnibus animautibus communis. Cum enim corpus ſomnus invaſerit, ſangvis frigeſit. A natura enim ſomno frigefaciendi vis ineſt, infrigidato autem ſanguine, languidiores fiunt eius motus* (circulationis.) Qualia *Williſ. de anima brut. P. I. C. XVI. p. 229.* per commentarium quaſi, talibus elucidat: *Unusquisque in ſeipſo experitur, inter dormiendum præcordia primum æſtuare, parteſque externas ad frigeſcendum aptas eſſe, quare has ſtragulis cooperiri opus eſt, quo effluuia, circum ambitum corporis detenta ipſum excalefaciant. Hinc ſub dio, aut alicubi extra lectum dormientes, niſi veſtibus bene muniantur, frigus contrahunt.* Horum veritatem, etiam in ſtatu morboſo, ob oculos ſiſtit in *Eiusdem Pathol. p. 129. Vir illuſtris, cuius diurnam affectionis ſpaſmodicæ moleſtiam tempore nocturno, & ſtatim à ſomno, longè grauiora excepere, nam recens expergefacto illicò totum corpus horreſcere; ſinguli artus, velut inſtanti mortis agone, ſudore ſqualido perfundi ſolebant, qui in tantum corroſiuus erat, , inſtar aquæ fortis, lintea, ni ſtatim abluerentur, exederet & corrumperet.* Non abſimili ferè modo, referente L. VII. Annal. p. 743. Anno 1700. menſe

ſe Septembri, Matrona Nobilis, cui, ab eryſipelate, febris mox cum ſudoribus frigidis incipiebat, denique purpurata, a ſomno ſemper grauiſſima dyſphoria debilitabatur, vt ſuos rogaret, vt illum, obrepentem, omni ſtudio a ſe arcerent. Quamobrem illa cautela, ne a venæ ſectione mox ſomnus ineatur, haud penitus negligatur, vt ſanguinis coagulatio inhibeatur, & circulatio magis promoueatur.

§. XIV. Ordo iam perfrigerationis indicationes tangit, poſtulantes, vt reſarciatur detracta ſanguinis quantitas, ipſiusque coagulatio reſoluatur. Ab illis igitur 1. Venæ ſectio potius contraindicatur ſeu prohibetur, docente *Hipp. Coac. III. 62. p. 553. Sanguinis detractio in perfrigeratione torpida, mala eſt. & 343. p. 507. In perfrigeratione,* (maxime) *non ſine febre, torpidos Sanguinis detractio lædit, & putantes, ſe melius habere, hi moriuntur.* Hinc grauiſſimi Autores, ob identitatem rationis, etiam in lipothymiis Sanguinis miſſionem haud admittunt. Rem claram faciunt ſuperius de hæmorrhagiis propoſita. Hoc poriſma ampliatur: (1) Venæ ſectionem a perfrigerationis, adhuc imminentis, ſignificatione prohiberi. (2) Venæ ſectionem, in principio febris inſtitutam, a perfrigeratione, circa exitum dein

ſuperueniente, intempeſtiuitatis præſumtione onerari, & omiſſam tempeſtiue confirmari. Quippe *Hippocr. aphor I. experientiam lubricam* (πεῖραν σφαλερὴν) vocat, quod licet ſenſuum firmitati, ex qua tamen illa enaſcitur, repugnare videatur, attamen ex hac ratione eſt certiſſimum, non ſolum Medicos ſæpius contradictorias prorſus opiniones, ab vtraque parte, pariter experientia tueri; ſed vulgus etiam Medicinæ incertitudinem, eo potiſſimum argumento, defendere, quoniam, quacunque methodo medendi obſeruata, ægri tamen ſubinde moriantur. Cuius præcipua ratio a cruditate tantum generalis experientiæ dependet, quam Helmontius non inepte *incurioſam & indiſtinctam* vocat; dum omnino quacunque methodo quis medicus incedat, tamen haud omnes ægrotos ſuos optata reconualeſcentia beare valeat. Hæc contra notetur (1) multos & fere plurimos ægros ex inobedientia perire; oſtendente *Hippocr. de arte XII. p. 7.* (2) multos morbos ſua natura eſſe inſanabiles ſecundum, *Eundem ibid. III.* in quos iure merito illud *Eiusdem L. V. Epid. XIII. 14. p. 778.* quadrat: *Quod ſi vero etiam omnia recte facta fuiſſent; tamen non videbatur ſeruari poſſe.* Qui caſus igitur, omni culpa Medici vacantes, cum culpoſis haud con-

fun-

fundantur, & experientia, ab illis purgata, ad ſpecialem ſuam certitudinem reſtringatur, alias omnino fallaci lubricitate deludit. Vt clarius mentem meam exponam; quemadmodum, ſi per ampliſſimum conclave, feneſtris apertis, intempeſto ſæviente gelu, caloris deficientis cauſa in eo quæratur, quod, fruſtula ligni, pauca tamen, vix minori hypocauſtulo ſufficientia, actu frigida, nec prius aquæ calidæ aliquandiu iniecta, fuiſſent in foco accenſa, vi brocardici, quod quis ipſe non habet, alteri dare non poteſt; Annon friuolæ tales argutiæ merito deriderentur, quoniam infallibilis cæteroquin experientia confirmat, hanc cauſam tali effectui minime conuenire, videlicet ab accenſis lignis frigus haud increſcere poſſe, illaque calorem, non ex identitate qualitatis, ſed ex cauſa accenſionis producere: Ita, ſi perfrigeratio morbum protrahit, aut funeſto euentu concludit, rectius Venæ ſectio antea inſtituta, aut acidorum refrigeratio eius mali cauſa accuſatur, quam violentus forte ſalium volatilium calor; adeo, vt ſi nihilominus poſt eorundem vſum illa ſuperueniat, cum cauſa tali effectui ſit inconueniens, alia potius inquiratur. Secus cum contra; e. g. monente Wepfero de apoplexia, hæmorrhagia narium, breui ante mortem aut etiam poſt ipſam, ſuperuenit.

§. XV.

§. XV. Verum his grauiter reclamare videtur ipſe *Hipp. de Vict. acut. XXXVII. Vol. 2. p. 299.* inculcans, *venam ſecare in aphonia* epileptica, in qua *ex venarum interceptionibus, ſeu ſpirituum per ipſas, extremitatum perfrigerationem coincidere*, ſubiicit. Huic pollicem premunt Gallus *Riolanus*, *Germanos* incuſans, quod *non curent athleticum corporis habitum, ſyncopes, aphoniæ & aſphyxiæ* cauſam, *liberali venæ ſectione exſoluere*; *Bontius*, catalepticæ aphoniæ, Indis frequentiſſimæ, a ſanguinis coagulatione, curam *a copioſa ſanguinis miſſione incipere*, imperans. *Bonetus in Anat. Pr. p. 1402.* corroborans obſeruatione propria, pueri epileptici, in quo, *tumente & rubente vultu, venæ ſectio per ipſum paroxyſmum* profuerit, item p. 467. de ſexagenario cataleptico, *cui aphono, oculis immotis & inconniuentibus, venis omnibus turgentibus, pulſus vix micuiſſet, vox vero & incolumitas, libris duabus ſanguinis miſſis*, rediiſſet. *Panarolus P. I. Obſ. XIII.* in ſimili caſu omiſſam venæ ſectionem cauſam mortis arguens, cum *poſt mortem omnes venas cruore turgidiſſimas, repererit.* Præ aliis vero *P. Salius Diuerſus*, adducente *Boneto p. 683.* multis præclaris præmiſſis, interſerens, ſe *in ſyncope, ex ſanguinis coagulatione, venæ ſectione cum aliis remediis, ab imminente ex hac vitæ diſcrimine multos præſeruaſſe.* Annal. propriorum L. III. p. 234.

p. 234. teſtatur, Anno 1679. per menſem Octobris, aulæ equeſtris Quæſtorem, 30. circiter annorum, ſucciplenum, poſt præcordiorum anxietatem, cum murmuribus ventris & alui obſtructione, aphonia epileptica oppreſſum, iuncta brachiorum rigiditate non ſolum, ſed etiam extremorum frigiditate, quoniam apoplecticum putatum, Sanguinem ex vena Mediana miſiſſe, a qua, ſudore frigido ſuperueniente, mentem & ſenſus ſe collegiſſe, inſequente euphoria, per literas ſequenti die referebat. Magis adhuc mirandum eſt, recenſente *Wepf. de apopl. p. 185.* Oxoniæ mulierem, ſuſpendio enectam (& ſine dubio perfrigeratam, præſertim, cum) *tempeſtate frigida in conclaui frigido per diem iacuiſſet, iterata venæ ſectione* à mortuis fuiſſe reuocatam. Quibus regerendum venit, Hippocratem l. c. notanter hanc cautelam apponere; *ſi ſano ea paſſio contingat abſque manifeſta aut alia forti cauſa; ſanguinem etiam detrahi debere, iuxta habitum ac ætatem rationem ineundo, an plus aut minus oporteat.* Itaque (I) ſi paroxyſmus epilepticus, non integer & continuus morbus, perfrigerationem ſanguiniſque coagulationem, neque ab inteſtino cruoris vitio, ſecum ferat, ſed cruditates primarum viarum, appulſu ſuo, eandem inducant, iuxtim etiam ad-

adſit plethora, ne vaſa, nimium ſanguine repleta, in ſyſtole ſua deficientia, ipſius circulationi haud ſufficiant, tunc, & quidem magis extra paroxyſmum, venæ ſectionem nonnunquam, ſumma prudentia inſtitutam, prodeſſe, aut ſaltem haud grauiter nocere, conceditur. (2) magis adhuc ob revulſionem neceſſariam, ſi non tam ob coagulationem, quam particularem quandam ſtagnationem, circulo a conuulſionibus, polypo, ſanguiniſque congrumati fruſto turbato, lipothymia dependeat, iuxta obſeruationem *Bonet. in An. Pr. p. 640.* vbi cordis palpitatio lipothymiam ſecum traxit; item in peripneumonia, monente *Ballonio*, vt legitur *ibid. p. 516. & 1464.* vbi pulmonum inflammatio increſcens, vaſa illa maiora ſimul comprimendo, ſanguinis reditum ad cordis ventriculum ſiniſtrum, inhibet, quo caſu *nec animi deliquia venæ ſectionem prohibere* tradit; quanquam etiam, ſimiles lipothymias perfrigerationem haud ita comitari, credere licet. Verumenimuero ex opinione Riolani & P. Salii, quaſi regulam conſtituere, perfrigerationi in lipothymiis, a cruoris coagulatione, per venæ ſectionem medendi, res eſt difficillima periculique pleniſſima. Etenim ipſe Salius, licet ab initio ex ſola ſtagnatione illam ſanguinis coagulationem deducat, hanc ſuam opi-

opinionem deinde corrigit, bene aſſerens, *ſanguinem ſola ſtagnatione, velut e vena eiectum, concreſcere quidem, ſed non ita dure, velut in lipothymiis* (cum perfrigeratione) *coaleſcere, quando ſanguis ab humore* (acido) *melancholico coaguletur, hinc, ſi detrahatur, iuxta Galenum vix effluentem conſpici, neque ſalire;* quale tamen Bonetus de ſuis adductis caſibus teſtatur. Iam certe venæ ſectio hanc hoſtilem qualitatem, vniuerſæ cruoris maſſæ inhærentem, haud detrahit, vt periculum inde potius augeatur. Rectius igitur ſecundum *Ephemerid. German.* In melancholico vena haud ſecabatur, *quia ſangvis ſero ſuo caruit, ab inimico acido coagulatus. Willis in Pathol. p. 78.* in epilepſia e vena ſanguinis, coagulati per ipſum paroxyſmum, miſſionem profuiſſe, nihil addit. *Bon. in An. Pr. p. 265.* duo exempla catalepticorum mortuorum e *Bontio* adducit, in quibus ſine dubio larga ſanguinis miſſio, vtpote iuxta ipſum haud omittenda, fuit celebrata; imo ex propria obſeruatione *p. 147.* commemorat, *aurifabrum Geneuenſem, poſt ſanguinis miſſionem, breui catalepticum euaſiſſe, paucisque horis poſt obiiſſe.* Quomodo etiam *p. 787.* recenſet de vxore Paſtoris Lugdunenſis, illi, *præcordiorum anxietate cum ſiti ac creberrimis animi defectionibus, grauiter laboranti, venæ ſectionem, & eam* quidem itera-

viſceris, in gibba parte, exterior macula, thaleri magnitudine, vbi locorum per duos vltimos dies acerbiſſimo dolore, quaſi à carbone candente, vri conquerebatur, quem etiam haud maiori ambitu circumſcribebat. Num vero gangræna illis demum diebus ſuperuenerit, an vero cum ipſa perfrigeratione, vtpote longioris temporis coeperit, haud auſim nec affirmare, nec negare. Verum obſeruatio in *Bon. An. Pr. p. 900.* teſtatur, quendam, a perfrigeratione defunctum, gangrænam haud oſtendiſſe. Præterea poſt illam multi ægri quoque reconualeſcunt, quod de eadem viſceris cuiusdam vix concipiendum eſt, vtpote omnino grauiore, quam in artu quodam exterius incipiente & illa tamen periculoſiſſima. Iccirco magis veriſimile videtur, perfrigerationes ac gangrænam ſanguinis congelaſcentis, communes haberi effectus, ita quidem vt ad illas minor, maior ad hanc, requiratur, ſicut innuunt exempla pedum frigeſcentiæ, gangrænam antecedentis in *Hild. Cent. II. Obſ. 89. & tract. de gangræna C. IV.* reperiunda. Quamquam e contrario hanc, totum dein ſanguinem congelaſcentia inficiendo, perſrigerationis priorem & occaſionalem cauſam ſubinde contingere poſſe, haud ſit inficiandum.

§. XI. Coagulationis ſanguinis proximam,

mam, & hinc perfrigerationis remotam, cauſam acorem hoſtilem præbere, indigitat *Hipp. de dieb. judic. III. & IV. item de intern. affect. L I. vbi delirium cum pedibus frigidis a bile* deducit. Sicut autem hæc eidem duplex eſt, *amara* & *acida*, ita de hac potius, ex Platone, optime illa declarat ſummus ſæculi noſtri Medicus. *Wedelius in Miſcell. Curioſ. Aū. 1671. Obſ. 197.* Ipſe vero *Hipp. de Vict. acut. XXVIII. 21. p. 292. Acetum*, ajens *mulſum* (& ſic omne acidum) *& alias debilitat, & extremas partes frigefacit.* Acorem vero ſanguinem coagulare, euidentiſſime ob ipſos oculos ponunt varia experimenta, *Borrichii, Boylei*, in ſpecie illud, quo cani viuo vena ſecatur, ſpiritus vitrioli, aliusue acidus per ſyringem infunditur, vbi mox totus ſanguis coagulatur, velut hoc per autopſiam Anatomicam confirmant *Lowerus Kerkringius, Grafius, Fracaſſatus, Drelincurtius*, ſicut ex huius diſputatione quadam recenſet *Bon. in An. pr. p. 961.* Quale & ego hiſce meis oculis, ab ipſo Leydæ inſtitutum, vidi, æque ac antea Lipſiæ, a D. D. Bohnio & rurſus Amſtelodami a Dno Bidlovio, tum temporis Chirurgo, ſed iam ſimul Anatomico Celeberrimo, deinde apud Leydenſes Profeſſore Meritiſſimo, ac quondam Maximo exercitationum propriarum Anatomicarum, per cadauera humana, Promotore. Acorem

vero,

vero, huic coagulationi inducendæ aptum, ipſi corpori humano in ſtatu morboſo haud deeſſe, creberrimi ructus vomitusque acidi teſtantur, quos cum perfrigeratione jungi docet *Hippocr. L. II. de morb mul. XVIII. 3. Vol. 2. p. 547.* vbi de ſuffocatione hyſterica docet, *quasdam etiam vomere, quandoque ſaliuam acidam & os aqua impleri & crura perfrigerari.* Magis autem euincunt tales ſudores, vtpote quorum graveolentia acida per conſtitutionem anni 1700 febrium leipyriarum, petechiali-purpuriſantium, integra conclauia tædioſe complebat, naresque meas viſitantis moleſtiſſime offendebat. Eundem acorem anno 1699, menſe decembri, deſcribente L. VI. Añ. Pr. p. 521. grauiſſime ſpirabat & fonticulus & ſudor d. V, in Viro pl. Reuerendo, qui ex eryſipelate vere peſtilenti, & per ſuam naturam, febrem ſumme malignam ſecum ferente, (ſi conferas Hipp. L. III. Epid. S. III.) dein defungebatur, cuius ſanguis ex venis raninis die VI. (ad ipſius in judicando vniuerſæ tyrannidis imitationem) miſſus, in vnum thrombum concreſcebat, d. IX, poſt illarum V. S. iteratam, mox perfrigeratione mortem accelerante.

§. XII. Acor hic hoſtilis eſt aut ipſi ſanguini inteſtinus, ſicut in febribus leipyriis eſſentialibus, aut ipſi extrinſecus aduenit, ex pri-

primis viis ventriculi & inteſtinorum, præſertim in colica, ſuffocatione hyſterica, ſicvt innuit *Hipp. L. II. d. morb. mul. l. c. & de dieb. iudic.* bilem de perfrigerationis cauſa arguens, velut, ſi ſuccum pancreaticum eius loco, haud abſone, accipias, optime deducit *Syluius Pr. L. I. C. XXXIV.* corroboratque, quod, *Williſio de morb. conv. p. 81.* aſſerente, *ſanguis epilepticorum ante paroxyſmum, ſecus, ac in ipſo detractus, ſero ſuo ſit dilutus;* maxime vero conualidat *A Salæ* obſeruatio, de *nobili iuuene, qui, religioſe quadrageſimali ieiunio obſeruato, repente in ventriculi inteſtinorumque cruciatus vehementiſſimos incidit, cum vomitibus, cordis oppreſſione, ſiti & vehementiſſimo ardore, ſine febri tamen* (ſcilicet calore externo,) *huic poſt quatuor dies abdomine tenſo & doloroſo, cum cordis deliquio, deſiderio vomendi, ſummaque corporis iactatione, tumor ventris creſcebat, pulſu paruo, tardo, febris adhuc nulla obſeruabatur, ſuperueniebant tamen frigiditas extremorum, anxietas, deliquia, frigidi in fronte ſudores, hora VI. ex humanis diſceſſit.* Hoc anno 1703. vide L. X. Ann. p. 17. Primipara 18. annorum, tertia iam ſeptimana a partu, lochiis ſ. n. adhuc bene fluentibus, euphora vixerat, ſed hinc, illis tamen mox ceſſantibus, d. 9. Jan. cum quadrato Saturni & Mercurii, cardialgica & cephalalgica, cum horroribus repeten-

tentibus, torminibusque ventris, quaſi per choleram, vomuerat & deiecerat, grauiſſimam ſitim copioſo potu haud explente. II. die vomitibus ceſſantibus, deiectionibusque rarius inſecutis, nulli lateri poterat incumbere, anheli pectoris ſpiritus ſublimis obſervabatur, lochiis iam ceſſantibus, deliria rara miſcebantur, pulſu debili celerrimoque, languor extremus ſupervenientibus animi deliquiis breuem tolerantiam extra ſtragula, corporisque in ipſis erectionem prohibebat. Circa meſonyctium ſiti iminuta, rurſus lateribus incumbere potuerat, ſed cum extremorum perfrigeratione ſtertentis ſoporem mane exceperat mors.

§. XIII. *Williſius de morb. conv. pag. 81. & Pharmac. Rat. P. II. p. 37.* Sanguinis coagulationem pro explicanda perfrigeratione a *Spirituum animalium defectu* pariter *ac inordinatione* promoueri atque induci aſſeuerat: quomodo ſententiæ Helmontii accedit, qui Archeo ſuo horum malorum cauſam potiſſimum adſcribit. Nam hic, ſicut eundem ex *Hipp. L. VI. Epid. S. VIII. 25.* explicat, ab illis, ſeu *impetum facientibus*, haud diſtat. Quæ opinio haud infirmo plane nititur fundamento, nam eandem admodum ſtabilit experimentum *Willis in Anat. cerebri C. XXIV. p. 194. de cane vino* ſumptum, *qui, ligatis prius*

& hinc

& hinc diſſectis neruis, paris vagi, torpidus, poſt dies paucos periit, exhibens in cordis ventriculis, vaſisque maioribus cruorem valde coagulatum, & qui in grumos concreuerat. Quamuis autem de concluſione tali huius experimenti, ob concurrentem inediam, dubium mouere liceat, ab hoc tamen vindicant, a *Charas* inſtituta alia, etiam *canum, a viperis demorſorum, in quibus, breui a ſuperueniente gangræna extinctis, ſanguis coagulatus* ipſis oculis uſurpabatur; nec diſſentit aliud nobilis iuvenis, de ſeipſo temerario ſumptum, quem *morſus viperæ mox languidum & cum extremorum perfrigeratione, quaſi per ſyncopen moribundum, proſtrauit.* Euidentius adhuc demonſtrat hæc Obſeruatio Celeberrimi *Bohnii, in tr. de renunc. vuln.* p. 168. ſecundum quam *Centurioni, a globulo, funiculi medullaris medietate ſiniſtra perforata, præter dolores atrociſſimos, mox ſuccedente febre continua, hinc deliriis & conuulſionibus ſubinde intercurrentibus, ſudor algidus* iunctis *fæcum ac vrinæ ſuppreſſione, abdominis diſtenſione, præcordiorumque anguſtiis* die IX. circiter *vitæ finem impoſuit.* Vnde eo facilius aſſequi licet, ex qua ratione a ſolis animi paſſionibus ira & terrore, ſyncope, epilepſia, imo mors ſubita, ob ſanguinis ſcilicet impreſſam coagulationem, ex vitio ſpiiituum animalium, frequenter opprimant. Quantum autem, a mi-

minori ſpirituum animalium influxu, ſanguinis, non tam ipſa tantum ſtagnatio, quam ſaltem tardior circulatio, pro ſanguinis coagulatione & perfrigeratione valeat, *ſomnus* docet, iuxta *Hipp. de flat. XX. 7. Vol. 1. p. 411. omnibus animautibus communis. Cum enim corpus ſomnus invaſerit, ſangvis frigeſit. A natura enim ſomno frigefaciendi vis ineſt, infrigidato autem ſanguine, languidiores fiunt eius motus* (circulationis.) Qualia *Williſ. de anima brut. P. I. C. XVI. p. 229.* per commentarium quaſi, talibus elucidat: *Unusquisque in ſeipſo experitur, inter dormiendum præcordia primùm æſtuare, parteſque externas ad frigeſcendum aptas eſſe, quare has ſtragulis cooperiri opus eſt, quo effluuia, circum ambitum corporis detenta ipſum excalefaciant. Hinc ſub dio, aut alicubi extra lectum dormientes, niſi veſtibus bene muniantur, frigus contrahunt.* Horum veritatem, etiam in ſtatu morboſo, ob oculos ſiſtit in *Eiusdem Pathol. p. 129. Vir illuſtris, cuius diurnam affectionis ſpaſmodicæ moleſtiam tempore nocturno, & ſtatim à ſomno, longè grauiora excepere, nam recens expergefacto illicò totum corpus horreſcere; ſinguli artus, velut inſtanti mortis agone, ſudore ſqualido perfundi ſolebant, qui in tantum corroſiuus erat, , inſtar aquæ fortis, lintea, ni ſtatim abluerentur, exederet & corrumperet.* Non abſimili ferè modo, referente L. VII. Annal. p. 743. Anno 1700. menſe

ſe Septembri, Matrona Nobilis, cui, ab eryſipelate, febris mox cum ſudoribus frigidis incipiebat, denique purpurata, a ſomno ſemper grauiſſima dyſphoria debilitabatur, vt ſuos rogaret, vt illum, obrepentem, omni ſtudio a ſe arcerent. Quamobrem illa cautela, ne a venæ ſectione mox ſomnus ineatur, haud penitus negligatur, vt ſanguinis coagulatio inhibeatur, & circulatio magis promoueatur.

§. XIV. Ordo iam perfrigerationis indicationes tangit, poſtulantes, vt reſarciatur detracta ſanguinis quantitas, ipſiusque coagulatio reſoluatur. Ab illis igitur 1. Venæ ſectio potius contraindicatur ſeu prohibetur, docente *Hipp. Coac. III. 62. p. 553. Sanguinis detractio in perfrigeratione torpida, mala eſt. & 343. p. 507. In perfrigeratione*, (maxime) *non ſine febre, torpidos Sanguinis detractio lædit, & putantes, ſe melius habere, hi moriuntur.* Hinc grauiſſimi Autores, ob identitatem rationis, etiam in lipothymiis Sanguinis miſſionem haud admittunt. Rem claram faciunt ſuperius de hæmorrhagiis propoſita. Hoc poriſma ampliatur: (1) Venæ ſectionem a perfrigerationis, adhuc imminentis, ſignificatione prohiberi. (2) Venæ ſectionem, in principio febris inſtitutam, a perfrigeratione, circa exitum dein

ſuperueniente, intempeſtiuitatis præſumtione onerari, & omiſſam tempeſtiue confirmari. Quippe *Hippocr. aphor I. experientiam lubricam* (πεῖραν σφαλερὴν) vocat, quod licet ſenſuum firmitati, ex qua tamen illa enaſcitur, repugnare videatur, attamen ex hac ratione eſt certiſſimum, non ſolum Medicos ſæpius contradictorias prorſus opiniones, ab vtraque parte, pariter experientia tueri; ſed vulgus etiam Medicinæ incertitudinem, eo potiſſimum argumento, defendere, quoniam, quacunque methodo medendi obſeruata, ægri tamen ſubinde moriantur. Cuius præcipua ratio a cruditate tantum generalis experientiæ dependet, quam Helmontius non inepte *incurioſam & indiſtinctam* vocat; dum omnino quacunque methodo quis medicus incedat, tamen haud omnes ægrotos ſuos optata reconualeſcentia beare valeat. Hæc contra notetur (1) multos & fere plurimos ægros ex inobedientia perire; oſtendente *Hippocr. de arte XII. p. 7.* (2) multos morbos ſua natura eſſe inſanabiles ſecundum, *Eundem ibid. III.* in quos iure merito illud *Eiusdem L. V. Epid. XIII. 14. p. 778.* quadrat: *Quod ſi vero etiam omnia recte facta fuiſſent; tamen non videbatur ſeruari poſſe.* Qui caſus igitur, omni culpa Medici vacantes, cum culpoſis haud confun-

fundantur, & experientia, ab illis purgata, ad ſpecialem ſuam certitudinem reſtringatur, alias omnino fallaci lubricitate deludit. Vt clarius mentem meam exponam; quemadmodum, ſi per ampliſſimum conclave, feneſtris apertis, intempeſto ſæviente gelu, caloris deficientis cauſa in eo quæratur, quod, fruſtula ligni, pauca tamen, vix minori hypocauſtulo ſufficientia, actu frigida, nec prius aquæ calidæ aliquandiu iniecta, fuiſſent in foco accenſa, vi brocardici, quod quis ipſe non habet, alteri dare non poteſt; Annon friuolæ tales argutiæ merito deriderentur, quoniam infallibilis cæteroquin experientia confirmat, hanc cauſam tali effectui minime conuenire, videlicet ab accenſis lignis frigus haud increſcere poſſe, illaque calorem, non ex identitate qualitatis, ſed ex cauſa accenſionis producere: Ita, ſi perfrigeratio morbum protrahit, aut funeſto euentu concludit, rectius Venæ ſectio antea inſtituta, aut acidorum refrigeratio eius mali cauſa accuſatur, quam violentus forte ſalium volatilium calor, adeo, vt ſi nihilominus poſt eorundem vſum illa ſuperueniat, cum cauſa tali effectui ſit inconueniens, alia potius inquiratur. Secus cum contra; e. g. monente Wepfero de apoplexia, hæmorrhagia narium, breui ante mortem aut etiam poſt ipſam, ſuperuenit.

§. XV. Verum his grauiter reclamare videtur ipſe *Hipp. de Vict. acut. XXXVII. Vol. 2. p. 299.* inculcans, *venam ſecare in aphonia* epileptica, in qua *ex venarum interceptionibus, ſeu ſpirituum per ipſas, extremitatum perfrigerationem coincidere*, ſubiicit. Huic pollicem premunt Gallus *Riolanus*, *Germanos* incuſans, quod *non curent athleticum corporis habitum, ſyncopes, aphoniæ & aſphyxiæ* cauſam, *liberali venæ ſectione exſoluere; Bontius*, catalepticæ aphoniæ, Indis frequentiſſimæ, a ſanguinis coagulatione, curam *a copioſa ſanguinis miſſione incipere*, imperans. *Bonetus in Anat. Pr. p. 1402.* corroborans obſeruatione propria, pueri epileptici, in quo, *tumente & rubente vultu, venæ ſectio per ipſum paroxyſmum* profuerit, item p. 467. de ſexagenario cataleptico, *cui aphono, oculis immotis & inconniuentibus, venis omnibus turgentibus, pulſus vix micuiſſet, vox vero & incolumitas, libris duabus ſanguinis miſſis*, rediiſſet. *Panarolus P. I. Obſ. XIII.* in ſimili caſu omiſſam venæ ſectionem cauſam mortis arguens, cum *poſt mortem omnes venas cruore turgidiſſimas, repererit.* Præ aliis vero *P. Salius Diuerſus*, adducente *Boneto p. 683.* multis præclaris præmiſſis, interſerens, ſe *in ſyncope, ex ſanguinis coagulatione, venæ ſectione cum aliis remediis, ab imminente ex hac, vitæ diſcrimine multos præſeruaſſe.* Annal. propriorum L. III. p. 234.

p. 234. teſtatur, Anno 1679. per menſem Octobris, aulæ equeſtris Quæſtorem, 30. circiter annorum, ſucciplenum, poſt præcordiorum anxietatem, cum murmuribus ventris & alui obſtructione, aphonia epileptica oppreſſum, iuncta brachiorum rigiditate non ſolum, ſed etiam extremorum frigiditate, quoniam apoplecticum putatum, Sanguinem ex vena Mediana miſiſſe, a qua, ſudore frigido ſuperueniente, mentem & ſenſus ſe collegiſſe, inſequente euphoria, per literas ſequenti die referebat. Magis adhuc mirandum eſt, recenſente *Wepf. de apopl. p. 185.* Oxoniæ mulierem, ſuſpendio enectam (& ſine dubio perfrigeratam, præſertim, cum) *tempeſtate frigida in conclaui frigido per diem iacuiſſet, iterata venæ ſectione* à mortuis fuiſſe reuocatam. Quibus regerendum venit, Hippocratem l. c. notanter hanc cautelam apponere; *ſi ſano ea paſſio contingat abſque manifeſta aut alia forti cauſa; ſanguinem etiam detrahi debere, iuxta habitum ac ætatem rationem ineundo, an plus aut minus oporteat.* Itaque (I) ſi paroxyſmus epilepticus, non integer & continuus morbus, perfrigerationem ſanguiniſque coagulationem, neque ab inteſtino cruoris vitio, ſecum ferat, ſed cruditates primarum viarum, appulſu ſuo, eandem inducant, iuxtim etiam

adſit plethora, ne vaſa, nimium ſanguine repleta, in ſyſtole ſua deficientia, ipſius circulationi haud ſufficiant, tunc, & quidem magis extra paroxyſmum, venæ ſectionem nonnunquam, ſumma prudentia inſtitutam, prodeſſe, aut ſaltem haud grauiter nocere, conceditur. (2) magis adhuc ob revulſionem neceſſariam, ſi non tam ob coagulationem, quam particularem quandam ſtagnationem, circulo a conuulſionibus, polypo, ſanguiniſque congrumati fruſto turbato, lipothymia dependeat, iuxta obſeruationem *Bonet. in An. Pr. p. 640.* vbi cordis palpitatio lipothymiam ſecum traxit; item in peripneumonia, monente *Ballonio*, vt legitur *ibid. p. 516. & 1464.* vbi pulmonum inflammatio increſcens, vaſa illa maiora ſimul comprimendo, ſanguinis reditum ad cordis ventriculum ſiniſtrum, inhibet, quo caſu *nec animi deliquia venæ ſectionem prohibere* tradit; quanquam etiam, ſimiles lipothymias perfrigerationem haud ita comitari, credere licet. Verumenimuero ex opinione Riolani & P. Salii, quaſi regulam conſtituere, perfrigerationi in lipothymiis, a cruoris coagulatione, per venæ ſectionem medendi, res eſt difficillima periculique pleniſſima. Etenim ipſe Salius, licet ab initio ex ſola ſtagnatione illam ſanguinis coagulationem deducat, hanc ſuam opi-

opinionem deinde corrigit, bene aſſerens, *ſanguinem ſola ſtagnatione, velut e vena eiectum, concreſcere quidem, ſed non ita dure, velut in lipothymiis* (cum perfrigeratione) *coaleſcere, quando ſanguis ab humore* (acido) *melancholico coaguletur, hinc, ſi detrahatur, iuxta Galenum vix effluentem conſpici, neque ſalire*; quale tamen Bonetus de ſuis adductis caſibus teſtatur. Iam certe venæ ſectio hanc hoſtilem qualitatem, vniuerſæ cruoris maſſæ inhærentem, haud detrahit, vt periculum inde potius augeatur. Rectius igitur ſecundum *Ephemerid. German.* In melancholico vena haud ſecabatur, *quia ſangvis ſero ſuo caruit, ab inimico acido. coagulatus. Willis in Pathol. p. 78.* in epilepſia e vena ſanguinis, coagulati per ipſum paroxyſmum, miſſionem profuiſſe, nihil addit. *Bon. in An. Pr. p. 265.* duo exempla catalepticorum mortuorum e *Bontio* adducit, in quibus ſine dubio larga ſanguinis miſſio, vtpote iuxta ipſum haud omittenda, fuit celebrata; imo ex propria obſeruatione *p. 147.* commemorat, *aurifabrum Geneuenſem, poſt ſanguinis miſſionem, breui catalepticum euaſiſſe, paucisque horis poſt obiiſſe.* Quomodo etiam *p. 787.* recenſet de vxore Paſtoris Lugdunenſis, illi, *præcordiorum anxietate cum ſiti ac creberrimis animi defectionibus, grauiter laboranti, venæ ſectionem, & eam* quidem itera-

tam parum profuiſſe, ac licet vltimo *ad uncias octo magno cum impetu ſanguis per illam eruperit, ſolatium tamen fugax tantum, & momentaneum exceperit, breui ſuperueniente aphonia & morte*; qualia *Hipp. Coac. III. 343.* ex ipſo ſuperius adducta, declarant accurate. Contra iuxta L. I. Annal. 784. Anno 1677. per menſem Apr. Paſtor Eccleſiæ Cathedralis Naumburgenſis, fere ſexagenarius, alias tamen ſatis vegetus, apoplexia a cunctis oppreſſus videbatur, vtpote ſine ſenſu & motu aphonus iacens. Itaque Chirurgus iam operi venam ſecandi ſe accinxerat, at mihi, aſphyxiam, cum labiis liuidis obſeruanti, conſultius videbatur, illa omiſſa, Spiritum Salis Armoniaci naribus obiicere, quo facto reſpirare, cum cœpiſſet, ipſius guttas X. admiſtas cochleari cereuiſiæ, infundi monebam, quem, ob faſtidium labia torquens, manibus reiicere nitebatur. Iccirco R. Aqv. borrag. bugloſſ. aa. unc. j. Cinam. C. V. Cord. refect. aa. dr. vj. Eſſ. Caſtor. dr. ß. Tinct. Sol. Langel. ſcr. j. Sulph. Antimon. aur. gr. vj Unic. foſſil. ſcr. j. M. D. S. Huius miſturæ duobus aut tribus cochlearibus aſſumptis, poſt duos vomitus, voce reſtituta, de cardialgia ac cephalalgia conquerens, oculos tamen haud aperire valebat. R. Laud. hyſt. g. ij. D. S. R. Aqv. verben.-rorismar.

aa

aa. Unc. iij. Nucl. ceraſ. perſic. aa. unc. ß. F. l. a. Emulſio, cui add. Sal. volat, ſuccin. g. x moſch, g. jv Sacch, parum. DS. pro epithemate capitis. A meridie blandum ſomnum rurſus vomitus ſequebantur; oculos adhuc connivens, cauſabatur, meras tenebras & nigredinem illis obuerſari, præter balſamum cardiacum, cuius baſis erat axungia Caſtorei, præſcribebatur etiam Tinct. Solis Langel. dr. ß, cuius g. vij. cum cochleari cereuiſiæ exhibitis, fere menſuram fœdiſſimorum humorum evomuerat, quo ipſo, rurſus oculos adleuantis, faciei color priſtinus, corporique vigor reſtitui cœperat. II. die laudabat epithema capitis, cuius dolor inde, poſt noctem quietam, iam remiſerat, nihilominus, artubus tantopere languentibus, nondum, lecto neglecto, valebat obambulare; iterum ergo Tinct. Solis g. vij. aſſumendæ monebantur. d. III. nodulus præſcribebatur vini laxantis, ſimul cephalici. d. VI. huius vſum proficuum laudabat, templum rurſus viſitans. Hoc anno 1703. menſe Ianuario, M. D. viduam 30. circiter annorum, fere plethoricam, a capitis dolore incipiens, acerbiſſima odontalgia per aliquot dies excruciarat, quæ ſuffitu maſtichis per horam leuata, peior inde recruduit non ſolum, ſed etiam atrociſſimam cephalalgiam

F 5 iuri-

iunxit; mox, cum horroribus, etiam cardialgia, manuum tremore, per ſummum languorem miſera iactatione, perfrigerationeque ſubſequentibus, vt itaque metu apoplexiæ venæ ſectio proponeretur, quam vero diſſuadens, monebam, ſudorem, medicamentis nondum promouendum, repetito vſu puluerum cinabarino-diaphoreticorum & Spiritus volatilis intercalati adurgere; qui etiam, dyſphoria mox ſenſim imminuta, poſt meſonyctium largior obtentus, purpuram in pectore, & eryſipelas genæ iſtius propulerat, quæ methodus, II. IIIoque die haud omiſſa, metum apoplexiæ, odontalgiam, cæteraque ſymptomata omnino diſcutiebat. Adeoque ſine dubio Galli Italique generoſitate, & fortaſſis haud raro temeritate, venæ ſectionem crebrius, quam conuenit, celebrantes, Germani contra ſecuritate & timiditate, rarius & parcius ipſam audentes, delinquunt.

§. XVI. Obiicitur (2.) ſi quando perfrigeratio a ſanguinis profuſione ſuccedat iuxta Obſ. I. tum venæſectionem cæteris auxiliis eſſe præferendam. Verum, vtut hæmorrhagias ab eadem præ aliis cohiberi, mihi confirmauerit iterata experientia, nihilominus illius inſtitutio in hæmorrhagiis, lipothymiis & perfrigerationibus iam terrentibus

tibus, inutilis & noxia eſt. Quomodo *Dodonæus cap. 26.* vide *Bon. in An. Pr. p. 823.* ſcribit, *a quocunque viſcere, ſiue ab hepate, ſiue liene ſanguis in ventriculum influat, ſemper cum moleſtia, violentia, magna virium proſtratione ac lipothymia* (& perfrigeratione) *euacuari, ſic ut nulla ſanguinis detrahendi, quod nonnulli præcipiant, occaſio relinquatur.* (& ſic etiam in ſimilibus hæmorrhagiis.) Quomodo referente L. VII. An. p: 840 Anno 1700. menſe Nouembri, Chirothecarii vxori vomitum copioſum cruoris coagulati cum cardialgia & lipothymia parca Venæſectio unc. ij. nihil leuabat, velut quidem miſtura, haud edulcorata, Syluii ex coralliis & ſangv. Drac. cum Laud. op. Qualis, deſcribente L. VIII. Annal. p. 388. Anno 1701, addita Syr. Plantag. Unc. j. eadem efficacia, omiſſa venæ ſectione, ſe commendabat in Pandocho ſuburbano, 30. circiter annorum, qui ex conſilio Pharmacopolæ, ob dolorem ventriculi grauatiuum, aſſumpto vomitorio, menſuras aliquot cruoris coagulati vomuerat, aliquamque ipſius quantitatem etiam deiecerat, vnde, pulſu haud amplius obſeruando, debilitatus iacebat. Sic etiam veterinarius, illa omiſſa, reconualeſcebat, & in obſtetricis Gallicæ muliere, Obſ. I. adducta, venæ ſectio omnino fuit inutilis. Quod ſi quis cum Rio-

lano

lano dicat: *Dubia ſalus certa deſperatione potior. Satius eſt, anceps experiri remedium, quam nullum, vbi nulla ſpes ſalutis, niſi ex machina DEus affulſerit*; ille *Ballon. l. 1. Conſ. 109.* audiat, monentem, *ægrotorum quorundam rationem ita* (per morbi naturam) *eſſe comparatam, vt ſæpe in phlebotomiis ipſis opprimantur & moriantur. Quod cum calamitoſum ſit, prudentis eſſe Medici inſpicere, ne ſuſpicionem ſubeat eius occiſi, quem ſors ſua peremit.* Cuius Magni Medici, tanquam in Galliis experti Ruperti, candorem etiam Medicus in Germania obſeruet, præſertim cum in ipſa quædam Calpurnia Medica mortis cauſam ex clyſteris domeſtici, & eius quidem nondum infuſi, violentiam futili garrulitate nugari, haud erubeſcat. O loca, O tempora, O ingenia, O mores!

XVII. Neque 2. Purgantia primario a perfrigeratione indicantur, vtpote quæ illi ſanguiniſque coagulationi, velut alui fluxus funeſti oſtendunt, magis officiunt; quam medentur, præſertim vero cum a vitio inteſtino ipſius cruoris dependet, vbi ſæpe, v. g. in variolis, ne clyſteres quidem locum habent. Secus ſe res habet ſecundario, ſi vitium e primis viis illi, in ſonti, demum communicatur. (1) a cruditatibus acidis, per ventriculum & inteſtina, turgentibus.

(2.) a ſanguine ibid. extrauaſato, malum exacerbante, velut in veterinario, Obſ. II. videre licet. Quodſi grauiſſimus etiam languor pharmaca illa haud ita tuto admittit, clyſteres iis ſubſtituantur, aut intercalentur. Cuius exemplum de *Tabellione* proponit *Bonetus in An. Pr. p. 824. ex Zechio Riuer. Pr. C. 1. de febr. fol. 509. de infante.* Itaque haud abſone in D. coniuge Obſ. I. enema in vſum vocari potuiſſe, oſtendunt per illam adducti ſimiles caſus, in quibus Medicos, haud infimæ notæ, ab eorundem vſu, ne quidem grauiditas, eiusque ſuſpicio, deterruit, vt tamen illa iniici curauerint; præſertim quod etiam dolor grauatiuus inguinis, de quo per duos dies ante conquerebatur, haud ineptum herniæ occipientis ſignum, ſuccedente vomitu, iliacam paſſionem minari videretur, cui perfrigeratio haud infrequens ſuperuenit. Præterea dyſphoria non per typum paroxyſmi lipothymici ſoluebatur, ſed *cum ægra a ſyncope ſibi parum reddebatur, nec pulſus ſatis reſurgebat, nec calor viuidus, ſed ſemper frigida manebat, vnde relapſus in ſyncopen,* haud niſi morte finiendam, docente *Sennerto*, veniebat timendus. Quantumuis autem ſectio Anatomica poſt mortem eius inutilitatem detexerit, attamen Medicus, ſignis ſufficientibus deſtitutibus, haud Oedipus, cry-

cryſtallo forte magica adiutus, tam abſtruſam mortis cauſam, ceu aliorum Clariſſimorum exempla docent, minime diuinare potuit, & prudentia Medica in talibus caſibus imponit, indicationes deſumi haud ex oppido raris obſeruationibus, quæ in plurimis aliis fallunt, ſed ex communibus, plurimis per ſimilitudinem conuenientibus, iuxta quas per remedia ſelecta plures indicationes, vitata tamen contrarietate, cumulare oportet.

§. XVIII. Sudorifera vero 3. primario indicantur, vtpote ſanguinem coagulatum reſoluentia, caloremque natiuum reuocantia, teſtante *Hild. Cent. III. Obſ. XVI.* ſecundum quam *pharmacopolam, præmiſſa catharſi & venæ ſectione*, tamen *phreniticum factum, d. XI. ſudore vniuerſali, eoque frigidiſſimo, extremorum frigiditatem comitante, iterata potio diaphoretica ex lapide bezoar* maxime leuauit, *& per ſudorem vberrimum, recaleſcentem, iudicauit.* Inter illa vero, perfrigerationi & coagulationi cruoris ſoluendæ, præ aliis, appropriata ſunt ſalia volatilia; cum per experimenta, pro lubitu iteranda, Boylei, Drelincurtii & aliorum, ipſis oculis vſurpare liceat, ea ſanguinem coagulatum reſoluere, omnemque acorem deſtruere. Præſertim vero corroborat ſummam eorundem in talibus caſibus

ener-

energiam Obſeruatio e *Charas tr. de viperis in Bon. p. 1685.* legenda, ſecundum quam Nobilis iuuenis, ex temeritate, pernicioſi morſus viperæ de ſeipſo experimentum facere, haud timuit; vtpote a quo, ipſi *mox accedente leui debilitate, vultum pallor occupauit, pulſuque debili, celerrimo & exili, imo intercepto facto, ſecutisque motibus ſpasmodicis, ac totius rigiditate, ſimul inſignis dolor vmbilici regionem vexauit, artus extremi friguerunt, imo tota facies frigida ἐφιδρώσει ſuffuſa; venter, deiectionis cupidus, pauca excrementa reddidit, & cum lipothymia ſuperuenit vomitus.* Licet autem *exhibita theriacæ, dein pulueris viperini drachma una, attamen permanebat pulſus paruus, creber, inæqualis & depreſſus cum continuis lipothymiis & ſudoribus;* verum *a ſalis volatilis viperini drachmæ unæ*, repetitis vicibus, continuato vſu, *deſinente primo vomitu, ſymptomatum ſæuitia deferuere, frigus paulatim ſuperari, locum calori natiuo cedere cœpit, qui rediuiuus omnino hinc apparuit, redeunte pulſu æquali validoque, ſed aliquantisper citatiore.* Imo denique radicum contrayervæ drachma una, etiam ſine quauis leuaminis nota exhibita, ſal illud volatile, NB. ſuperueniente ſudore copioſo, morbum illum penitus ſuperauit. Cuius obſeruationis analogismum haud minus perfrigerationi in febribus accommodandum eſſe,

eſſe, & obſeruatio adducta Hildani; item Williſii aliorumque de ſudore Anglico, & plurima Praxeos Naumburgenſis experimenta mihi confirmarunt; adeoque anno 1700 cum hic Halæ dicta conſtitutio febrium leipyriarum epidemicè graſſaretur, relicta methodo medendi *Syluii Pr. C. XXIX. c. 80.* acidorum refrigeriis ſemper diaphoretica, maxime vero Salia volatilia, prætuli, quorum vſum quo plures eiusmodi febricitantes adhibuerunt, eo magis proficuum corroborarunt, ſicut eorundem centuria, ſi DEus vitam dederit, typis edita, clarius loquetur; vt ſummopere dolendum ſit, horum præſtantisſimum auxilium multos nauſeare, plures ipſorum violentiam & vim cauſticam accuſare, plurimos hinc formidare, imo calumniari. Quibus, non erroris conuincendi, ſed ſaltem ignorantiæ meæ Medicæ purgandæ ergo, hoc loco *Etmulleri*, Lipſiæ quondam Eruditiſſimi & Feliciſſimi Practici, non nudam autoritatem, ſed quotidianæ Praxeos ampliſſimum, & omni exceptione maius, teſtimonium interim opponere ſufficiat, quod in *Valetud infant. C. III. §. 5.* his verbis reddit: *Miratus ſum ſæpius, a quibusdam vel præconceptis opinionibus excæcatis, vel experientia debita deſtitutis, Medicis cum pauore quaſi audiri ſalium volatilium mentionem*

tionem, *ſpeciatim pro infantum* (quo minus igitur adultorum) *cura*, *cum tamen ſub legitimo & circumſpecto vſu Deorum manus eadem vacanda exiſtimem.* Ne vero quis opinetur, hæc climati Lipſienſi, ſcilicet tot milliaribus ab Hallenſi diſtanti, peculiaria eſſe, præter alia multa, facillime cumulanda, en calculum Beati Dn. D. Conradi *Stifferi*, quondam Phyſici huius vrbis Celeberrimi, qui in Diſputatione inaugurali Leydæ habita, *de lympha eiusque morbis*, eundem his addit verbis: *Alcalia enim Medicamenta in omnium fere morborum curatione totam abſoluunt paginam. Imo refert Porta Med. Brev. ſe absque vlla noxa diuerſis vicibus vnciam vnam boni Spiritus ſalis Ammoniaci aſſumſiſſe.* Quibus fundamentis ſuperſtructa huius, amici quondam integerrimi, eruditio haud vulgaris, deinde huius loci feliciſſimam praxin, plurimorum memoriæ adhuc inhærentem, meruit, vt hoc condigno encomio, Beati præmatura fata lugenti, mihi ſimul honorificam mei mentionem, in laudata diſputatione repetitam, compenſare liceat; ſimulque admirari, quantum per tam paucos annos, mutatis animorum affectionibus, penitus tempora mutentur, & nos mutemur in ipſis. Generoſa vero hæc medicamenta ſæpe, e. g. in Obſ. I. (1) a grauiditate &

abortionis metu prohiberi ſolent; cui cautelæ haud quidem nimium quis Medicus indulgeat. Nam a multis, plus quam par eſt, vel omnia omnino diaphoretica, v. g. Antimonium diaphoreticum, Flores Sulphuris &c. in grauidis prohibentur. Quod ſi autem in ipſorum morbis nec vena ſecetur, nec purgetur, nec diaphoretica admittantur, cætera vero medicamenta ipſum morbum augent, num igitur Medicus, ceu otioſus ſpectator, omnem opem naturæ deneget, ipſasque ſaltem prognoſticis ſuis relinquat? Sane hoc firmiter mihi perſuadeo, dubiam ſpem embryonis certo mortis maternæ periculo præponderari, quo Medicum præoccupante, & illa ſpes omnis ſimul perditur. Ideoque, hoc inſtante, illud nimium ſecuritatis ſtudium, alias quidem ſummopere laudandum, poſtponi, prudentia Medica poſtulat, qua ratione vtrunque periculum, Deo benedicente, feliciter ſæpius ſuperaui, vt inde matres vt plurimum reconualuerint, neque abortibus, alias inſolitis, ſpem & expectationem illam fruſtratis. Quomodo Naumburgi, anno 1683. commemorante L. IV. Annal. p. 480. Chirurgi caſtrenſis vxor 20. annorum, partui iam proxima, per menſem Aprilis variolis corripiebatur, deinde confluentibus, IV.

die

die ab horrore, viribus multum proſtratis, cardialgicæ, perque noctem deliræ cum genarum rubore, artuum tremore, fœtus vehementius moueri dicebatur. d. IV. ſaliuatione ſuperueniente, puſtulæ totas fauces etiam obduxerant, d. X. in cruribus deprimi, earum quædam ſubliueſcere cœperant, d. XI. fœtum ſanum, haud varioloſum, ediderat, hinc reconualeſcens, lochiis rite fluentibus, euphora puerperium abſoluebat. Huic, præter Cinabarina, bezoardicum minerale, Antimonium diaphoreticum aliaque diaphoretica fixa, ſine noxa, ſed cum leuamine, vſurpabantur. Deſcribente L. VI. p. 374. hic Halæ Opificis vxor, 28. annorum, anno 1699. per menſem Auguſti, quarto circiter menſe grauida, febre petechiali, tum epidemica, laborabat, ob atrociſſimum capitis dolorem, plethoricæ e mediana ſanguis mittebatur, & diaphoreticis, vtplurimum quidem fixis, ſubinde tamen volatilia miſcebantur, febre ſuperata, fœtum ſatis robuſtum menſe Decembri edebat. Eodem anno, vide ibidem p. 597. Cerdonis vxori, per 6. menſes grauidæ, IV. die, præter 5. dierum alui obſtructionem, ſimul anginoſæ, petechiæ iam apparebant, huic & vena ſecabatur, &, bezoardicis fixis inſufficientibus, volatilia erant addenda; quia,

angina, nihilominus exulcerata, loco puris laudabilis, grumi atro-rubri exſcreati, putredinem minabantur, præſertim cum contagium ſuum hauſiſſet ab affine, in quo penvltimo die accerſitus, & fauces & linguam vera gangræna corrumpi, conſpiciebam. Hæc quidem X. die abortiebat, ſed petechiis iam cum ſalute diſparentibus, neque tam a medicamentis, quam ab acrioribus clyſteribus, ob contumacem alui obſtructionem, me in conſulto, repetitis. Referente L. VII. Annal. p. 825. Anno 1700. menſe Nouembri, Dni. Conſiliarii Coniux, eryſipelate, quaſi arthritico, ob difficilem eiusdem extrauerſionem ſeu eruptionem, haud iudicante, magnis quoque varicibus malum exaſperantibus, febre difficili debilitabatur, in hac, cum per multos dies diaphoreticis fixis morbum, impari ſucceſſu, oppugnasſem, tandem ſalia volatilia cum meliore ſucceſſu iungebantur; nihilominus reconualeſcens, menſe Ianuario partum maturum & ſatis robuſtum edebat, quem vt Supremus ſoſpitet, Dominosque Parentes patrisſans exhilaret, meamque tenuitatem, animitus huic, luſtrali filio, apprecor. Quorum ratio exinde conſtat, quod falſum ſit, omnia, in menſium ſuppreſſione expugnanda proficua, abortum ſemper promouere,

vt-

vtpote, qualis, a Plethora, ſanguinisque ebullitione nimia proueniens, fere rarior eſt altero genere ipſius, flatibus inteſtinorum, ſpaſmisque hypochondriorum debiti, vtplurimum cauſam occaſionalem affectus animi, iram terroremue agnoſcentis, quem fere huiusmodi medicamenta præcauent; quomodo enarrante L. V. Annal. p. 92. hic Halæ, anno 1696. menſe Iulio, iuueni lanionis vxori, abortus iam ante paſſæ, ex ira & lucta cum aduerſaria, dolores lumborum, graueque pondus hypogaſtrii, rurſus eundem inſtantem minabantur, a quo metu vero, venæ ſectione omiſſa, miſtura ex aqua verben. Balſamo Embryonum, additis pulveribus cinabarinis, aliis diaphoreticis fixis & ſolutione corallorum, breui liberabat. Secundum L. IX. annal. p. 665. anno 1702. per menſem decembris, iuuenis ſartoris vxori, ex lapſu in dorſum, creberrimi vomitus, ventriculi inflatio, vmbilici retractio, dyſpnœa, lumborum dolor, acerbiſſimum hypogaſtrii pondus & lancinationes verſus pudenda abortum imminere portendebant, quæ mala omnia, ſine ipſo, præ aliis medicamentis eſſentia Cortic. aurant. alcaliſata cum eſſ. opii vincebat, ſane menſibus promouendis remedium celebre. (2) Salia volatilia, præ aliis diaphoreticis ab hæmorrha-

giis prohiberi ſolent, non ſolum iam incipientibus, ſed etiam timendis, aut nuperrime ceſſantibus. Verum neque illarum contraindicatio moderationem omnem iudicii practici excludit; cum ſæpius per febres, etiam poſt largas hæmorrhagias in vſum vocata, illas minime reuocaſſe, enormes vero ipſis rariſſime, lethales nunquam ſucceſſiſſe, pariter exemplis pluribus, ex Annalibus Practicis petitis, euincere poſſem; ſicut etiam veterinario Obſ. II, non obſtante vaſis cuiusdam ruptura, ſal volatile oleoſum haud nocuit. Hoc ſaltem addo, hæmorrhagias plures minus Plethoræ aut ſanguinis ebullitioni excedenti, quam obſtructioni cuidam, circulationem cruoris ſufflaminanti, ſe debere, hinc plurima ſpecifica contra hæmorrhagias correctioni humorum acidorum magis, quam ſanguinis incraſſationi, inſervire, velut iam anno 1674. Lipſiæ per diſputationem ſub Præſidio Laudatiſſimi D. D. Bohnii defenſam, deduxi, quam opinionem dein plurima experimenta Practica mihi corroborarunt, imprimis, anno 1675. menſe Februario, de vxore ſutoris Naumburgenſis, quæ teſtante L. I. Annal. hæmorrhagia vterina cum ſoda, torminibus ventris, ſuffocatione hyſterica, vomitibus aquarum copioſarum, per plures annos ſumme debilitata,

tata, ab acidis ſemper peius habebat, malo etiam exacerbato grandiora fruſta ſanguinis congrumati ſimul propellente, remittente vero ſanguinem tenuiorem oſtendente, quam ſequens euporiſton, olim familiare DD. Cruſio, Conſuli & Phyſico Naumburgenſi, maxime leuabat & reſtituebat. ℞. Cicer. Rubr. unc. iſ. Pimpinell. Ital. ſeu Sanguiſorbæ cum toto Manip. j. Coqv. in fine add. Croc. orientalis ſcr. j. Qualia phænomena in Senatoris, hinc mercatoris coniugibus, pluribusque dein, pariter obſeruaui. Quis vero talium virtutem aſtringendi, ſanguinem incraſſandi & efferueſcentiam ipſius imminuendi ſibi concipiat? Verum enim vero, vt vt hæc theoretice conualidata opinor, nihilominus iisdem nolo cuipiam, ſi non temeritatis promiſcuæ, ſaltem haud prudentis generoſitatis, autor eſſe, vt ſcilicet Medicus, præſertim haud inueteratæ autoritatis, per ipſos quaſi paroxyſmos abortuum & hæmorhagiarum, ſalibus volatilibus vtatur. In Praxi enim, quantum per conſcientiam licet, communis opinionis colori eſt inſerviendum, ne illa per funeſtos exitus, etiam haud culpoſos, maligna præſumtione peſſime noceat; imprimis cum hodie in Medicina veritatis defenſio ſit odioſa, & ob æmulationes, crebro malitioſas, coram iudicibus

 tan-

tantum incompetentibus & ſuſpectis, ſcilicet Calpurnia & Carſania quadam, proponendam in foro M. in quo decumbebat Puerpera Hipp. L. III. Epid. S. II. Aegr. XII. p. 720. probandi ne locus quidem relinquatur.

§. XIX. *Hipp. L. VI. Epid. S. IV. p. 808.* Medicis commendat, vt *ægrotantibus gratificationes*, faciant, *velut eſt præparare potus aut cibos, & ea, quæ videt, molliter ea, quæ contingit, alia gratificationes, NB: quæ non magnopere lædunt, aut facile reparari poſſunt*; alias enim iuxta *Tulpii monitum medicum, expedit* (non tam Medico, quam Aegroto; illum) *caute potius imperare, quam ſeruili obſequio nihil non ægrotis indulgere*. Quod monitum etiam in Obſ. I. D. Coniuge mihi obſeruandum erat, nam præterea illam pulueres nauſeare, ſpiritus volatiles ex faſtidio abhorrere, iam ante noueram, igitur ſola mihi ſupererant neruina, & præter eſſentiam Caſtorei, Cinabarina & Tinctura Lili, medicamentum nullius odoris, haud ingrati ſaporis, maximæ tamen alias efficaciæ. Quam vero lege artis, ipſius morbo hæc commoda fuerint, corroborat in *in Ephemerid. Germ. An. VI. p. 271.* Obſeruatio de *muliere, cui ex hæmorrhagiis vteri, animi deliquia, extremorum perfrigeratio, verticis algor, motus ſpasmodici ſuperuenerunt, eſſentia vero Caſtorei & Cinabarina maxime profuerunt.* Quod etiam rationi Medi-

dicæ maxime eſt conſentaneum, nam, vt eſſentiam caſtorei prætermittam, cinabarina in perfrigerationibus & animi deliquiis maxime appropriata ſunt: (1) quod ſanguinis coagulationem reſoluant, docente Magno *Wedelio in Ephemerid. Germ. An. 1671. Obſ. 197.* ſicut etiam legitur *in Boneti An. Pr. p. 642.* (2) vtramque paginam compleant, ſimul ex ea ratione, quod Archeum & ſpiritus animales irritatos, virtute ſua ſedativa demulcentia, ſpasmis medeantur, & inſtar opiatorum, inſuper in ipſis hæmorrhagiis pariter præſtent, ſopiendo ſcilicet tunicam muſcularem arteriarum, ſpasmodice irritatam, ne vehementius & citatius, quam conuenit, circulationem cruoris vrgendo, ipſas admodum promoueat. Etenim Cinabrium reuera inter ſulphura mineralium Philoſophica pertinere, indolis potius ſulphureæ, quam Mercurialis, inter alia vis eius anodyna, diuerſo plane ſomno, ac ab opio, recreans, illis propria, euidenter detegit. Cum autem hæc aſſerta integram obſeruationem poſtulent, illam commodius, ſi vacabit, ſequenti ſemeſtri reſeruare lubet. Per hæc deducta, L. B. haud affectaſſe videbor, *fallacem & ad errorem proclivem affirmationem, quæ fit cum garrulitate. Cum in vniuerſum his, quæ fiunt* (id eſt obſeruationibus Practicis) *inhærere oporteat, & circa hæc vel maxime*

xime verſari, ſi quis facilem ac minime delinquentem habitum, quem ſane Medicinam appellamus, ſibi comparare volet. Valde enim magnam vtilitatem afferet tum ægrotantibus, tum horum artificibus: Non enim cunctandum eſt, & ab IDIOTIS *inqvirendum, ſi quid conferre viſum fuerit ad curationis occaſionem. Sic enim arbitror, vniuerſam artem commonſtratam eſſe eo, quod ex vnoquoque* (caſus) *ſine obſeruatio facta eſt & conſonantia* (per circulum Philoſophicum) *in idem concurrerit.* εἰς ταῦτα ξυναυλισθῆναι. Quibus mihi concludere liceat, ipſiſſimis verbis *Præcept. II. 16. p. 61.* Præceptoris omnium Medicorum vsque meritiſſimi, *Hippocratis.*

OBSERVATIO IV.

De

CONVERSATIONIBVS LITTERARIIS.

§. I. E*Ruditi olim variis in locis conueniebant. §. II. Byzantinorum Impp. bibliothecæ & conuentus in iis. §. III. Collationes veſpertinæ quæ fuerint. §. IV. Conuentus Deipnoſophiſtarum & in muſeo Alexandrino qui §. V. non leuis res honoris erat ad muſeum Alexandrinum admitti. §. VI. Communi vtebantur conuictu in hoc muſeo, quod*

dice-

dicebatur menſa Aegyptia. §. VII. Singularis collatio deſcribitur a Gellio. §. VIII. Haſce collationes ad exemplum veterum videmus nouiter inſtitutas.

§. I.

INter tam varia; ſtudia atque artes promouendi genera, quibus tantum adlaborabat antiquitas, non minimum erat, conuenire ſtatis in locis eruditos, & de variis inter ſe rebus confabulari. Conueniebant Aegyptii in templo Vulcani Memphitico: Græcorum Philoſophi ad aram Mineruæ otio tranquillo diſſerebant, vel inter ſympoſia quæſtiones agebant conuiuales. Romani ſeceſſus amabant in villas, ibique otium cum familiaribus ſuis tranſigebant litterarium. Iidem Romani in bibliothecis ſæpius ſolebant conuenire, conuerſaturi de rebus variis.

§. II. Mos hic tranſiit non ad alios ſolum Occidentis populos, ſed per Orientem obtinuit admodum. Notum eſt Byzantinorum Imperatorum ſtudium in bibliothecas. Celebris quidem Byzanti a Conſtantio inſtituta eſt bibliotheca, quam Themiſtius ideo commendat. Huic adſeruandæ Conſtantii ſucceſſor, Iulianus, domum ſtruxerat in porticu regia, teſte Zoſimo III. c. XI. Iunioris Theodoſii in congerenda bibliotheca inſtructiori induſtriam prædicant hiſtoriæ ec-

cle-

cleſiaſticæ, & quidem de eo perhibet Socrates VII. c. XXII. quod ſacros codices, & quæ ab ipſorum interpretibus ſcripta erant, vel adhuc ſcribebantur, maiore ac Philadelphus diligentia collegerit & adſeruare curauerit. Hæc ſine dubio bibliotheca vſui poſtea Chriſtianæ religionis fuit deſtinata. Nobilitat bibliothecarum ſtudium pius zelus. Non indiget quidem Chriſtiana res libris, fides conſiſtit ſine ſtudio, ſapientia quærit rudes animas. Sed idem qui obcoecat hominum animos pruritus, eodem eſt euertendus. Ipſa hæc tela, quibus euertetur, latent in libris. Hoc inſtitutum erat Byzantinorum. Domus enim erat regia Conſtantinopoli, in Baſilica, proxime forum ærarium, in qua multi codices & humanæ & generoſioris ac diuinæ ſapientiæ adſeruabantur, ab antiquis temporibus ei ad habitandum attributa, qui eruditione excelleret, quem *œcumenicum doctorem* adpellabant. Is duodecim contubernales habebat excellenter eruditos. His publicus victus præbebatur: huc eruditionis & cognitionis auidi accedebant: hos imperatores ad rerum gerendarum conſilia adhibebant. Aſt regia hæc domus cum libris omnibus, doctore ſuo eiusdemque collegis, deteſtando facto a Leone Iſauro, eo quod adſentiri nollent ipſius factis turpibus, combuſta eſt nec vllum eius remanſit veſtigium.

§. III.

§. III. Ab his forſan ortæ collationes veſpertinæ, ſiue collocutiones, quæ a monachis olim ſtatis horis, maxime poſt cœnam fiebant. Explicat hasce Honorius Auguſtodunenſis lib. II. c. LXIII. vbi ait: *quod religioſi ad Collationem conueniunt, hoc a ſanctis patribus acceperunt, qui in Veſperis ſolebant conuenire, & de ſcriptis inſimul conferre, & quæ ipſi tunc inuicem contulerunt, Collationes dicebantur, & hæc his ſimilia ad Collationem leguntur.* Præſcribuntur tales collationes in regula Benedicti cap. XLII. *mox ac ſurrexerint a cœna, ſedeant omnes in unum, & legat unus collationes, vel vitas patrum, aut certe aliud quod ædificet audientes.* Quod etiam in regula ſua imitatus eſt Iſidorus c. V. *poſt veſpertinum autem congregatis fratribus oportet vel aliquid meditari, vel de quibusdam diuinæ lectionis quæſtionibus diſputare, conferendo pie atque ſalubriter, tantumque meditando, diſputandoque immorari, quoad vsque Completorii tempus poſſit occurrere.* Plura de his collationibus enarrat Edmundus Martene de antiquis monachorum ritibus lib. I. Cap. XI.

§. IV. Similes collationes de rebus eruditis videmus in gentilium hiſtoria. Nobile eſt ſympoſium Deipnoſophiſtarum, quod in domo Larentii inſtitutum deſcribit Athenæus. Inprimis autem celebre eiusmodi conuentibus erat muſeum Alexandrinum, cuius deſcriptionem habemus apud Strabonem libro

XVII.

XVII. p. m. 370. ed. Caſauboni. τῶν δὲ βα-σιλείων, inquit, *μέρος ἐςὶ ϗ τό μȣσεῖον, ἔχον περίπατον ϗ ἐξέδραν, ϗ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ τό συσσίτιον τῶν μετεχόντων τȣ̃ μȣσείȣ Φιλολό-γων ἀνδρῶν. Ἐςὶ δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ ϗ χρή-ματα κοινὰ, ϗ ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ μȣσείῳ τεταγ-μένος, τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων, νυνὶ δ' ὑπὸ καίσαρος: pars etiam regiæ eſt muſeum, quod & locum ad ambulandum & ſedes habet, vnamque magnam domum in qua ſimul conuiuantur qui mu-ſei ſunt conſortes, viri philologi. Habet autem hoc collegium & pecuniam communem, & ſacerdo-tem qui muſeo præeſt, olim a regibus, nunc, a Cæſare, conſtituendum.* Hoc autem muſeum iam tum Ptolemæi Philadelphi tempore fuiſſe, auctor eſt Athenæus V. c. VIII. Quanto honore habitum fuerit hoc collegium, videmus ex eo, quod pars aulæ fuerit, vt ſcilicet & ipſi reges in promtu haberent eruditos, cum quibus confabularentur, quorumque conſi-lio vterentur. Videmus hoc apud Spartia-num, qui Adrianum Alexandriæ in muſeo multas quæſtiones propoſuiſſe, aut propoſi-tas diſſoluiſſe, teſtatur cap. XX.

§. V. Quare etiam non leuis res honoris e-rat ad hoc muſeum admitti, quippe equeſtris ordinis eſſe cenſebantur. Immo etiam ipſa hæc loca adſignabantur ab Imperatore. Vide-mus hoc in Dionyſio Sophiſta, quem Adria-nus

nus Imp. huic muſeo adſcripſit, vti teſtatur Philoſtratus. Ἀδριανὸς σατράπην αὐτὸν ἀπέφηνεν οὐκ ὀλίγων ἐθνῶν. Κατέλεξε δὲ τοῖς δημοσίᾳ ἱππεύουσι, καὶ τοῖς ἐν τῷ μουσείῳ σιτουμένοις. *Hadrianus Imp. Satrapam ſiue præfectum eum conſtituit non exiguarum gentium, & adſcripſit inter eos, qui publice equo veherentur: itemque qui in muſeo alerentur.* Idem de Polemone κατέλεξε δὲ αὐτὸν καὶ τῷ τοῦ μουσείου κύκλῳ ἐς τὴν αἰγυπτίαν σίτησιν *allegit eum* [Hadrianus] *& muſei conuentui ad Aegyptiam menſam.* Lipſius quidem ſynt. de bibliothecis cap. XI. ex voce κύκλῳ conatur concludere, quaſi in orbem rem iuerit, & quidam tempeſtiue adlecti fuerint, & in anteceſſum, ſiue priusquam locus eſſet vacuus. Sed cum κύκλος ſæpius Græcis dicatur pro conuentu facile patet hic nihil ſingulare notari. Ita etiam circulum pro conuentu Tacitus dixit III. Ann. c. LIV. *nec ignoro in conuiuiis & circulis incuſari iſta*, Liuius atque alii. Idem Adrianus Pancratem quendam poëtam muſeo huic adſcripſit Athenæus lib. XV. Adamauit autem iam ante Adrianum Claudius hoc muſeum, de quo Suetonius cap. XLII. *denique & Græcas ſcripſit hiſtorias*, τυρρηνικῶν xx καρχηδονιακῶν VIII. *quarum cauſſa veteri Alexandriæ Muſeo alterum additum ex ipſius nomine: inſtitutumque, vt quotannis in altero* τυρρηνικῶν *libri altero &* καρχηδονια-

νιακῶν, diebus ſtatutis velut in auditorio recitarentur toti a ſingulis per vices.

§. VI. Communi autem vtebantur conuictu omnes, qui muſeo adſcripti. Quare etiam Philoſtratus illud ita explicat quod ſit *τράπεζα Αἰγυπτία συνκαλοῦσα τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους mensa Aegyptia, quæ conuocat omnes in vniuerſa terra litteratos.* Ridet hoc pro more ſuo Timon Sillographus apud Athenæum; libro primo cap. VIII. vbi ait: *πολλοὶ μὲν βόσκονται ἐν Αἰγύπτῳ πολυφύλῳ βιβλιακοὶ χαρακεῖται, ἀπείριτα δηρόωντες Μουσέων ἐν ταλάρῳ permulti paſcuntur in Aegypto populoſa pugnantes libris, ac ſemper digladiantes muſarum in cauea.* Quod etiam ita explicat Athenæus, quaſi per irriſionem caueam dixerit, quia in eo alebantur, velut pretioſæ quædam aues. Sed rideat Timon, habet tamen ſuum honorem hoc muſeum, ſemperque inueniet, qui illud amabunt: vtinam eſſent multi qui imitarentur.

§. VII. Iucunda non minus erat collatio, quam deſcribit Gellius noctium Atticarum libro XVIII. c. II. *Conueniebamus*, inquit, *ad eandem cœnam compluſculi, qui Romani in Græciam veneramus, quique easdem auditiones, eosdemque doctores colebamus: tum qui cœnulam ordine ſuo curabat, præmium ſoluendæ quæſtionis ponebat librum veteris ſcriptoris, vel græcum vel lati-*

latinum, & coronam e lauro plexam, totidemque res quærebat, quot homines iſtic eramus. Cumque eas omnes expoſuerat, rem locumque dicendi ſors dabat. Quæſtio igitur ſoluta corona & præmio donabatur; non ſoluta autem tramittebatur ad eum qui ſortito ſucceſſerat, idque in orbem vice pari ſeruabatur, ſi nemo diſſoluebat quæſtionis eius nodum, præmium ipſum & corona Deo, cuius id feſtum erat, dicabatur.

§. VIII. Tales erant veterum collationes tam laudandæ, non ab eo ſolum quod participes ſe inuicem facerent eorum quæ noſſent, ſed & quod Deo acceptum ferrent ſoluendæ quæſtionis modum. Nec tamen ignotæ plane ſunt ſequiori ætate de rebus eruditis collationes, quin ad noſtra quoque tempora fuerint continuatæ. Notæ apud Gallos, Anglos Italosue ſocietates litterariæ, ab aliis iamdudum deſcriptæ. Nec Germania noſtra harum eſt expers. Videmus tales ſocietates haut ita pridem introductas in quasdam Germaniæ academias, ita vt de lætioris rei litterariæ progreſſu ſibi indies gratuletur Germania.

OBSERVATIO V.

MORS IN VNDIS, CVR GENTILIBVS OLIM PRÆ ALIIS MORTIS GENERIBVS MAXIME INVISA FVERIT.

SVMMARIA.

SVb aquis perire, alii leuius, alii grauius mortis genus credidere. §. I. Cur quibusdam inuiſum hoc adeo? Sententia Seruii & Syneſii: Quia ſic non tantum corpus ſed & anima perimatur. §. II. Variæ quæſtiones formantur. §. III. Contra Seruium & Syneſium diſputandum. §. IV. Veræ cauſæ recenſentur, cur mors in vndis ita deteſtabilis viſa. (1.) Quia bello cadere glorioſius iudicabant. §. V. Sic Ariſtoteles, Achilles, Vlyſſes, & alii. §. VI. An & Saxo Grammaticus? §. VII. (2da ratio quia conueniens magis eſt homini efflare animam in aërem. §. VIII. (3tia ratio, quia ſepulturæ ſpes dulcior. hic Ouidius, Vegetius, Athenagoras. §. IX. Hæ 3 cauſæ inter ſe conferuntur. §. X. (4ta ratio allegata a quibusdam, ab exitio animæ depromta. §. XI. Seruius eam vrget, auctoritate Homeri & ratione philoſophica, quia nimirum animæ hominum, igneæ quippe eſſentiæ, extingui videantur in mari, i. e. elemento contrario. §. XII. Zenoni non debet hæc opinio affingi, qui igneam quidem animam ſtatuit, ſed ob puritatem tamen eſſentiæ exemtam abs vi aquarum,

cen-

cenſuit. §. XIII. Democritus animæ ab vndis non minus ac aliis morbis generibus periculum eſſe vult. §. XIV. Stoici quidam cre[illegible]nt animam impediri ſaltem ſub vndis ſubmerſam, quo minus euolare poſſit. §. XV. Ex alia Stoicorum quorundam ſententia animæ Sapientum immortales ſunt & inexpugnabiles, inſipientium autem mortales, & corruptioni, non quidem ab extra aduenienti, ſed internæ obnoxiæ. §. XVI. Virgilius dat animabus naturam igneam, ſed nobiliſſimam, quæ mari etiam alendo par ſit, cui proin aquæ non habentur contrariæ. §. XVII. Num Homerus animam præciſe ſub vndis perire credidit? Ita Syneſius ſed falſo. §. XVIII. Animam certe alia quoque ratione quam ſub vndis perire poſſe, probatur. Vox ἀπολωλέναι de interitu naufragorum non tantum ipſi adhibetur. §. XIX. Achilles mortem animæ maritimam non tam animæ exitialem, quam corpori ingloriam exiſtimauit. §. XX. Idem dicendum de militibus. §. XXI. Vnde falſæ illæ Seruii & Syneſii ſententiæ natæ? §. XXII. Ex recentioribus Berſmannus Ouidium male interpretatur. §. XXIII. Item Delrius Alexandrum Ætolum. §. XXIV. Porro Cerda Heraclytum. §. XXV. Neque iuuat hunc Porphyrii & Ariſtidis Quintiliani explicatio loci Heracliti. §. XXVI. Plutarcho quoque affinguntur quædam. §. XXVII. Homeri fabula de Neptuno & Apolline, Vulcano & Scamandro huc non quadrat. §. XXVIII. Perſarum mores plane aliud reſpiciunt. §. XXIX.

§. I.

Inter violentæ mortis genera ſubmerſio eſt in aquis. Hanc multi, qui cum deliberandi ſpacio mori decreuiſſent, vltro elegerunt, vt minus inuiſam ſibi. Vicisſim plenæ ſunt hiſtoriæ aliorum exemplis, qui periclitantes in vndis enixiſſime hanc necem præ cruenta, vel aliis violentis, deprecarentur. Nimirum vbi duæ res inter ſe comparantur, ſæpiſſime fit, vt vtramque hinc opportunitates commendent quædam illinc premant incommoda. Hinc euenit vt pro cupiditatum varietate in contrarias partes abeant humana deſideria.

§. II. Ex hoc argumento, quod ſatis vberem ſcribendi materiam præbere poteſt, quæſtionem hiſtoricam excerpere propoſitum eſt. Cauſam cur *vndis mergi* graue habitum homini fuerit, *Seruius* a.) & *Syneſius* b.) hanc allegant, quia ſic non corpori tantum, ſed ipſi animæ ſit moriendum. Vterque ad Homerum prouocat; Seruius etiam ad rationem, quoniam ignea ſit anima. Nos in alia omnia eundum putamus.

a.) ad I. Æn. Virg. v. 97. b.) Epiſt. 4.

§. III. Certum eſt, animam noſtram nec aquis nec vllo mortis genere perimi. Certum quoque Gentilium eos, qui cum Epicuro corporibus ipſam ſuperſtitem negauerunt, in mari

ri eam non minus, quam in aliis elemenris deleri crediđiſſe. Sed neutrum venit in controuerſiam præſentem. Id quæritur: *an* ex ethnicis illi, quibus immortalitas animæ perſuaſa fuit, aliis eam caſibus inuictam, aquis ſuccumbere ſint arbitrati? Quod ne quidem poſita eius ignea ſubſtantia neceſſariam habet ſequelam. *An item*, qui apud Homerum aliosue ſcriptores indignantur huic leto, cauſatione iſta vſi fuerint? *denique* an ſcriptores ipſi ſenſum eiusmodi præ ſe tulerint?

§. IV. Equidem fuerunt, qui iam ante nos Seruio hic & Syneſio abſentirent c.) Sed quia contradixerunt potius, quam argumentis eorum reſponderunt: non ſumus peccaturi, ſi quo illi ſe onere leuauere, id iam in nos recipiamus; præſertim cum nec deſint, qui vel næniam veterem repetant, vel nouis inſuper pigmentis, quæ ſimul abradere ſtudebimus, colorent. d) Facilius autem procedet hoc nobis negotium, ſi veras cauſas ob quas in vndis exſpirare moleſta res viſa fuit, ante cognoſcamus. Sic enim in locos pleroſque ducemur, quos obtortis collis alio traxit infelix interpretatio.

c.) Naſcimbæn. ad l. Æn. v. 101. f. 59. 60. Iac. Fontanus ad Ouid. l. triſt. 2. f. 63. Giphanius Schol. in p. 128. Odyſſ. & Lipſius III. Phyſ. Stoic. II. p. 139. qui tamen Seruii rationem non æque ſpernere videtur, infr. §. 18. d.) *Seruianum hoc*, ait Cerda in l. Æn. f. 23. *plau-*

ſibi-

ſibile eſt doctis, præſertim Nannio (VII. Miſcell. 2. cuius fere ſua facit Taubm. p. 326. 327. ad Culicem Virg.) *Germano* (Valenti, vt opinor, qui in Virgilium ſcripſit) *Delrio* (comment. in Senecæ Agam. p. 500, 501.) *aliis* (& in his ipſi Cerdæ) E Syneſio Berſmannus Virgilium interpretatur I. Æn. p. 153, k. & Ouidium I. Triſt. p. 301, a. Barthius Guil. Britonem. p. 401. ad eum. De Petauio ex Bodino, (cuius locum commode ſuggeſſit nobis, coniunctiſſ. Collega Valentinus Alberi) dicemus §. 13. t. u. de Merula, Amerpachio & Farnabio §. 16, d.

§. V. *Tres* omnino tales ſunt cauſæ. *Prima* fortibus bello viris propria. Quibus cum pulcherrimum videatur inter experimenta virtutis in acie oppetere, maximis poſt huiusmodi mortem honoribus afficiendos, non mirum ſi inter *ignauas & inglorias mortes* hæc etiam, quæ ſolet naufragos excipere, ſordeat.

§. VI. Nam & ipſe Ariſtoteles hanc moriendi ſortem dedignari, characterem facit viri fortis. e) Tales apud Homerum ſunt alibi Achilles f) alibi Vlyſſes. g) Quorum vterque ſubmerſioni, (quam tamen effugerunt poſtea,) proximus optat ad Troiam potius occubuiſſe cum gloria: Achilles etiam in aquis mortem, vt ſubulco dignam, infamat. Tales in eodem periculo iuxta Homericum exemplar expreſſi Æneas & Hip-

po-

pomedon. Quorum ille apud Virgilium h) *talia voce refert: O terque quaterque beati; Queis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis contigit oppetere!* Hic apud Papinium i) *exclamat: Fluuione (pudet!) Mars inclyte merges Hanc animam k? Segnésne lacus & ſtagna ſubibo ceu pecoris cuſtos ſubiti torrentis iniquis interceptus aquis? adeone occumbere ferro Non merui?* Ex hac cauſa mortem in vndis Pedo Albinouanus l) *inertia fata*, Seneca Tragædus m) *ignaua fata & pudendam mortem*, Valerius Flaccus n) *ſegne letum* vocat.

e.) III. Nic. 6. plura in hanc rem interpretes eius ſuggerent, *Giſan.* p. 213. Magir. p. 262. *Balfour.* p. 169. Quibus adde *Hornei.* III. Phil. mor. 5. n. 4. p. 366. & *Cerdam* ad I. Æn. p. 23. qui Nazianzeni quædam verba huc aptat. f.) Iliad. φ. v. 279. Ὥς μ' ὄφελ' Ἕκτωρ κτεῖναι, ὃς ἐνθάδε τέτραφ' ἄριστος τῶν κ' ἀγαθὸν μὲν ἔπεφν', ἀγαθὸς δὲ κεν ἐξενάριξε. Νῦν δέ με ΛΕΥΓΑΛΕ'Ω θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι, (hunc verſum lit. ſeq. habebis & in Vlyſsis querela) Ἐρχθέντ' ἐν μεγάλῳ ποταμῷ ὡς παῖδα συφορβὸν, ὅν ῥά τ' ἔναυλος ἀποέρσει χειμῶνι περῶντα. Quem ad locum Euſtathius inter alia f. 1236. 1237. Φασί δέ ὑπαλαιὸς, καὶ ὡς καλῶς λυπεῖ τὸν ἥρωα τὸ θανεῖν ἀγεννῶς. καὶ γὰρ καὶ λεονίδας ὑλακῶν τὴν χεῖρα βληθεὶς ὠδύρετο ὅτι μὴ ἔχων χεῖρα τελευτᾷ. Quod hic de

Leonide interpres, idem fere de Callicrate narrat Herodot. Lib. IX. c. 71. f. 540. g.) Odyſſ. ε. v. 306. Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις οἳ τότ' ὄλοντο Τροίῃ ἐν εὐρείῃ, χάριν Ατ είδῃσι φέροντες. Ὡς δὴ ἔγων ὄφελον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν Ηματι τῷ, ὅτεμοι πλεῖστοι χαλκήρεα δοῦρα Τρῶες ἐπέρριψαν περὶ Πηλείωνι θανόντι, τῷ κ' ἔλαχον κτερέων, καὶ μευκλέος ἦγον Ἀχαιοί. Νῦν δέ με ΛΕΥΓΑΛΕΏ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι. h.) l. Æn. v. 98 vbi Donatus ad V. 96. *cruciabat animum viri fortis, qui optabat potius glorioſe in campo occumbere, quam in fluctibus ignobiliter interire.* Recte. Nec aliter ſenſum Poetæ explicant Naſcimbænius & Lamb. Hortenſius f. m. 59. 61. Seb. Regulus Braſichellenſis p. 157. Iac. Pontanus f. 667. Quorum commentarii hoc argumentum egregie illuſtrant. i.) IX. Theb. V. 506. vbi vid. Barth. p. 1017 & Cerd. ad I. Æn. f. 24. k.) conſiderabitur hoc §. 34. e. l.) apud Senec. Rhetorem. ſuaſ. 1. ſub fin. Bene hoc explicat ſenſu noſtro Cerda, ad L. I. Æn. f. 24. & ſimiles aliorum autorum locos cumulat. m.) Agamemnone v. 510. Nobiſcum iterum hic facit Cerda d. l. & Iac. Pontan. ad ouid. Triſt f. 63. n.) I. Argon. v. 633.

§. VII. Etiam Saxo Grammaticus o) huc reſpicere videtur, cum *ignobile fatum* appellat piratarum, qui iam iam capiendi viui, aliis hoſtem exſpectantibns, in vndas deſilire, quam quid de ſe ſtatueretur, operiri maluerunt

runt. Sed nolim ego tamen ex hoc hominum genere illos, qui carnificis gladium vndis prætulerunt, cum fortibus iuſto bello viris comparare. p.)

o.) Lib. XIV. Hiſt Dan. f. m. 309. 310. p.) *fortes viri* malunt cum hoſte, quam cum fluctu manum conſerere: quia illic virtus militaris exercetur, hoc bubulcus quoque præſtet: Illic mortem gloria ex virtute ſequitur, hic nulla tropæorum ſpes aut ſimilium ceremoniarum. *Prædones* in alia conſilia partim conſcientia ſceleris agit, partim promeriti cumque ſumma ignomia coniuncti ſupplicii metus. Tale vt effugerent horum nonnulli, conſultius putaverunt, (non diſputo nunc an recte;) profundo mergi. Nam & bellatores reperti ſunt, qui ſi hoſtem vel ſuſpectum haberent crudelitatis, vel indignum a quo caderent, ſua quam ipſius manu interire præoptarunt. Cæteris idem ne facerent, fortaſſe vix aliud quid obſtitit, quam horror, quo animalis natura fugit αὐτοφονίαν. Ergo his non tam elementum, quod eligebant ſocii, quam triſte in propriam necem miniſterium diſplicuit. Quod autem eorum capita poſtea fatum in ſtipitibus excepit, id credo nec ipſe Saxo *nobile* appellet, niſi eo ſenſu, quo nobile ſcortum dicimus.

§. VIII. *Secunda* cauſa in plebeias etiam cadit animas. Eam iuuat a Guillermo Britone q) diſcere, qui narrat, municipes Gornacenſis oppidi, cum in eos obſeſſos Philippus Auguſtus Galliæ Rex vicinum ſtagnum

immiſiſſet, vitam ſub hoſte amittere, quam ſub aqua maluiſſe, quod in aëre exſpirare *mortem naturalem* crederent.

q.) Lib. VI. Philipp. v. 243. *Dum minus eſſe malum putat* (populus) *aut in vincula trudi, aut perimi gladio, quam vitam perdere fluctu, Quam* naturali Letho *decet ire ſub auras.* Geſta hæc ſunt initio ſeculi XIII.

§. IX. Etiam *tertia* cauſa cuiuis communis eſt homini, qui modo ſua intereſſe putet poſt obitum in terra ſepeliri. Quos enim abſorbet mare, hi aut piſcium paſcunt ingluviem, aut, ſi exſpuuntur in terram, facile tamen & ſic relinquantur *inſepulti.* Eam ob rem leti hoc genus Ouidio r) miſerabile, Vegetio s) acerbum, Athenagoræ t) qui ſic obeunt δυσθάνατοι vocantur. Huc & Vedii Pollionis ſeruum refero, qui piſcinæ immergendus optauit, vt aliter periret, *nec eſca fieret.* u).

r.) l. Triſt. el. 2. v. 51. *Non letum timeo, genus eſt* miſerabile *leti: Demite naufragium, mors mihi munus erit. Eſt aliquid fatove ſuo, ferrove* (ſic Pontanus ad h. l. f. 64. legit pro fatoque ferroque) *cadentem in ſolita moriens ponere corpus humo, Et mandare ſuis aliqua & ſperare ſepulchrum, Et non æquoreis piſcibus eſſe cibum.* s.) IV. de re milit. 44. p. 146., ed. Franc. Modii: *Inter tanta mortium genera,* (loquitur de iis quæ nauali prælio certantibus propoſita ſunt) *qui* acerbiſſimus *caſus eſt, abſumenda piſcibus* (vel vt Pariſina Guidonis Breſlei

lei habet editio : abſumuntur a piſcibus, &) *inſepulta ſunt corpora.* Recte hunc Vegetii locum adhibet, vt mortem naufragii veteribus inuiſam doceat, poſt alios & Lamp. Alardus c. 12. Epiphyll. p. 153. Sed non video cur ſtatim addat alterum Silii Ital. Lib. VI. v. 202. *Hunc* (Aquinum) *medio inuadit fluctu, ripæque relatos* (*heu genus infandum leti!*) *depaſcitur artus.* Neque enim Aquinum Poeta narrat in aquis periiſſe, ſed ex aquis, quo ſaluandæ vitæ cauſa natandi peritus confugerat, extractum & voratum fuiſſe a famoſo illo ſerpente cuius Gellius VI. 3. & alii meminere. t.) de reſurr. mort. f. m. 42. ὄτοι δέ γε φασίν, πολλὰ μὲν σώματα των ἐν ναυαγίσις καὶ ποταμοῖς δυσθανάτων ἰχθύσι γενέσθαι τροφήν. Callide Petauius vltima tria verba, quæ cauſam τῆς δυσθανασίας continent, omittit. not. ad Syneſ. f. 47. rectius facturus, ſi totum Athenagoræ locum, qui ſane ad Syneſium nihil facit, omiſiſſet. Erant qui reſurrectioni opponerent illorum caſus, qui piſcibus aut aliis animantibus in eſcam cederent. Huic obiectioni reſpondere vult Athenagoras, de quo & Calixtum vide c. 8. de Immortal. anim. th. 24. p. 97. u.) Sic diſerte Seneca III. de ira 40. Mentem horum verborum non percepit Lipſius, cum ad ea ſic commentaretur p. 109. ESCA) *piſcibus, qui lento morſu arrodebant aut ſuggillabant.* Putauit ideo mortem hanc diſplicuiſſe, quia *lenta* eſſet, a morſiunculis nempe murænarum. Non venerat ipſi in mentem, antequam hominem conficerent piſces, ſuffocatione moriturum ipſum

tuiſſe

fuiſſe. *Bodinus* autem de Induſtria Senecæ hiſtoriam corrupit I. de Rep. 5. ſ. 36. cum diſſimulatis eius de eſca verbis ait ſeruum ideo genus ſupplicii deprecatum *ne aquis immerſus ad elyſios campos nunquam perueniret. Sic enim ferebatur*, inquit, *& a plerisque anima voragine demerſa penitus interire credebatur, vt Syneſius tradit.* plura in Bodinum animaduertemus §. 22. x.

§. X. Hæ ergo *tres cauſæ* ſunt a Scriptoribus relatæ, cur minus ab hoſtili ferro, quam ab vndis detrectanda mors fuerit viſa. *Vna*, quia bello cadere glorioſum; *Altera*, quia ſic in aërem anima efflatur: *Tertia*, quia ſepulturæ ſpes certior. Eas his quoque momentis inter ſe diſtinguas: *Prima* mortis moralem ſtatum w) *ceteræ duæ* magis naturalem x) intuentur. *Secunda* mortem in ſe conſiderat, *Tertia* conſequens mortis ſepulturam, *prima* vtrumque y). *Prima* mortem etiam ex morbo refugit z) *ſecunda & tertia* naufragio eam indubie anteponunt. Qui ex *prima* cauſa renuit aquis mergi, huic nulla mors placeat niſi bellica; qui e *ſecunda & tertia*, facile præter bellicam nominabit ſexcentas alias, quas non faſtidiat.

w) Fortitudo enim militaris, quæ verſus hoſtem exeri poteſt, verſus fluctum non poteſt, inter *morales* virtutes eximium habet locum. x) *Naturaliſſimum* eſt homini, vt animam cum extremo ſpiritu in aerem exhalet (vnde *putabant ant qui animam*

mam a corpore diſceſſuram per os, tan uam ianuam aliquam exire, Kirchm. 1. de fun. 5. p. 40.) mortuus terræ committatur, (iuxta Gen. 3. 19.) vtrumque facile ſibi promittere poſſunt, qui in acie dimicant. Nam nec hálitui ſupremo ferrum obſtat, & hoſtium ſepultura iuris gentium eſt. (Grot. II. d. 1. p. 19. 3.) At ſub vndis nec ſpiritum reciprocare licet, nec facilem ſperare ſepulturam. Quam tamen vel ideo ſibi optabant Gentiles, ne vmbræ ſuæ vagari poſt mortem, (tangemus hanc ſuperſtitionem §. 22. x) cogerentur. Ergo Romani, quos inſepultos vellent eorum cadauera vncis trahebant in Tiberim (Kirchm append. d. fun. c. 7. p. 716.) Enim vero, ſi maxime mortuos ad littus eiiciat mare, deſertæ tamen vt plurimum ab hominibus iſtæ ſunt arenæ. Quod ſi forte contingat hominem præterire, quotusquisque ignoti humandi curam ſuſcipit? niſi forte præmium ferat laboris. Hoc ſolum prope ſpei nonnihil naufragiis faciebat reliquum. Itaque ſolebant alicui membro alligare pretium, quod ſepultus acciperet (Taubm. ad Culic. p. m. 325.) Cuius ritus egregia mentio apud Syneſium, ipſa, quam ad partes poſtea vocabimus, epiſtola 4. Equidem fuerunt gentes, quæ ſuorum funera ſic demum rite ſe procuraſſe crederent, ſi ea in flumen, in ſtagnum, in mare præcipitarent, vt Merouitæ quidam, Naſamones, Ichthiophagi, Lotophagi, Pæones, Strab. Lib. XVII. f. m. 555. Sil. Ital. Lib. XIII. v. 480. Gyrald. de ſepel. ritu. Tom. I. op. f. 655. 660.) Sed his profe&o non maior fuit ſepulchrorum religio, quam Diogeni Cynico, qui proiici ſe iuſſit inhumatum; (Cic. 1. Tuſc. p. 171.) γ) Nam & ipſa mors bellica oppetitur in actu virtutis, & ſequitur eam pomposa gloria ſepulturæ, 2.) Igitur & Ariſtoteles III.

Nic.

Nic. 6. θάνατον ἐν θαλάττῃ ἢ νόσοις coniungit.

§. XI. *Quarta* cauſa, quia non corpori tantum, ſed ipſi *animæ* ab iſto elemento *exitium* immineat, non a ſcriptoribus eſt, ſed ab horum prauis interpretibus. Transmiſerunt eam ad nos Seruius & Syneſius quibus æuo recentiore adſtipulati ſunt alii. Videamus quid afferant argumentorum.

§. XII. Primus ætatis priuilegio a) ſententiam dicat *Seruius*. Hic ad Virgilium, vbi conſtitutum inter procellas Æneam ingemere ſcribit b) ita commentatur: INGEMIT: *non propter mortem, ſequitur enim:* o ter quaterque beati c) *ſed propter mortis genus. Graue eſt enim ſecundum Homerum perire naufragio, quia anima ignea eſt, & extingui videtur in mari, id eſt elemento contrario, vt:* Igneus eſt ollis vigor d). Duo vrget, auctoritatem Homeri & rationem philoſophicam. Nos a poſteriore incipiemus.

a.) Seruius enim *vel paucis ante Auguſtinum annis ſcripſit vel ſaltem ei fuit* σύγχρονος, teſte Reineſio de ling. Pun. c. 6. n. 3. At Syneſium iſta ſcripſiſſe. A. C. 410. Petauius ad eum f. 48. euincit. Quo tempore Auguſtinum iam ſenem annorum 55 fuiſſe computari poteſt e Labb Tom. I. d. ſcript. Eccleſ. p. 125. b) I. Æn V. 97. c.) ſupra §. 9. Ita plane legitur in vtraque Seruii editione, vna Fabricii f. 161. altera P. Danielis f. 175. Pauca verba ſaluo ſenſu omittit Veneta A. 1534. p. 94.

Taci-

Tacito Seruii nomine hanc eius gloſſam *Barthol. Merula* Ouidiano loco 1. Triſt. 2. totidem prope apicibus, certe ſenſibus f. m. 417. illeuit, meritus vt ad verbum tranſcripſiſſe diceretur Iac. Pontano ib. f. 63. *Vitum Amerpachium, & Thomam Farnabium*, cum & ipſi Seruio ſua eripere vellent, non verbis tantum ſed & ſenſibus aliquid addidiſſe dicas. Sic enim Amerpachius ad Ouidii d. l. f. m. 548. *Loquitur ad eorum philoſophorum opinionem, qui putabant animam eſſe quiddam igneum, aqua vero cum ſit plane contrarium, ſic efficeret* ſubitam & violentam *mortem, atque ob id, vt videtur, miſerrimam. Id alicubi & Homerus ſignificat: In alio tamen loco dicit, fame mori eſſe miſerrimum.* Farnabius autem ad Senecæ Agamemnon. v. 506. p. 162. *maxime deteſtabantur* fortes *hoc mortis genus qui cum animam igneam eſſe cenſerent, aquis illam prorſus extingui putabant.* Satis habet Seruius monuiſſe, animam eo, quod ignea ſit, vndis extingui. Addit Amerpachius, mortem eam, vt *ſubitam & violentam*, refugi, (quaſi hoc idem de violentis aliis pluribus dici non poſſit) Farnabius hoc videtur velle, ſolis *fortibus* animam ſuam igneam cenſeri. (Nempe ſuam reliqui fæneam putant, aut aqueam!)

§. XIII. Igneæ ſubſtantiæ habitam a quibusdam Gentilibus, vt *Democrito, Zenone*, aliis e) fuiſſe animam noſtram, ſane verum eſt. Sed vt ipſum ignem Philoſophi celebriores cœleſtem, qualis ſiderum, ab elementari diſtinguunt, vt æternum a caduco: Sic animam *Zeno* cum Stoicis ſuis, ſaltem melioribus, f) quia cœleſtis radii ſcintillam fecit,

hoc

hoc ipſo aquarum iniuriæ exemptam cenſuit, g).

e.) *De Democrito* teſtes præter Plutarchum IV. de Plac. 3. ſunt Hermias διασυρμῷ, & Nemeſ. c. 2. περὶ φύς. ἀνθρ. vterque non longe ab initio. De *Zenone* Cicero I. Tuſc. p. 152. *Zenoni Stoico anima ignis videtur.* Eandem *Hipparcho* ſententiam tribuit Macrob. I. in ſom. Scip. 14. p. 72. *Heraclit.* Piccol. c. 14. de plac. Philoſ. (p. 112. Phyſ.) & Fromond. l. de an. 1. art. 1. p. 2. f.) Nam & e Porticu fuerunt, qui animis immortalitatem adimerent; de quibus §. 19. g) Stoicis e cælo & æthere animum aduenire Lipſius docet III. Phyſ. Stoic. diſſ. 8. Ipſum itaque æthereum ignem eſſe, diſſ. 9. duraturum vsque ad vniuerſi conflagrationem, diſſ. 11. p. 138. Vbi quidem ſatis nobis eſt, quod animas corporibus ſuperſtites eſſe docuerint, & ecpyroſi demum, non etiam cataclyſmo, quæ minor mors mundi vocatur Lipſio II. 22. p. 107. interimi. Sequebatur autem hæc æternitas iſtis philoſophis ex hypotheſi, quod anima naturam ſuam igni debeat, non elementari, ſed cæleſti. Clare Quintil. decl. 10. p. m. 164. 165. *animam flammei vigoris impetum perennitatemque non ex noſtro igni ſumentem, ſed quo ſidera volant, & quo ſacri torquentur axes, inde venire, vnde rerum omnium autorem parentemque ſpiritum ducimus, nec interire, nec ſolui, nec vllo mortalitatis affici fato* Ergo nec aquas credebant huic igni mortiferas. Quid? ſalutares fortaſſe potius. Certe Solem & Lunam Stoici paſci volebant marinis & fluuialibus aquis. Vid. Lipſ. II. Phyſ. Stoic. diſſ. 14. p. 88. qui & p. 89. Homerum Duce Macrobio (cui per nos §. 32, x, Heraclides Pon-

Ponticus accedet) huc trahit. Conf. quæ de animabus humido gaudentibus diſſerit Porphyr. de antr. nymp. p. 257. Etiam hoc adde quod a Stoicis igni vt primo calido, non aqua, ſed aer, vt primum frigidum opponitur de quo iterum L.pſ. II. Phyſ. Stoic. 15.

§. XIV. *Democritus* autem, aut quicunque naturam elementarem animæ dedit, non magis illi naufragium, quam aliud mortis quodcunque genus internecinum eſſe credidit h). Id quod Seruium nihil iuuat, quippe qui nobiscum in proprium naufragio vitium inquirit. i)

h) Democritus immortalitatem animæ negauit. Plut. IV. de plac. 3. Δημόκριτος, Ἐπίκουρος, φθαρτὴν, τῷ σώματι συνδιαφθειρομένην. Lactantius III. 17. *Hanc Epicuri perſuaſionem* (cum corpore interire animam) *ſiue illa Democriti ſiue Dicæarchi fuit redarguam* i) reſpice ad ea quæ de Epicuro cauebamus §. 4.

§. XV. Inquies, fuiſſe tamen ſaltem *quosdam Stoicos*, qui animas crederent *extingui*, ſi pondere aut mole magna, (puta turris aut montis,) vna cum corpore obruantur. Scio relatum hoc eſſe a Lipſio k), ad Senecam prouocante, & hunc locum a ſimili fato in aquis per ipſa Seruii noſtri verba illuſtrante. Sed Seneca, l) Stoicos illos, quibus ipſe quidem cordate refragatur, non ait, exiſtimare, animas *extingui*, ſed *ſpargi*, h. e. ad ipſi-

us corporis oppreſſi modum diduci ac diſtineri.) *quia non fuerit illi exitus liber* m) quod mox vocat *deprehendi & intra corpus affligi.* n) Sentiebant ergo iſti, animam tali ruina non perire quidem, ſed intercipi, atque præpediri, ne poſſit euolare.

k) III. Phyſ. Stoic. 11. p. 159. l.) Epiſt. 57. Affert & Papinium Lipſius e Lib. VI. v. 882. ſed idem de vtroque ferendum iudicium. m.) Hinc etiam illud interpretor eiusdem Senecæ extremo c. 19. Lib. III. de Ira, in Caium ſpongiis aut pannis os eorum quos interfici vellet, occludi iubentem: *Quæ iſta ſæuitia eſt? liceat vltimum ſpiritum trahere! Da exituræ animæ locum! liceat illam non per vulnus emittere!* Hoc vltimum comma Lipſius in Phyſiol obticere non debebat. Vides enim, eos, quorum hic linguam Seneca mutuatur, non vitam animæ hoc in caſu, ſed exeundi qua vellet libertatem abiudicaſſe. Ergo & ſtrangulatorum θάνατον μιαρὸν, gladio occiſorum καθαρὸν appellabant, (Dannh. Diſſ. XII. Decal. in fin.) puta, quia perſuaſum haberent, ſtrangulatis animam per obſcœnum corporis cauum, cum per os non poſſit, egredi. n.) Lipſius hic mauult, *effligi.* Credo, vt exitium animæ deſignetur. Sed tu nihil muta. In re non abſimili Horatius II. Sat. 2. v. 77. *Corpus onuſtum Heſternis vitiis*, (an *vinis* legendum? vt ap. Virgil. Ecl. 6. v. 15. heſterno Iaccho, confr. §. 38. X) *animum quoque prægrauat vna, Atque* affligit *humo diuinæ particulam auræ.* Vbi cum Lambino p. 133. affligere interpretamur *graui quodam ictu, & impetu ad humum abiicere.*

§. XVI.

§. XVI. Equidem de duratione animæ humanæ non eadem omnium fuit Stoicorum ſententia. Sed qui perire quasdam aliis ſalvis diſſerebant, exitii cauſam non in elementi frigus aut molem, ſed ipſius animæ vitium coniiciebant o) h. e. vt cum ſcholis loquamur, *ab intra* corrumpi eas, non *ab extra* ſciſcebant. *Hoc certum habe*, ait Seneca p) ſi ſuperſtes eſt corpori, propter hoc illum (animum) nullo genere poſſe perire, per quod hoc (corpus) perit: quoniam nulla immortalitas cum exceptione eſt, nec quicquam noxium æterno eſt.

o.) Aiebant enim, ſolas *Sapientum* animas perennare, cæteras τῶν ἀφρόνων καὶ ἀπαιδεύτων vna cum corporibus emori. Ergo ſecundum hos animas mortales ab immortalibus diſtinguebat *inſipientia* quo nomine & morale vitium comprehendebant. Sic ſentiebat Chryſippus. Aliter Panætius & Cleanthes, quorum ille ſine diſcrimine omnes mori, hic vsque ad Ecpyroſin omnes durare aiebat. Habes ita Stoicorum tres ſententias. De Chryſippo & Cleanthe Lipſium vide III. Phyſ. Stoic. II. de Panætio Ciceronem 1. Tuſc. p. 165. p.) verbis finalibus ipſius Epiſtolæ 57. in quibus lectionem Lipſii ſecuti ſumus.

§. XVII. Age vero, ponamus fuiſſe, qui flammæ huic cœteroqui perennaturæ exitialem ponerent ſive montis ruinam, ſiue vim fluctuum: probandum eſt Seruio, ſi gloſſam

tueri ſuam velit, ſic Virgilium ſenſiſſe. Quod profecto verſus, quos Æneæ dat libro primo, adeo non efficiunt, vt nihil minus. Neque hemiſtichion illud e ſexto Æneidos. q) attractum: *Igneus eſt ollis vigor*, Seruio proderit. Sequitur enim: *& cæleſtis origo*; præceſſerat *Principio Cœlum ac terras campoſque liquentes, lucentemque globum Lunæ, titaniaque aſtra, Spiritus intus alit* r,) vt intelligamus, Virgilium animas a *Cœleſti*, h. e. æternos.) igne ac diuino t) traducere, qui *campos* etiam *liquentes*, h. e. mare alat, tantum abeſt vt ab eo tanquam contrario ſibi elemento præfocetur. Vt omnis dematur ſcrupulus ipſo, quem diximus, libro ſexto u) Leucaſpis & Orontes, quos Auſter vna cum nauibus aquæ inuoluerat, apparent Æneæ, quorum animæ videlicet, quoniam nondum eſſent ſepulti x), vagabantur. Quem ad locum Seruius annotans, Æneam quoque in flumine Numico periiſſe, ſtatimque Juuenalem y) qui *aquis* cum *ad ſidera miſſum* teſtatur, aduocans z) neſcio ſatisné memor eorum fuerit, quæ ipſe ad primum Æneidos excidere ſibi erat paſſus. Hæc de *ratione*, cui ſimul Virgilii teſtimonium implicuerat Seruius.

q.) v. 730. quem locum Seruius ipſe f. 258. 259. ed. fabric. tractans, ex Poetæ mente multa de anima immortalitate diſſerit, de excepto naufra-

gii

gii caſu nihil. r.) v. 724. s.) III. Æn. v. 154. *Vos æterni ignes.* t.) Simile enim illud IV. Georg. v. 221. *Deum namque ire per omnes terrasque tractúsque maris.* u.) v. 331. ex ſeqq. x.) *creditum eſt, inſepultos non ante ad inferos redigi quam iuſta perceperint, ſecundum Homericum Patroclum*, Tertull. de anim. f. m. 686. Adde Iac. Pont. f. 1426. & Cerdam. f. m. 658. ad VI. Æn. Sequitur apud Virgilium v. 337. de Palinuro, qui & ipſe inſepultus Æneam rogat, vt vel terram iniiciat ſibi, vel ſe vna trans paludem Stygiam vehat. Sed hoc poſterius negat illi dux Æneæ Sibylla v. 374. *Tu ſtygias* inhumatus *aquas amnemque ſeuerum Eumenidum aſpicies, ripamve iniuſſus abibis?* Bodinus l. de Rep. 5. f 36. in marg. citat hos verſus, ad probandum, aquis immerſos, *non pervadere*, vt ipſe loquitur, *ad Elyſios campos, & animas voragine demerſas penitus interire* (ſupra §. 13. u.) Fruſtra. Nec enim Palinurus, licet e puppi excuſſus in mare, vitam ibi finierat, ſed in littore demum, ab accolis interfectus, vt narrat Virgilius v. 361. neque Sibylla, cur Eumenidum amnem aſpicere ipſi non fas foret, genus mortis cauſatur, ſed quia eſſet *inhumatus*: ac præterea longe aliud eſt, animam perire, aliud poſt mortem corporis vltra ſtygias aquas detineri. y.) Sat. XI. v. 63. z.) Equidem nec in editione Seruii Veneta 1534. p. 199. nec in Pariſina A. 1609. P. Danielis f. 418. hæc habentur. Habentur tamen in Baſil. Fabricii A. 1551. f. 519.

§. XVIII. Nunc de *Homero*, quod ſupereſt exequamur. Vbi Seruio, nullum Poëtæ locum exerte citanti commode ſuppetias mit-

tit is, ad quem ordo nunc nos vocat, Syneſius a.) Narrat ille b), quemadmodum ſibi nauiganti, cum res ad naufragium ſpectaret, terrorem incuſſerit Homericum illud, *mortem in aquis etiam interitum eſſe ipſius animæ*, ſtatimque verba in hanc rem non vna ex vtroque poemate profert. Noſtrum eſt ſingula particulatim excutere.

a.) Igitur ex hoc Scriptore lucem Seruio infert Nannius VII. Miſc. 2. Locus Syneſii eſt Epiſtola, non vt Nannius citat, & cum eo non pauci, 3. ſed 4. f. 88. ed. Cornarii, p. 35. ed. Naogeorgi, f. 162. ed. Patauii. Inſcripſit autem eam Euoptio fratri. b.) Græca verba ſunt: Ἐμὲ δὲ ἐν τοῖς δεινοῖς, ὄμνυμί σοι θεὸν ὃν φιλοσοφία πρεσβεύει, τὸ ὁμηρικὸν ἔθραττεν ἐκεῖνο, μὴ ἄρα ἀληθὲς εἴη, τὸν καθ' ὕδατος θάνατον ὄλεθρον εἶναι καὶ αὐτῆς τῆς ψυχῆς.

§. XIX. *Aiacem*, inquit c) *minorem* d), *quem undæ ſubmerſerant, Homerus narrat* periiſſe, (ἀπωλολέναι,) *vt ſciamus, mortem in mari exquiſitiſſimum eſſe interitum. Neque enim eadem voce mortes aliorum deſcribit, ſed hac phraſi:* deſcendit ad orcum. Hic non illud afferam; aliter de Ajacis hujus anima ſenſiſſe certe Leonymum Crotoniatum, qui teſte Pauſania, e) dixit eam ſibi in inſula Leuce apparuiſſe f) nego vocem ἀπολωλέναι de

ſolis

ſolis naufragis adhiberi ab Homero, cum eandem in ea ipſa narratione g) & de Agamemnone vſurpet, quem Ægiſthus per inſidias ferro interfeciſſet. h.) At inquit Syneſius i), *in vtraque Homeri Necya* k) h. e. *libro* XI. & XXIV. *Odyſſea* l) *vbi mortuornm animæ apparent, minor Aiax nuſpiam introducitur, quaſi apud inferos eius anima non eſſet.* Imo vero, inquam ego, introducitur Odyſſ. XI. m) licet generalibus verbis, in agmine animarum, quarum nomina ſigillatim exprimere tædium fuiſſet. Naufragorum enim vmbras ab illo conſortio neutiquam excluſas voluiſſe Poëtam, ex eo perſpicuum eſt, quod in vtraque rhapſodia n) interrogari facit animas : *Num eas Neptunus forte domuerit ?*

c.) Græca ſunt: *λέγει γὰρ ἐστὶν ὅπου τῶν ἐπῶν* (odyſſ. δ. v. 511.) Αἴας δ' ἐξαπόλωλεν, (apud Homerum eſt, quod perinde: ὡς ὁ μὲν ἔνθ' ἀπόλωλεν,) ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ: τὸν ἐν θαλάττῃ θάνατον ἀκριβεστάτην ἀπώλειαν εἶναι τιθέμενος, οὐδένα γοῦν ἄλλον ἐξαπολωλέναι φησὶν, ἀλλ' ἕκαστος ἀποθνήσκων ἀϊδός δε βεβήκει, (vt Iliad. X. v. 362. & alibi paſſim.) d.) Duos Aiaces apud Homerum habemus, vnum Telamonis, alterum Orlei filium. De hoc miniore, qui rex Locrenſium fuit, ſermo hic eſt. e.) in Laconicis f. m. 102. vbi Leonymus ἰδεῖν μὲν

ἔφασκεν Ἀχιλλέα, ἰδεῖν δέ τὸν Οἰλέως, καὶ τὸν Τελαμῶνος, αἴαντα. f.) Regeri enim poteſt: non e Pauſania litem hanc, ſed Homero decidendam: & exponi Pauſaniam poſſe iuxta eos, qui Aiacem fulmine Palladis percuſſum ſcribant (vid. interpretes Virgilii ad l. Æn. v. 48. inter quos Seruius f. 154. ait eum cum anima fulminis flammam euomuiſſe, & Ouidii in Itin. v. 343.) aut etiam naufragium evaſiſſe, quod autoritate Timæi Locri ſubnixus verius putat Delr. p. 502. comment in Senec. Agam.) g.) interrogat ibi Menelaus v. 489. an quis Græcorum poſt captam Troiam *perierit* (ἠέ τις ὤλετ᾽ ὀλέθρω,) ſiue in mari, ſiue in manibus amicorum? Reſpondet Proteus v. 496. duos omnino Duces *periiſſe*, (ἐν νόςῳ ἀπόλοντο.) Horum alterum Aiacem memorat verſu, quem Syneſius vrget, alterum Agamemnonem, ipſius Menelai fratrem, de quo v. 534. τὸν δ᾽ οὐκ εἰδότ᾽ ὄλεθρον ἀνήγαγε. h) Quærit Syneſius myſterium in phraſibus diſtinctis, ἄιδός δε βεβηκέναι, & ἀπολωλέναι. Fruſtra, idem vtrobique ſenſus. In eo tantum diſcrimen, quod prior illa ſtatum animæ poſt mortem deſignat, in locum ſuum abeuntis, hæc corporis in corruptionem incidentis. Quam & vox φθίμενος de Aiace noſtro ab Ariſtotele in Epitaphiis uſurpata inſinuat, dum Αἴαντ᾽ οἰλιάδην ἐν πελάγει φθίμενον memorat. Eandem Homerus tamen ad ipſas animas tanquam ſuperſtites transferre non dubitauit, apud quem νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν. o-

dyſſ.

dyſſ. λ. v. 490. eſt manibus defunctorum imperare. i.) Græca ſunt: *ταῦτ᾽ ἄρα καὶ ἐν δυσὶν νεκύαιν ὁ μικρός Αἴας ὀυδαμοῦ δράματος εἰσενήνεκται, ὡς τῆς ψυχῆς ὀυκ ὀύσης ἐν ἅδου.* k.) *νεκύας funera*, hic interpretatur Cornarius, *animarum euocationes* Naogeorgus, *inferias* Petauius. Ego græcam vocem retinere malui, quod in vertendo Plutarcho videbam feciſſe & Xylandrum Lib. de aud. Poet. f. 16. & IX. Symp. 5. 740. l.) His duab. Odyſſeæ rhapſodiis λ. & ω. Necyarum nomen inditum a veteribus fuiſſe, docet ſub earum initium Euſtath. f. 1670. & 1950. m.) v. 540. *Αἱ δ᾽ ἄλλαι ψυχαὶ νεκύων κατατεθνειώτων Ἕστασαν ἀχνύμεναι, εἴρο το δέ κήδε᾽ ἑκάστη.* n.) Odyſſ. λ. v. 397. Vlyſſes animam Agamemnonis interrogat: *Τίς νύ σε κὴρ ἐδάμασσε τανηλεγέος θανάτοιο; Ἦε σε γ᾽ ἐν νήεσσι ποσειδάων ἐδάμασσεν. Ὄρσας ἀργαλέων ἀνέμων ἀμέγαρτον ἀυτμήν;* (qui duo poſteriores verſus totidem pene verbis repetuntur Odyſſ. ω. v. 109.) Reſpondens Agamemnon v. 405. negat, ſe a Neptuno domitum fuiſſe.

§. XX. Pergit Syneſius o) *Etiam Achillem fortiſſimum alioquin & prorſus impauidum Virum ad mortem in aquis exhorruiſſe*, & exitialem (*λευγαλέον*) *eam appellaſſe.* Ita ſane eſt. Sed cauſam averſationis ex Homero ipſo cognouimus ſupra p) longe diuerſam ab ea, quam Syneſius ex aëre captat. Ringitur

Achilles, quod fortis ipſe a forti Hectore non fuerit occiſus potius. Ergo quod maritimam mortem λευγαλέον cognominat, *exitialem* interpretabimur, non animæ ſed corpori, quo pacto perpetuum hoc epitheton fuerit: aut *ignauam* potius, vel *ingloriam*, nam & hanc vocis illius vim eſſe conſtat. q)

o.) Græca ſunt: ϗ Ἀχιλλεὺς ἀνὴρ εὐψυχότατός τε ϗ φιλοκινδυνότατος ἀποδειλιᾷ πρὸς τὸν ἐν ὕδατι θάνατον, ὅνγε ϗ λευγαλέον καλεῖ.
p.) §. 8. f. q.) De voce λευγαλέος videndus Euſtathius ad Odyſſ. β. γ. 61. (vbi λευγαλέοι ſunt imbelles,) f. 1434. & ε. v. 312. (ſupra §. 8. g.) f. 1542. E quo diſces, pro etymi diuerſitate modo *exitialem* ea notari, a λοιγὸς, exitium, modo *imbellem*, a λέγεσθαι, cubare, dormire. Didymus ad Iliad. φ γ. 281. f. 352. λευγαλέῳ interpretatur χαλεπῷ, ἀδόξῳ. Idem ſiue quis alius ad odyſſ. E. g. 312. f. 63. ἀδόξῳ, ἢ ἀδυνάτῳ, ἢ τῷ δι' ὕδατος. Nannius VII. Miſc. 2. Taub. ad Culic. p. 327. & Alard epiph. p. 153. mortem λευγαλέον reddunt *indignam & perniciosam*, quorum hoc Syneſio, illud veritati dediſſe videntur.

§. XXI. Vltimum e Syneſio hoc eſt: *Hæc*, inquit, r) *animo voluens video milites, quotquot aderant, gladios extraxiſſe, ac ſciſcitatus ab illis audio, melius eſſe, vt animam ſuper tabulato nauis in aërem, quam paulo poſt in fluctus exhalarent.*

rent. Hos ego ſponte factos ac natiuos Homeri ſectatores arbitrabar, eique ſententiæ fauebam. Sed omnino verius eſt, milites hoc feciſſe, quod ſatius eſſe ducerent, *militarem* ſ.) mortem vel magis *naturalem* certe t) obire. Quis enim credat, huic hominum generi vltro in mentem re tam ancipiti veniſſe, quod ſubducto diu ſupercilio ad excuſandum Homeri verſum interpres quondam aliquis elucubrauiſſet?

r) Græca ſunt: Τούτους ἐλίττων τοὺς λογισμοὺς ὁρῶ τοὺς στρατιώτας ἅπαντας ἐσπασμένους μαχαίρας. Καὶ πυθόμενος ἐμάνθανον παρ' αὐτῶν, ὡς καλὸν ἐπὶ τοῦ καταστρώματος ὄντας ἔτι πρὸς τὸν ἀέρα τὴν ψυχὴν ἐρυγᾶν ἀλλὰ μὴ πρὸς κῦμα χανόντας. Τούτους αὐτοφυεῖς Ὁμηρίδας ἐνόμισα, καὶ ἐθέμην τῷ δόγματι. s.) iuxta rationem primam §. 7. quam nec Taubmannus ad Culic. p. 327. Nec Nannius VII. Miſc. 2. licet Syneſium probent, plane diſſimulant, mortem illam *heroicam* vocantes. t.) iuxta rationem ſecundam §. 12. cui fauent ipſa militum verba, licet alio rapiat Syneſius, & cum eo Cerda ſ. 23. ad l. Æn.

§. XXII. Enim vero, quoniam teſtatur Euſtathius u,) Homeri de Aiacis morte verſum illum in re graui adeo ſimplicem atque affectibus vacuum veteribus viſum, vt mirati ſint, eum Ariſtarchi obelum effugere potuiſſe:

ſe: nihil ſimilius eſt vero, quam Græculum aliquem nugacem, vt iſti cenſuræ occurreret, grauem emphaſin tum in verbo *ἀπόλωλεν* excogitauiſſe, tum in cauſa quæ ſequitur, *ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ*. Cui commento tectorium a Philoſophia, quæ *igneam* animæ ſubſtantiam profiteretur x) emendicari decuit. Ac perierat, opinor, tam nobile arcanum y), niſi Seruius ac Syneſius cum aliis ſuis næuis z) ad nos transmiſiſſent.

u.) ad Odyſſ. δ. v. 511. f. 1506. Τοῦτον τὸν στίχον φασίν οἱ παλαιοὶ ἐν οὐθεμίῳ ἐκδόσει φέρεσθαι διὰ τὸ λίαν εὐτελές. διὸ θαυμάζουσι, πῶς ἔλαθεν Ἀρίσταρχον ὀβελίσαι αὐτὸν· ἔχει δὲ εὐτέλειαν ὁ στίχος οὐ διὰ τὴν φράσιν ἀλλὰ διὰ τὸν νοῦν, (perperam hoc inuertit Spondanus ad h. l. Homeri f. 57.) μὴ χρῆναι γὰρ δοκεῖ ἀπαθῶς οὕτω τὸν πρωτέα φράσαι, καὶ οἷον ὡς ἐν ἀστεϊσμῷ. x.) Nam Hipponis quidem dogma, animam *aquam* eſſe differentis (Ariſt. 1. de anima 2. Nemeſ. *περὶ φύσ. ἀνθρ.* c. 2.) aſſumi hanc in rem non potuit. Multo minus Platonis animam ſubſtantiam *immaterialem*, *οὐσίαν νοητὴν*, Nemeſ. d. l.) definientis. Cuius de animarum æternitate librum Ambraciota Cleombrotus cum legiſſet, e muro ſe in mare abiecit, (Lactan. III. 18. Cic. I. Tuſc. p. 166.) nimirum vt immortalis cito fieret. *Igneam* ergo animam ſtatui opportuit. Quanquam ne ſic quidem deſit

Ari-

Ariſtarchis fortaſſe, quod velut ineptum veri configant. Cur enim hac in cauſa ὕδωρ ἁλμυρὸν vocat Homerus? Cur non aptius quæſiuit epitheton? conſtat ſiquidem *ſalſa* maris aqua potius ali incendium, quam extingui (Camerar. 1. ſuccif. 26.) Et ſolis, qui non minus anima igneus eſt, alimentum eſſe humidam eſſentiam, maxime *ſalſam* (ἁλμυρὰν,) iuxta Homer. aſſerit Heraclid. Ponticus in allegat. Homer, p. 68. lat. (p. 355. græc.) Repete §. 17. g. γ.) Sane apud Euſtathium & Didymum ἠδὲ γρῦ huius eſt gloſſæ z.) Seruium *Commentatorem ſæpius otioſum* vocat Kipping. I. antiq. Rom. I. p. 22. *Ex eburnea porta multa illi excidere ſomnia viri docti iam obſeruarunt*, Bochart. Part. II. Hieror. f. 208. Syneſium Cyrenenſem epiſcopum, niſi iocari forte ad fratrem voluit, mireris ab ordinatione recentem (in hoc enim tempus nauigationem illam eius & epiſtolam coniicit Petauius f 48.) terreri potuiſſe talibus nugarum quisquiliis. Sed magis mirum eſt, ſacro eum, cum reſurrectionem nondum crederet, lauacro tingi potuiſſe, Euagr. 1. Eccl. hiſt. 15.) Tantas in eo radices egerat Gentiliſmus. Cuius in hac etiam epiſtola reliquias notes, vt cum initio loci præſentis neſcio quem Philoſophiæ Deum (ſupra §. 23. b.) cum poſtea Xenium (ὡς οἶδεν ὁ ξένιος p. 36. ed. Naog.) iurat.

§. XXIII. Progrediendum iam eſt ad *recentiores*, qui veteri ſomnio nouos tibicines ex aliis, quam Seruius & Syneſius fecerant, ſcriptoribus eunt ſuppoſitum. Vbi quidem non eſt cur *Pedonis Albinouani*, *Seneca*, *Guil.* *Bri-*

Britonis, *Athenagoræ*, *Ouidii*, aut ſimiles loci a quibusdam a) huc adaptati, ſed a nobis iam ſupra b) expoſiti, nos morentur. Verus eorum ſenſus facile ſua luce falſum obſcurabit. Alius Ouidii locus ex eadem eſt Elegia, c) quem e Syneſio Berſmannus d) illuſtrare tentauit, non ſine veri aliqua ſpecie, ſi primam frontem aſpicias. Ait enim: *Opprimet hanc animam fluctus*. Verum quia poſtea e) fatetur Poëta, ſe a Diis quoque maris *ad Stygias vndas mitti* potuiſſe, nihil certius, quam *animam* de *Vita* corporis f) non de altera hominis parte exponi debere.

a.) Delrio, Farnabio, Barthio, Petauio, Bodino, Merula, Amerpachio ſupra §. 4. d. 9. r. u. 12, d. b.) §. 6. 8. 9. c.) l. Triſt. 2. v. 35. d.) ibi p. 301. e.) v. 65. *Mittere me Stygias ſi iam voluiſſet ad vndas Cæſar, in hoc veſtra non eguiſſet ope.* Tota elegia Deos maris & Cœli alloquitur. f.) Ita recte Iac. Pontanus f. 62. Qui cum Cerda ad l. Æn. v. 102. f. 24. docebit, bonis ſcriptoribus *animam* vſurpare pro *vita* non eſſe inſolens. Sic & ſacer Euangeliſta Ioh. 10. 11. ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν ἀυτȢ (Luth. ſein Leben) τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων. Similiter ergo exaudiendum & illud Papinii: *merges hanc animam* ſupr. §. 6.

§. XXIV. Ex iis, quibus Syneſium & Seruium iuuare voluit *Delrius* g) reliquum fecimus nobis ſolum *Alexandri Ætoli* ex Eroti-

cis

cis Parthenii h) carmen i) vbi verſio interpretis Cornarii, quæ puteo ſubmerſi Anthei *exitium* k) ſonat, virum doctum videtur decepiſſe. Qui ſi reliqua ſaltem vel eiusdem verſionis verba perpendiſſet, quæ vna cum Antheo narrant *orcum adiiſſe* ſuſpendio voluntario extinctam Cleobæam, facile intelligere poterat, a Græci Poetæ verſibus adeo nihil eſſe illi cauſæ præſidii, vt eam iugulent potius.

g.) Comm. in Senec. Agamemn. p. 500. vbi Senecæ ac Pedoni Albinouano, (a quibus §. 6. nos abſoluimus,) ſocium addit Alexandrum Ætolum. h.) Hiſtor. 14. de Antheo. i.) E ſeptendecim Alexandri diſtichis ſolos tres vltimos verſus vna cum interpretatione Iani Cornarii, (hic enim edidit Baſileæ A. 1531.) exhibet Delrius. Summa narrationis hæc eſt: Antheus regii generis ex Halicarnaſſo adoleſcens Phobio Mileſiis imperanti obſes datus fuit. In huius amore cleobæa Phobii vxor incenſa cum pudicum iuuenem fruſtra ſæpe ſollicitaſſet, libidine in iram verſa vas aureum puteo iniecit. Anthenmque id eius rogatu extrahere volentem graui ſaxo iniecto demerſit, ipſa præ ſceleris, præue redivivi amoris impatientia laqueo collum induit. Hæc Alexander Ætolus ſub Apollinis, vt apparet, perſona tanquam rem futuram prædicens ita finit: *καὶ τοθ᾽ ὁ μὲν ξείνων πολλὸν ἀπυτμότατος* (perperam apud Delrium legitur, *ἀπὸ σόματος*) Ἠρίον ὀγκώσει τὸ

μεμο-

μεμοϱμένον, ἡ δ᾽ ὑπὸ δειϱὴν ἀψαμένη σὺν τῷ βήσεται εἰς ἀΐδην. i. e. *Et tunc hoſpitum ille multo miſerrimus* (Antheus) *ſepulcrum tume faciet fatale*, (aquam) *ipſa vero* (Cleobœa) *collum ſibi nectens cum ipſo in Orcum deſcendet.* Neſcio cur Cornarius futuri temporis verba, quæ in præcedentibus ſeruauerat, hic in præterita mutauerit, ita reddens: *Sicque ruit præceps hoſpes in* exitium *infelix vndas tumulum ſortitus: at ipſa Collum ſune ligans huic Comes* orcum adiit. k.) Vox hæc in græco non eſt Et ſi eſſet, ad corpus trahenda foret, non ad animam, vt illa λευγαλέῳ §. 20.

§. XXV. Infirmitatem teſtimoniorum a Delrio Citatorum videtur agnouiſſe *Io. Ludovicus* de la Cerda l). Igitur nutanti argumento alia circumſpexit fulcra. Exploremus quam firma. Initio trahit huc illud *Heracliti* m) ψυχῆσι θάνατος ὕδωϱ γίνεται: *animis aqua eſt mors.* Vnde hanc lectionem hauſerit, videat ipſe. Apud Clementem quidem Alexandrinum n) pro γίνεται ſcriptum reperio γενέσθαι. Præcedunt autem & ſequuntur ea, quæ dubitare nos non ſinunt, ſermonem Heraclito fuiſſe non de animæ in aquis extinctione, ſed de elementi in elementum transmutatione, p) Vertendum ergo: Aeri q) mors eſt, fieri aquam.

l.) ad l. Æneid. v. 97. f. 23. vbi cum cauſam peroraſſet, Delrii teſtes in alium locum (puta f. 24.

ad

ad v. 102.) reiicit. Vid. ſupra §. 6. l. m. m.) quem ſupra §. 13. e tradidimus animæ ſubſtantiam igneam dediſſe. n.) VI. Strom. f 250. ed. Heinſ. o.) nec aliter apud H. Stephanum p. 131. poeſ. philoſ. qui loci Heraclitei mentionem addit fieri a Proclo etiam & Philone. p.) præcedit de eadem tranſelementatione locus Orphei, a quo ſua furatum eſſe Heraclitum ſignificat Clemens. Heracliti autem reliqua verba, Cerdæ omiſſa, ſunt: ὕδατι δὲ θάνατος γῆν γενέσθαι. ἐκ γῆς δὲ ὕδωρ γένεται, ἐξ ὕδατος δὲ ψυχή. Max. Tyrius diſſ. 25. p. 257. ex Heracliti ſententia: ζῇ πῦρ τὸν γῆς θάνατον, καὶ ἀὴρ ζῇ τὸν πυρὸς θάνατον· ὕδωρ ζῇ τὸν ἀέρος θάνατον, γῆ τὸν ὕδατος. Quem ad locum Heinſius in notis p. 110. gemina profert ex Antonino. q.) ψυχὰς ἀντὶ τοῦ ἀέρος hic poni evincit vel collatio locorum parallelorum lit. præc. Græcorum exemplo etiam Latini *animam* vſurparunt pro *aere.* Hinc Marcus Meſſala apud Macrobium. l. Sat. 9. 212. *aquæ terræque vim grauem ignis atque* animæ *leuem* dicit. Lucret. Lib. l. p. m. 103. *Et qui quatuor ex rebus poſſe omnia rentur Ex igni, terra, atque* anima *procreſcere & imbri.* Ciceronem quoque ſic locutum docebit Nizolius, & Caſtig. in I. Tuſc. Victorius p. 503.

§. XXVI. Excitabit aliquis in nos fortaſſe *Porphyrium* r) & *Ariſtidem Quintilianum* s) qui illud Heracliti: ψυχῇσι t) θάνατον ὑγρῇσι γενέσθαι, *animabus mortem eſſe, ſi fiant humidæ*, ad animas hominum trahunt. Sed

hi aut vim inferunt ſenſui aut duos Heracliti oportet eſſe locos diſtinctos. u) Neq; tamen ipſa eorum interpretatio cauſam Cerdæ adiuuabit: ſiquidem comparant illam gnomen cum alia eiusdem Heracliti, quæ *animam ſiccam ſapientiſſimam eſſe* pronunciat y) Senſum autem eſſe volunt, animam quamdiu pura eſt, atque in æthere degit ſiccam eſſe, vereq; viuere, illapſu in corpus humeſcere ac mori.

r.) de antro Nymph. p. m. 256. s.) Lib. III. de Muſica p. 106. t.) Marc. Meibom. not. ad Ariſtidem p. 307. pro ψυχὴν, quod erat in codicibus, legendum putauit ψυχῆς. Ego Datiuum pluralem ψυχῆσι prætuli. Sic enim plane eſt apud Porphyrium. Quem ex Ariſtide viciſſim emendo, & e verbis, τέρψιν μὴ θάνατον, priora duo, quæ ſenſum plane contrarium reddunt, expungo. Id vult velut ex Heracliti mente Porphyrius, animas, dum corporibus illabuntur, ex igneis humidas fieri: hunc illapſum vero mortis eſſe aliquam ſpeciem, ab animabus tamen errore quodam deceptis eum ceu rem bonam appeti, (conf. Virg. VI. Æn. v. 751. τέρψιν δὲ εἶναι, inquit, αὐταῖς τὴν εἰς τὴν γένεσιν πτῶσιν. Sciolus aliquis, qui abſurdum crederet, eandem rem & mortem, & voluptatem eſſe, τέρψεως vocem ad præcedentia quoque tranſtulit, illique mortem oppoſuit. u.) Si eundem Heracliti locum & Clemens & Ariſtides adhibuit, vt Meibomio d. l. placet x.) Hoc vt verius putem, mouent me

ver-

verba, quæ apud Porphyrium de τέρψει adduntur, Clementinis plane diverſa. y.) ξηρὰ ψυχὴ σοφωτάτη. Sic habet Porphyrius p. 257. Heraclitus ipſe dixerat, quod perinde eſt, ἀὴ ψυχὴ σοφωτάτη. Atque ſic e Plutarcho apud Ariſtidem quoque legi recte iubet Meibomius. Fuerunt, qui *ſiccam* animam hic interpretarentur ſobriam; Vid. Adr. Iun. Cent. III. Adag. l. Hi ergo mortem animæ *humidam* nihil aliud eſſe dicerent, quam ebrietatem. Sed ne hoc quidnm Cerdæ placeat. χ.) Secundum Platonis philoſophiam hæc dicuntur, cuius Porphyrium & Ariſtidem ſtudioſos fuiſſe, & ad eam rem aliorum Philoſophorum placita traxiſſe liquet.

§. XXVII. Pergamus in Cerda: *Ad hanc veterum,* inquit, *perſuaſionem pertinere arbitror Plutarchi locum de primo frigido* a), *vbi ait, Homerum non fabuloſe, ſed phyſice oppoſuiſſe fluvium Vulcano, Neptunum Apollini: Atque Æſchylum dixiſſe:* πᾶυε ὕδωρ δίκην πυρὸς: Compeſce aquam ignis pœnam. *Itaque hoc naturali inuolucro aſpirarunt illi ad explicandas inimicitias aquæ cum ignea anima. Additque apud Perſas fuiſſe ſupplicandi genus acerrimum & ſecurum repulſæ, ſi ſupplex cum igne in fluuium deſcendens minaretur, ignem ſe in eum abiecturum, niſi impetraret, quod petebat. Fiebat enim compos voti, ſed puniebatur propter comminationem, vtpote iniuſtam & naturæ contrariam. Quod tametſi*

 con-

conferri queat ad ignem Deum Perſarum, non video, cur non etiam ad rem, in qua ſum. Verum eſt, legi hæc omnia, & plura b) penes Plutarchum. Sed eadem non alium in finem diſſeruntur, quam ad probandum, aquam eſſe igni primo calido, contrarium, adeoque primum frigidum. Sub hoc inuolucro animam igneam, & eius mortem latere, mera Cerdæ eſt hariolatio, cui paria reddere cuiuis in promtu ſit c).

a.) f. m. 950. b.) vt illud Archilochi: *altera manu aquam ferebat, altera ignem.* Item prouerbium de re impoſſibili: *ignem aqua miſces,* c.) Si Cerdæ licuit in igne animam, cur nobis non liceat in aqua ebrietatem exaudire, vel quodvis vitium animæ inimicum, & moraliter letale, per dicta §. præced. lit. y.

§. XXVIII. Speciatim de *Homerica Fabula* monemus, nihil minus ab interpretibus ex illa erui, quam extinctionem animæ d) cui alias neutiquam patrocinari Homerum ſupra e) demonſtratum eſt.

d.) inter alia Deorum paria Neptunum Apollini, Vulcanum Scamandro fluuio in fauorem Græcorum contra Troianos tendentium, diſſidentes fecit Homerus Iliad. υ. v. 67. 73. eo exitu, vt Scamandrum Vulcanus pene exureret, contra cum Neptuno congredi Apollo detrectaret, Iliad. φ. v. 356. 467. Nimirum ſuperiores eſſe, qui ſtabant a Græcis, decebat. Iam in eo conſentiunt Plu-

Plutarcho breuium Author Scholiorum in Iliada f. 335. & Heraclides Ponticus in Alleg. p. m. 67. 69. lat. (græc. 354. 356.) quod per Apollinem & Vulcanum *ignis*, per Neptunum & Scamandrum *aqua* deſignetur, pugnantia videlicet elementa. De animæ vero morte altum apud omnes eſt ſilentium. c.) inprimis §. 19.

§. XXIX. *Perſarum* vero mos ille ſupplicandi minax, ad religionem gentis, ignem pro Deo veneratæ, referri non tantum poteſt, ſed omnino etiam debet f). Cur ad rem poſſit, quam Cerda vult, nihil cauſæ eſt, niſi probet inter alia prius, Perſas animabus ortum ex igne, interitum aliis e caſibus nullum, ex aqua certum dediſſe. Si qua talis perſuaſio vnquam hæſiſſet gentibus, mirum, quod ex omni antiquitate produci nemo poteſt, quem in aquis periturum iſto nomine genus hoc mortis abominantem ſcriptor aliquis fecerit: quod nequidem eo ipſo epigrammate, quod alias ad Seruii commentum alludit, auſus eſt *Pierius Valerianus* g). Nos, quia inuento illi Virgilius pariter & Homerus, ad quos alias prouocatum erat, reclamant, quia nec ratio ſolida, nec idoneus vllus teſtis fauet, concludamus, indignum illud eſſe, quo chartas innocentes commaculent in poſterum eruditi.

f.) vid. Briſſon. II. de Regn. Perſ. p. 164. g.) Sic enim alloquitur Mich. Marullum, quem in Vo-

laterano inflatior ſolito amnis Cecina fallente equum cæco vado ſuffocauit: *Cur adeo fluctus contra conaris? in vndis oppetiiſſe horres cur Heliconezatus?* igneus *vt gelido vigor extinguatur in amne Forte times? Atqui ſæpe ſit ignis aqua.* Facit autem reſpondentem Marullum: *Non hoc, inquis, habet male me. Quod miles & acer Sim, doleo: ſub aquis militem obire pudet*, &c. Vid. Paul. Iov. in Elog. Doct. Vir. n. 28. p. 68. Pierium ipſum lib. II. de literat. infelic. p. m. 115.

OBSERVATIO VI.
HISTORIA DE LATROCINIO GENTIS IN GENTEM.

SVMMARIA.

B*Arbaræ Gentes citra cauſam deprædari ſolebant quondam Gentes alias.* §. I. *Dicitur mos ille appropriato nomine Latrocinium.* §. II. *Notat id tamen non bellum ethice vel politice iuſtum, quod quidem latrocinando ſæpe etiam geri ſolet. Ad bella phyſice iuſta vero non congrue applicaueris.* §. III. *Nec ſignificat latrocinium priuatorum.* §. IV. *Sed Gentis authoritate publica inſtitutum, a cædibus & rapinarum ſcelere non alienum.* §. V. *Abſtrahimus tamen ab eo, quod gens quædam in ſe ipſam exercet; Reſpicimus potius ad id, quod gens in aliam Gentem diſtinctam ſuſcipit.* §. VI. *Talia frequentiſſima antiquiſſimis temporibus vſitata*

fue-

fuere. §. *VII.* *Ante Diluuium Cain eorum author fuit.* §. *VIII. Hinc Gigantes Latrones memorantur in S. Codice, qui fors gentili de Gigantibus cum Diis belligerantibus fabulæ occaſionem dederunt.* §. *IX. Poſt Diluuium Nimrod.* § *X. Sed tamen cum Bodino non inferendum, per vim & metum tantum ad Ciuitates ineundas coactos fuiſſe homines.* §. *XI. Euſebius Latrocinium Gentis in Gentem vocat Scythiſmum.* §. *XII. Quem Barbariſmo æquiparare videtur.* §. *XIII. Barbaricæ nempe fuere Gentes Latrociniis deditæ.* §. *XIV. Et hæ vel atheæ propter ſtuporem aliquantum mitiores; Tales Phlegyæ.* §. *XV. Vel male religioſæ. Sic Græci, Latini, Germani; id quod illuſtrat vox Latinorum hoſtis, Græcorum* λεία, *& Germanorum* Herr, *Hebræos Bodinus perperam accuſat.* §. *XVI. Nomades ſeu Hamaxobii huc fors referendi.* §. *XVII. Sed & Chriſtianæ Gentes olim deditæ latrociniis, vti Sturmari, Holzati, Thetmarzi* §. *XVIII. Intentio* τῶν ληςρικῶν ἔθνων *non mala, ſi cætera ſaltem forent paria.* §. *XIX. Terreſtria æque ac Maritima indigitamus Latrocinia.* §. *XX. Quæ in res magis quam homines directa erant.* §. *XXI. Heniochorum* ἀνθραπόριςμοι *eo non pertinent, priuatis potius Latrociniis accenſendi.* §. *XXII. Græci quidam populi moderatiores, a cædibus maxime abſtinentes.* §. *XXIII. Heſtiones & Brigantini eo crudeliores.* §. *XXIV. Tauriſci parcebant iis, quorum opera carere non poterant.* §. *XXV. Germanorum & Nor-*

 dal-

dalbingorum ſæuitia temperata magis. §. *XXVI. Non item Thracum, Odryſiorum, & Dolopum.* §. *XXVII. Sic Mardi, Vxii, Elymæi & Coſſæi violentiam ſaltem intentabant quæſtus faciendi cauſa.* §. *XXVIII.*

§. I.

SOlenne fuit in hunc vsque diem Gentibus efferis, alios populos ex mera libidine & absque vlla juſtæ cauſæ dictione, quibus poſſent modis deprædari, atque hac arte, quam ipſæ non vtilem ſibi modo, ſed immani opinionis errore honeſtam quoque; vel etiam glorioſam imaginabantur, inſtrumenta viuendi comparare.

§. II. Hanc rapiendi profesſionem Græci *ληϛείαν* a) appellauerunt, Latini vocabulo, quicunque primus ejus vſus fuerit b), certe poſtea notæ infamis c), quam ablatum illi non cupimus, LATROCINIVM d).

a) *Thucydides citandus* §. 20. γ. *& alii paſſim. Hinc* βίος ληϛρικὸς *infra* §. 15. h. ἔθνη ληϛρικὰ *Strab.* l. IV. *de Lepontiis agenti* f. 224. b) Fuit, quando ſtipendia militaria latrociniorum nomine ſignifiearentur, *ait Vadianus ad Melam Lib. III. f. 175. Nempe quia Latro militem olim notavit conductitium, quo ſenſu & aliquoties vſurpat Plautus. Pareum vide lex. Crit, p. 664. & Etymologos, Becmannum p. 602. Fungerum p. 533. Martinum f. 1406. qui non ad ſtipatores modo, ſed Venatores quoque tranſiiſſe docet hanc appellationem.*

nem. Adde Brech ad L. 118. de V. S. f. m 269. c) *Vid. Tabor in Armam. Iuſtin. c.* 3. *th.* 28. *p.* 60. Sic apud Hetruſcos masnadcrii (*maſnadieri*) antiquioribus milites, poſterioribus obſeſſores viarum appellati ſunt, *Montecatin.* ad l. Pol. Ariſt. f. 287. d.) *Heinſ. in paraph. Polit. Ariſt. p. m.* 45. excurſiones prædæ cauſa inſtitutæ quæ antiquis dicebantur latrocinia. *Tacit. XII. Annal. p.* 134. In ſuperiore Germania trepidatum aduentu Cattorum *Latrocinia* agitantium. *Alios locos proferemus paſſim.*

§. III. Quo nomine ſtatim ea ſeparatur *a iuſto bello* e), puta quod tale dicitur vel ex Naturæ, vel moratiorum f) ſaltem Gentium lege: atque huc pertinet, quod & ICti hoſtem a latrone diſtinguunt. g).

e) *Quod de Regnis Auguſtinus IV. de C. D.* 4. *id nos de bellis vere pronunciabimus:* Remota iuſtitia quid ſunt bella, niſi magna latrocinia? *iuſtum vero bellum trifariam dicitur,* Ethice *ab interna,* Politice *ab externa iuſtitia,* Phyſice *a magnitudine, quomodo iuſtum prælium, iuſtum exercitum dicimus, cui nihil deeſt ad tuendum nomen. De prioribus hic duabus loquor ſignificationibus quæ ad* qualitatem *pertinent, non de vltima (quam obiter & Grotius internoſcit III. de I. B. & P.* 3. *n.* 1. *quæ ad* quantitatem: *licet hanc etiam iuſti belli menſuram raro impleant latrocinia Gentium quo refero illud Syneſii Cataſtaſi in Barbarorum excurſ. f.* 302. *edit. Petav. Lutet.* 1633. *de Auſurianis:* Neque enim confertis copiis regionem peruagati ſunt: ad *latrocinia* ſeſe converterunt, fugientes identidem atq; irrumpentes,

οὐ γὰρ ἐξεχύθησαν ὅλῳ πλήθει κατὰ τῆς χώρας· λῃστήρια μετετάξαντο ἀφήλλοντο, καὶ προσήλλοντο. *Viciſſim, iuſtum quoque (ethice vel politice) bellum geri poteſt latrocinando, h. e. copiis non plenis excurrendo & vellicando, quomodo interpretor conſilium Demoſthenis, cum ſuaderet, Græcis latrocinia contra Philippum:* λῃστεύειν ἀνάγκη, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τοῦ πολέμου χρῆσθαι τὴν πρώτην. *Quod latrocinii genus nolim cum præſente noſtro confundi, vt factum video a Cerda in III. Georg. f. 422. Demoſthenis locum citante.* f.) *Moratas gentes barbaris oppono. Illæ ratione ducuntur, has inſcitia regit, aut brutus affectus, vt audiri hoc loco, ſi maxime conſenſu mutuo in ius aliquod latrocinandi conſpirauerint, minime debeant. Vide infra* §. 14. e. g.) *H. Grot. d. l. Pard. Pratei. Lex. Iur. f.* 293. *Forner. ad l.* 118. *de V. S. f. m.* 270. *Paul. Buſ. III. de Rep.* 3. *p.* 103.

§. IV. Ne autem cum latrociniis *priuatorum* confundatur, adiecta titulo Obſeruationis noſtræ Vox GENTIS h) cauet. Enim vero non auſu priuato, ſed autoritate publica inſtitutum hoc ſuſcipiatur. Itaque Græcos, antequam miteſcerent, πρὸς λῃστείαν conuerſos, ἡγουμένων ἀνδρῶν οὐ τῶν ἀδυνατωτάτων memorat Thucydides i). Et de Germanis olim noſtris Cæſar k) *Vbi quis ex principibus in concilio ſe dixit ducem fore* (ad latrocinium extra fines cuiusque Ciuitatis,)

vt qui ſequi velint, profiteantur, conſurgunt ii, qui & cauſam & hominem probant, ſuumque auxilium pollicentur, atque ab multitudine collaudantur: qui ex iis ſecuti non ſunt, in deſertorum ac proditorum numero ducuntur, omniumque rerum iis poſtea fides abrogatur.

h.) *Ita latrunculis* exteræ gentis *a latrunculis*, (*ſimpliciter dictis*) *diſcernere nos docet Magnif. Zieglerus p.* 381. *ad H. Grot. apud Tacitum IV. Hiſtor. p. m.* 315. *Garamantes latrociniis fœcunda gens.* Sed gens tamen; *addit Grotius III.* 3. 2. *vbi ex profeſſo inter ciuitatem, & cœtum piratarum aut Latronum diſtinguit.* i.) *Lib. I. ſ.* 4. *ed. græcol. H. Steph.* k.) *Lib. VI. de Bell. Gall. c.* 23. *p. m.* 159. 160.

§. V. Vbi monendum illud inſuper, ſolere quidem, cum de priuatis loquimur, Latronem, vt qui cæde aggrauet rapinæ ſcelus, a *graſſatore, prædone*, ſeu *raptore* l); vtrumque a *fure* m), qui clandeſtinam quippe artem exerceat; latronem item publicum a *nocturno populatore agrorum* n) diſtingui: Verum nos h. l. vocem *latrocinii*, quod gentem ipſam auctorem habeat, ita *late* extendere, vt maleficii genus id omne, nullo cruenti incruentive facinoris, nullo manifeſtæ occultæue direptionis, nullo diurni nocturniue temporis diſcrimine comprehendat o). Id quod poſtea clarius intelligetur. p)

l) *Spei-*

l.) *Speidel. notab. p.* 316. *Dn. Felden. Elem. Iuriſp. p.* 215. 228. m.) *Idem d. l. Furtum. p.* 186. *ſub quo inter alia eſt abigeatus p.* 193. *plagium p.* 195. *furtum aratrorum, ib. a Rapina p.* 214. *ſub quo latrocinium p.* 215. *diſtinguit.* Latro per vim, fur clam aufert: *Item* Latro de die, fur de nocte, *Anton. Nebriſſ. Lex. Iurid. p.* 508. Iura tamen ſæpius vnum pro altero accipiunt. *Angel. de Clauaſ. in Summ. voce Latro.* n.) *Id. ib. voce immunitas num.* 17. *f.* 132. *Sylueſt. de Prier. in Summ. voce latro f.* 283. *Ant. Nebriſſ. d. l. vbi latronibus publicis accenſet etiam eos*, qui habentes arcem & caſtrum diſrobant homines tranſeuntes. *Quo de hominum genere vid. & Beſold. Theſ. pract. f.* 749. *t.t.* Raubſchlöſſer. o.) *Nam qui nomina Latronis, prædonis, furis, populatoris nocturni diſtinguunt, verſantur in metienda delictorum, quæ ſub eodem genere ponderibus quaſi diſcrepant*, quantitate. *Nobis e ſtatu* quantitatis *præcipua lis de ipſo genere futura eſt aduerſus eos, qui latrocinia gentium pro licitis & honeſtis defendunt.* p.) §. 23.

§. VI. Iam Gentis hoc ipſum latrocinium in hanc ſignificandi amplitudinem evectum duplex cogitari poteſt, *inteſtinum & externum.* Illud gentis cuiusque in ſe ipſam; hoc in aliam gentem. q) Ad inteſtinum refero, vt hodie rapinas Tartarorum ſub eodem iudice r), ſic olim furta Lacedæmoniorum & Ægyptiorum s), forte & Perſarum, ſi quos Cardaces vocant Hiſtorici; rapinis vixerunt t), manuque rapace verſus ipſos Ciues vſi fuerunt. Sed hoc de genere nihil nobis prin-

principaliter eſt propoſitum. Ideo latrocinium Gentis IN GENTEM, h. e. externum agnominauimus. Quod iam e dictis definire licebit *excurſionem* u) *autoritate publica ſuſceptam* x), *qua gentis aliena* y) *ſecuritas publica contra fas* z) *turbatur.*

q.) *forte & ſic diſtinguas:* Illud *intra*, hoc, *vt caute Cæſar* (*ſupra* §. 4.) *extra fines cuiusque ciuitatis. Certe ſi quid aliter euenit vt raptus Sabinarum* (*de quo* §. 16. x.) *extraordinarium ſit.* r.) *Sic enim de his e Bar. Herberſteinii Commentariis rer. Moſcov. referunt Enenkel ad Thucid. pag.* 486. *& Bernegg. q.* 75. *ad Tac. Germ.* Vt quisque re aliqua indiguerit, eam ab altero impune rapere poteſt. Si quis apud Iudicem de vi illataque iniuria queritur, reus non negat, ſed ea re ſe carere non potuiſſe dicit. Tum Iudex talem proferre ſententiam ſolet: Si tu viciſſim re aliqua egueris, rape ab aliis s.) *Furta penes hos populos olim lege publica valuiſſe, paſſim obuium. De Lacedæmoniis vide Plut. in Lycurg. f.* 47. *& Cerdam in IX. Æn. f.* 375. *De Ægyptiis Diod. Sicul. Lib. I. c.* 3. *f.* 36. t.) *Hoc videtur innuere Strabo Lib. XV. f.* 848. *ed. græcol. Xyland. & credere Cæl. Rhodig. XVIII. Lect. ant. l. f.* 962. *Sunt tamen qui milites interpretantur, & hinc apud Cornel. Nepotem in Datame c.* 8. *pro* Gardates *ſcribere iubent* Cardaces *vid. ibi Schottum f. m.* 14. *Briſſon. III. Perſ. p.* 326. u) *Sic & Heinſ. ſupra* §. 2. *d.* Excurſionis *vocem hac in re vſurpatam & Ciceroni docebit Nizolius. Sic autem eam extende, vt nauales etiam euagationes, de quibus* §. 20. *c. complectatur. Piratam certe Galli* Courſaire, *Itali* Corſale

ſale *vocant; quam vocem a* curſu *flexam eſſe putes. Remeſio tamen Italis appellantur* ſi Corſali *ob* Corlicæ *incolarum* ληϛρικὴν, *de quâ infames ſunt, cap. II. de Ling. Punic. num. 6.* x.) *binc diſtinge definitum noſtrum a latrocinio priuato* §. 4. y.) *binc a publico gentis, ſed inteſtino*, §. 6. z.) *binc a bello iuſto*, §. 3.

§. VII. Circa huius exiſtentiam ante omnia turpiſſimæ conſuetudinis antiquitas venit eruenda. Quanquam enim noſtra etiam ætate Tartari & Arabes a) hanc artem faciunt, nemo tamen putet inuentum recens eſſe. Hugonem Grotium hac de re ſi roges, tria reſpondeat b) 1) Latrociniorum licentiam illam iam ante diluuium cœpiſſe. 2) Inde a diluuio repetitam fuiſſe 3) ab Epiphanio Σκυθισμὸν vocari. Singula dabimus operam vt ſint planiora.

a) *Tabor. Armam. Iuſtin. c. 6. th. 23. p.* 344. *Montecat. in l. polit, Ariſt. f.* 290. *Gipban. ibid. p.* 89. b) *integer locus eſt II. de I. B.* 15. *num.* 5. *pag.* 243. Id inde ortum (*agit de neceſſitate fœderum, quæ id ipſum, quod alioqui Iuris eſt naturalis, conſtituunt:*) quod regula illa iuris naturalis, cognationem inter homines quandam eſſe natura, ac proinde nefas eſſe alterum ab altero lædi, vt olim ante diluvium, ita rurſus aliquo poſt diluuium tempore malis moribus eſſet obliterata, ita vt latrocinari & prædas agere in externos nullo bello indicto pro licito haberetur, quod Σκυθισμὸν vocat Epiphanius. *Quo cum loco confer alios eius duos III.* 3. 2. & 9. 18. *vbi ſeculum illud vocat Nomadum,*

§. VIII. Ante diluuium Reſpublicas, ſaltem corpore multarum Gentium Ciuitatumve minores, extitiſſe, tanta generis humani ab vno coniugum pari multiplicatio dubitare nos vix patitur. Iam cum ſucceſſu temporis adeo mortalium improbitas creuerit, vt eam vniuerſali cataclyſmo vlciſcendam ſtatueret Deus, perquam ſimile vero eſt, reliquorum flagitiorum cumulum, in eo cœtu, quem veræ contrarium Eccleſiæ fratricida Cain auſpicatus eſſet c), auxiſſe illam latrocinandi effrenem libidinem:

c) Primus fuit terrenæ Ciuitatis conditor fratricida, *Auguſtin. XV. de C. D.* 5. Ciuitas magna (*Apoc. II.* 8.) quam videlicet prius ædificauit Cain, & nominauit eam ex vocabulo filii ſui (*Gen.* 4. 17.) hic mundus intelligendus eſt: quem accuſator fratrum ſuorum Diabolus, & fratricida Cain, periturus extruxit vitiis, ſceleribus condidit, iniquitate compleuit: quæ ſpiritualiter appellatur Sodomo & Ægyptus, *Hieron. ad Marcell.* (*Tom. I. f.* 57.) *Et vero Cainum ipſum latrociniorum crimine infamant Scriptores vetuſti. Ioſephus Lib. I. Antiq. c.* 4. *de ipſo ſic inter alia loquitur*: Ad luxuriam quoque & latrocinium (πρὸρ ἡδονὴν ϗ λῃςείαν) ſuos familiares inuitans, quorum Doctor in ſceleſtis ſtudiis erat. *Euſtach. in Hexaem. p.* 46. *edit. Lugdun. An.* 1629. *de eodem:* In locum quendam Cainan nuncupatum appulit: in quo omne nefas ſcolusque admittebat, viatores prætereuntes inſidiis aggrediebatur, eosque occidendo

dendo ipſe latrociniis intentus prædas agebat, & ſpoliis ſibi innumeram pecuniæ multitudinem, quæ verbis nequit explicari, parauit. (τȣ̀ς παριόντας ἐνεδρεύων ϗ ἀναιρῶν, ϗ ἐκ τῶν σκύλων χρημάτων συνάγων πλῆθος ἀμύθητον) *Vide ibi & notas Allatii p.* 211. *E recentioribus eadem ſententia eſt Geor. Hornii Lib. I. Hiſt. Philoſ. c.* 9. *pag.* 50.

§. IX. Sane Gigantes illos ſeu נפילים quos hiſtoria ſacra d) memorat, Tyrannos, oppreſſores, graſſatores, latrones exponi video e.) Qui ſi ſubditis non pepercerunt, quanto minus vicinis? Magis hoc erit probabile, ſi eos plane atheos, h. e, diuini cultus iuxta cum Lege reliqua naturæ oblitos aſſentiamur f), memoriam huius impietatis conſeruante Gentilium de ferreo ſeculo g), & Gigantibus ipſos Deos cœlo deturbare conatis h) fabula.

d) *Gen.* 6. 4. e) *B. Luth. in verſ. & enarr. in Gen. f.* 95. *Oſiandr. in Bibl. f.* 10. *Pruckn. I. Vindic. Bibl. f.* 60. *Vid. & Chriſt. Schotan. Bibl. Hiſt. ſac. de prima mundi ætate f.* 91. 92. *f. Cyclopibus eos, qui nec Deum nec homines timeant, comparat Luth. d. l. & Chytr. in Gen. f.* 77. *Deum proterue oppugnantes Gigantum more, interpretatur Fr. Iun. in h. l. De Atheiſmo antediluuiano Schotan. d. l. f.* 93. *& Alſted. Lib. XXXII. Encycl. c.* 13. *reg.* 1. *(Tom. IV. f.* 71.) g.) *De quo Ouid. l. Metam. inter alia:* Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus &c. *Plura e Schotano hic pete.* h.) *A Gigantibus*

hic

bis Moſaicis gentilem Gigantum fabulam deriuat Chytr. d. l. Nec dubitem, quin ad ea aliquid occaſionis contulerint; qui Nephilim exaudierunt de hominibus inſuetæ magnitudinis, non plane reiecti a Salom. Geſnero p. 156. *in Geneſ. Porro Gentiles ipſi Gigantes exponebant atheos. Macrob. l. Saturn.* 20. Gigantes quid aliud fuiſſe credendum eſt, quam hominum quandam impiam gentem, Deos negantem, & ideo exiſtimatam Deos pellere de cælesti ſede voluiſſe? *Cic. de ſenect. p.* 78. Quid eſt aliud Gigantum more bellare cum Diis, niſi naturæ repugnare?

§. X. Poſt diluuium, quod alterum er.t, ſuccreſcentibus denuo Rebuspubl. eiusdem tyrannidis monarcham primum Nimrodum, Chami nepotem, liber Geneſeos i) accuſat, cuius Gigantes antediluuianos, diſerteque robuſtum venatorem (hominum puta) nuncupat: vt conſentaneum ſit, illa quoque mutua gentium latrocinia repullulaſſe k). Id q idem dubio caret, in hiſtoria profana vltimas gentium, etiam hodie humanarum origines hoc probro infames eſſe. l).

i.) *c.* 10. *v.* 8. 9. *vbi vide Lutherum f.* 135. (*cui Nimrodus eſt* primus ſiue Turca, ſiue Papa, in terra poſt diluuium) *Oſiand. f.* 15. *Chytr. f.* 93. *Pruckn. f.* 81. *Sal. Geſn. p.* 245. (*qui cum Gigantibus eum confert.*) k.) *militaris vitæ* (*ſubaudi & latrociniorum*) *ſtudium cunctis nationibus* barbaris *commune a* Nino *primo omnium mortalium poſt terrarum inundationem* venatore *iuxta & bellatore acceptum in ſua quamque terra inſtituiſſe, perpetuo-*

que exercuiſſe, donec miti res alii poſt alios didicerint mores, ſentit Cluuer. I. Germ. ant. 43. f. 336. *Apparet* Nini *nomine* Nimrodum *intellectum voluiſſe, cuius cum alii patrem Belum faciunt, alii auum. Vid. Lambec. prodr. hiſt. lit. f.* 21. *Schotan. Bibl. hiſt. ſacr. f.* 113. l.) *infra* §. 16.

§. XI. Sed caue cum Bodino m) hinc prima promiſcue ciuilium ſocietatum incunabula repetas, quaſi *violentia* potius aut *metu*, quam blandis naturæ inuitamentis initio coiuerint Respublicæ. Diſtingue potius Rempublicam tum Coloſſeam a pygmæa n), tum prauam a recta, tum Eccleſiæ falſæ a veræ. Conſentaneum enim non eſt, magnam paruis, paruam rectis, impiam piis priorem fuiſſe o).

m.) *l. de Rep.* 6. *f.* 46. *II.* 2. *f.* 569. *c.* 3. *f.* 195. 166. *III.* 8. *f.* 350. *IV. l. f* 371. *item c.* 7. *meth. hiſtor. p.* 354. *quibus omnibus locis hiſtoria præcipue Nimrodi latronis* (*ſic eum vocat f.* 350.) *in ſententiam ſuam abutitur: aduerſarios viciſſim nactus Arniſæum. l. de Rep.* 9. *p.* 77. *Relect. pol. c.* 2. *ſect. I. pag.* 320. *ſect.* 15. *p.* 393. *& Piccartum ad Pol. Ariſt. III.* 15. *p.* 467. *Atque hæc de origine Rerumpubl. per* Violentiam *intellige. At* metum *illa Bodini pertinent III. de Rep.* 7. *f.* 328. 329. Vis a Valentioribus illata fecit, vt imbecilliores loca natura tecta — conquirerent, aut arte — munirent, —inde oppida vrbesque conſtituta. — Fuit enim primum genus hominum rapinis, cædibus ac latrociniis deditiſsimum. — Hæc igitur latrocinandi licentia homines ad amicitias & ſocie-

cietates coeundas adegit. n.) Pygmæam *voco, cui vel vrbs vna ſufficit:* Coloſſeam, *quæ de multis non vrbibus tantum, ſed prouinciis, gentibus coagmen atur. Quales vel maxima vel famoſiſſima ſunt illæ quatuor Monarchiæ coloſſi Danielici, quibus à Nimrodo inchoata Babylonica principium dedit.* o.) *Primus quidem Cain legitur ædificaſſe ciuitatem Gen.* 4. 17. *Sed aliud eſt ibi Ciuitas aliud hic nobis Reſp. Plura Pruckn. l. Vind. Bibl. f.* 53.

§. XII. Quod loco tertio aiebat Grotius, ab Epiphanio licentiam latrocinandi vocari Σκυθισμὸν, ſic habe: Nationum prærogatiuas in Eccleſia ceſſare ſignificaturus S. Paulus, negat coram Deo eſſe *Græcum, Iudæum, Barbarum, Scytham* p). Ex his verbis Epiphanius q) ab Apoſtoli mente plane diſcedens r), nec hiſtoriæ veritati s) ſatis, aut ſibi ipſi, t) per omnia conſtans, vniuerſarum hæreſium capita ſumma u) quatuor cudit hoc ordine x), vt *Barbariſmus* ab Adam ad Noe, hinc ad turrim Babel & Seruch *Scythiſmus* fuerit, poſtea *Græciſmum*, h. e. cultum Idolorum *Iudaiſmus* exceperit.

p.) *Coloſſ.* 3. 11. *Senſus huius loci planiſſimus eſt, pasſimque obuius apud interpretes ſacros. Vid. Oſiand. Bibl. f.* 569. *Selnecc. Part. II. comm. in Ep. Paul. f.* 223. *Perſpicue Voſſius mentem Apoſtoli eloquitur:* in renouatione chriſtiana non meliorem, aut deteriorem eſſe conditionem Iudæi, quam Græci, nec

Græci quam Barbari, nec vulgaris Barbari, quam Scythæ, etſi hic cœteros ſuperare barbarie exiſtimetur, *l. de Orig. Idol.* 3. *pag.* 17. *Quanquam vero Salmaſius in oſtilegio linguæ Helleniſticæ Scyticam gentem ab Apoſtolo Barbaris opponi exiſtimat, non velut eximie rudem, ſed tanquam* eam, quæ minime omnium eſſet barbara, & quæ ſapientia ac prudentia humana cœteris præcelleret: *tamen expoſitionem eius non probat Chriſtian. Schotanus Bibl. hiſtor. Sacr. de ſecund. Mund. æt. f.* 102. q.) *Præf. adv. hær. ad Acac & Paul. & Lib. I. f. 4 & ſeqq. item ib. edit. Petauii Paris. A,* 1622. *Sequitur Epiphanium Damaſcenus, prope de verbo eum deſcribens de hæreſ. ab init. Nec obſcure diſtinctionem Epiphanii amplectitur Theoph. Raynaud. Theol. Natur. diſt. VII. q.* 1. *n.* 37. *p.* 657. *Reineſio, ad Scytiſmum quod attinet, Epiphanius primitiuæ Eccleſiæ Doctores ſecutus videtur de DEO Endor. G.* 2. r.) *obſeruant hoc Voſſ. d. l. Petav. ad Epiph. f.* 14. *Iac. Capellus ad locum Pauli* (*Tom. VIII. Crit. ſacror. f.* 3587.) *Videndus & Schotanus loco quem paulo ante lit. p. ſignabamus, vbi mu'tis eſt in examinanda interpretatione Epiphanii.* s.) Neque enim fando vnquam eſt auditum, Noemi poſteros ante turrim conditam Scythas appellatos aut aliis denique quam Scythiæ incolis, poſt nationum vtique diuortia, Scytharum vocabulum atrributum, *Petav. d. l.* t.) *Quatuor quidem Sectas principes nominat, ſed in ipſo procurſu operis quintam addit Samaritiſmum. Vid. Petav. f.* 2. 3. u.) *Ipſi in præf. ſint αἱ τῶν αἱρέσεων πασῶν μητέρες.* x.) *Ter Apoſtoli dictum citat, ſemel in præf. iterum ac tertio f.* 5. *& ib. quatuor nationes ſemper ſuo, nunquam Apoſtoli ordine memorans; quod vereor ne ex induſtria factum ſit magis, quam lapſu memoriæ.*

§. XIII.

§. XIII. Priora duo magis temporum interuallis y) quam morum diſcriminat, vtrique homines tribuens, quibus libido eſſet pro Lege Naturæ z), vnde veneficium, magia, petulantia, adulterium, iniuſtitia a) ſub qua iam & latrocinium comprehendas, licet eius apud ipſum expreſſa nulla mentio. Solum tamen Scythiſmum ex Epiphanio Grotius memorat, non etiam Barbariſmum, ſiue quod in vtraque voce parem eſſe vim ſi de moribus loquare, ſentiret b), ſiue quod hoc vellet ad ſola poſt cataclyſmum tempora pertinere c).

y.) *Hinc eſſe dicam, quod Alſtedius Tom. IV. Encycl. f. 66. ex hoc Epiphanii quaternione, reliqua etiam duo temporum originibus diſtinguentis, quatuor Epochas a Creatione ad Chriſtum ſtruit, eas quidem ita ſupputans:* Barbariſmus *a mundo condito ad Diluuium*, Scythiſmus *a diluuio ad Abrahamum*, Græciſmus *ab Abrahamo ad Legem*, Iudaiſmus *a Lege ad Chriſtum. Satisne per omnia ex Epiphanii ſenſu, nunc non excutio.* z.) *f.* 5. ἦν δὲ μόνον ἀσέβεια (*inter Barbaros, quos poſtea vult Scythas dictos*) καὶ εὐσέβεια (*in cœtu piorum*) ὁ κατὰ φύσιν νόμος (*inter pios*) καὶ ἡ κατὰ φύσιν ἑνὸς ἑκάστου προαίρεσις τοῦ θελήματος, (*inter impios*) *Hoc eſſe dicam, quod Grotius ait, regulam Iuris naturalis fuiſſe malis moribus obliteratam, ſupra* §. 7. *b. Conf. Alſted. d. l. f.* 71. a.) *f.* 4. *loquens de temporibus Iared.* b.) *conf. Scalig. Druſio* (*Tom VIII. Crit. ſacr. f.* 3586.

ad locum Pauli) *citatum.* c.) *Magis hoc dixerim, ſi conſtet a Grotio Epiphanium ſic fuiſſe intellectum, vt a Danæo ad Præf. Aug. de hær. Loquitur enim Grotius de latrociniis, non priuatis, ſed gentium, Danæus autem Barbariſmum a Scythiſmo ſic ſeparat, vt ille fuerit hominum* ἀπολίδων, *hic* πολιτικῶν. conf. Raynaud. p. 657. Theol. Natur.

§. XIV. Nos Epiphanii loco ſaltem in hoc vtamur, vt Gentium, quæ latrociniis ſtuduerunt, qualitatem ex eo diſcamus. Fuerunt enim, hactenus quidem certe, *barbaræ* & ſine Lege Naturæ, ſenſum ſocietatis, quam ipſa natura populis intercedere voluit, mores illis exſurdauerant. d) Enim vero Barbarorum, quatenus hos a Gentibus moratis abiungere placet e), veriſſima in genere definitio eſt, quod ſint, apud quos naturæ lumen oppreſſum eſt f); optima forte diuiſio in atheos & male religioſos.

d.) *Ita Grotius fere loquitur III.* 9. 18. e.) *Vſus diſtinctionis, ne quod vni alterive genti ſiue domi placuit, ſiue foris, pro ipſo ſtatim naturæ aut gentium iure vero habeamus: ſupra* § 3. *f.* f.) *Ianellus ita:* Vt ſcias, quinam ſint *Barbari*, aduerte, quod apud *Ariſtotelem* omnes præter Græcos ſunt barbari: — ſecundum veritatem autem barbari ſunt, apud quos non ſunt bonæ diſciplinæ in moralibus, & eruditiones primæ ætatis, vnde videmus, populos illiteratos, montanos, ſylueſtres pro maiori parte feraliter viuere, *tract.* 1. *in VII. Ethic.* (*Tom. II. op. f.* 93. 94.

§. XV.

§. XV. Ex Atheis populis g), qui in extrema corruptionis linea hærent, latrocinio infames perhibentur Phlegyæ h).

g.) *Vt in beſtiis, ſic in atheis gentibus manſuetas quasdam reperire licet, h. e. rapto & in ſuum genus maleficio abſtinentes, magis præ ſtupore quidem, quam pro conſilio. Tales in Hornanis ad nouam Guineam inſulis interpretor de quibus ſcribunt in hæc verba:* Non potuimus ex vllis iudiciis colligere, quod hic populus Deum aliquem colat: Viuunt ſine omni cura, ut aues in ſyluis, neque emendi vel vendendi illis mos eſt, neque ſerunr, neque metunt, nec aliis laboribus fatigantur, tellus ipſa ſine cultu largitur eis, quæ ad vitam ſuſtentandam ſufficiant, nempe Cocos Nuces, Bananas & ſimiles fructus, ex animalibus porcos tantum habent *ap. Bernh. Varen. in Iapon. p.* 233. 234. h.) *Breuium in Homerum ſcholiorum auctor Iliad. N. f.* 227. Φλέγυας) τοὺς ἐν Φωκίδι ἀθέους Γωρτυνίους καλουμένους. Poſtea: Φλέγυες γώρτυναν κατοικοῦντες παρανομώτατον καὶ λῃστρικὸν διῆγον βίον καὶ κατατρέχοντες τοὺς περιοίκους, χαλεπῶς ἠδίκουν. *E Philoſtrato memorat Cerda f.* 698. *ad VI. Æn. Virg. eos proprio attributo dictos* βαρβάρους.

§. XVI. Male religioſos barbaros, qui eandem artem factitauerint, vel e ſolo Strabone, ſi quis hoc agat, ingentibus copiis conſcribat. Hic ſufficiat memorauiſſe: Græcos i) & Latinos k), quibus aſſociare malo Germa-

nos l) meos, quam cum Bodino m) Hebræos, antiquisſimis temporibus, antequam culturam induerent, huic feritati, cuius & veſtigium quoddam in eorum linguis remanſit n) ſuccubuiſſe.

i.) *De his iam ſupra* §. 4. *Thucididem audiuimus: qui addit, ſuo adhuc tempore morem eum apud Locros, Ætolos, Acarnas viguiſſe. De Athenienſibus priſcis vide Plutarch. Theſeo f. 3. apud quos etiam Solonis Lege, (quod e l. vlt. ff. de Colleg. patet,) probabantur οἱ ἐπὶ λεῖαν οἰχόμενοι (Cuiacius VII. Obſ. 30. & Grotius II. 15, 5. ἐρχόμενοι citant,) h. e.* qui latrocinandi cauſa ſocietatem contraherent, *vt Bodinus interpretatur III. de Rep. 7. f. 328. qui latinum interpretem, cum abſurdum hoc ac falſum putaret, alio ait detorſiſſe. Eum opinor intelligit, qui reddiderat:* in ſocietatem coemendorum pecorum (λείας *etiam pecudes notare obſeruant Lexica*) coeuntes. *Vetuſtiſſimus verterat:* qui & multum ſimul habitantes ſunt. *Quem pro λεῖαν apparet λίαν legiſſe. Ipſa Lex digna, quæ Meurſiano Soloni addatur.* k.) *Numanus apud Virgil. IX. Æn. v. 612. de ſuis:* ſemperque recentes conuectare iuuat prædas, & viuere rapto. *Romani quid aliud initio fuerunt, quam Latronum populus, (ſi modo populus) ad infame, vt Iuuenalis extrema ſat. 8. vocat, aſylum collectus? Vid. & Eutrop. in Romulo & Numa. Nec Sabinarum raptum, h. e. prima ipſorum connubia, excuſari plane patiar. Similes labra lactucas quærere debebant, non rapere, per ius etiam hoſpicii violatum; iuſte*

iuſte negata. Neque ſtatim latrocinandi morem barbarum deſitum iis fuiſſe, doceri ex Polybio poteſt, qui Lib. III. f. 179. edit. Græcol. Francof. A. 1609. memorat, Carthaginenſi fœdere indictum Romanis, vltra Pulchrum Promotorium, Maſtiam & Tarſeium ne prædatum excurrerent. μὴ λῄζεσθαι. l.) *Cæſari, quem §. 4. teſtem laudaui, Tacitus & Mela accedent §. 19. γ. 2. & §. 26. r. Hic ſatis ſit ad Cluuerum l. Germ. ant. 46. f. 365. 370. miſiſſe.* m.) *III. de Rep. 7. f. 329. A. Cauſam aliam proferri non video, quam quod Hebræis (quod & alibi inculcat I. b. & II. 2. f. 46. 189.) venatores v centur latrones. Sed robuſtius argumentum res deſiderat. Dicat aliquis, Iudæos tamen damnum datum ei, qui nec Iudæus ſit, nec Iudæis fœderatus, ſarciendum negare, (Grot. annot. ad II. de I. B. 15. 5. p. 252.) nempe quia prædæ ſuæ expoſitos credebant omnes gentiles, & tanquam hoſtem communem merito perimi, occidi, ſpoliari, qui alia, quam Lege Dei viueret, (Tabr. Arm. iuſtin. c. 6. tb. 22. p. 343.) Verum ad iuniores Hebræos hoc pertinet, falſos diuinæ Legis (Tab. d. l. e. Grot.) interpretes: noſtra quæſtio ad antiquiſſimos. Quos grauare ſuſpicione qui cupiunt, (neſcio an & Cluuerum hoc dicam feciſſe l. Germ. ant. 43. f. 336.) velim teſtes edant, non meras proferant coniecturas. Patiar Hebræos, antequam Deus illis manum benignam iniiceret, idololatras fuiſſe, latrones fuiſſe tum credam, cum fidem fecerit auctor idoneus.* n.) *Vocabulum* hoſtis *peregrinum, initio ſignificaſſe, Grammatici docent. Scio, Ciceronem I. off. pag. 8. ad manſuetudinem ſuæ gentis hoc referre, quaſi, dum pro perduelli hoſtem h. e. peregrinum appellant, lenitate verbi*

triſtitiam rei mitigare voluerint. Sed inſeruit ibi, vt alias, gloriæ popularium. Vera caſcæ accepti- nis ratio, quia primo æuo externum loco non meliore, quam inimicum habuerunt, cui quouis modo incommodare fas foret. Mecum facit Beſold. c. 6. de iure ordinibusque civ p. 63. & Grot. II. 15. 5. p. 244. Copioſius hæc c. 104. promiſſ. tractata ſunt, vbi & Bodini (II. de Rep. 6. f. 47.) ſententiam, Græcis Veteribus æque ac Latinis hoſtes peregrinos (ξένȣς) appellatos fuiſſe, *confutavimus, quæ alias, ſi vera eſſet, inſtituto noſtro non male quadraret. De Græcis ergo illud potius hic dicam, eos ingenium ſuum voce* λεῖα *prodidiſſe, quæ* prædam *ſignificans,* ἀπὸ τȣ̃ λαȣ̃, *a* populo *deducta videtur, quaſi populo digniſſimum artificium fuerit prædari. (Sane* ληϊστὶς *Minerua dubios habet Grammaticos, a præda cui præſit, an a populo quem ſeruet, ipſam denominent, ap. Gyrald. Synt.* XI. *hiſt. Deor. f.* 340.) *Hoc pacto in tribus linguis,* ληΐζεσθαι, populari, verheeren / *eiusdem omnia fuerint originis. Nam &* Heer / (*quod ab Hebr.* ערר depopulari *deriuat Helv. p.* 133. *Etym.*) *populum notat collectum.*

§. XVII. Etiam Nomadum ſeu *ἁμαξοβίων* o) eos, qui rapinis vixerunt p), extra ordinem commemorare libet, ſed e diſpari cauſa, tum quia pars eorum athei q) videntur, pars male religioſi r), tum quia dubius hæreo, totum hoc hominum vitæ ſempervagabundæ genus qua talium, an gentem eo, quem hic propoſui s), ſenſu h. e. Remp.

con-

conſtituat t) magis, quam Cingarorum u) colluuies.

o.) *Vt a tempore populi diuidi poſſunt in antiquos & hodiernos: ſic a loco eſt, vt alios vocemus ſtabiles, qui vitam in domibus terra fixis degunt, alios vagabundos, quibus per omnem ætatem certo propoſito plauſtra ſunt pro domibus quoties commodum eſt, loco mouenda: Vnde nomen Hamaxobiorum qui alias a paſtoritia vita Nomades. Suſpicabar etiam* Saracenorum *nomen*, ληςρικȣ̃ ϗ νομαδικȣ̃ ἔθνȣς, *idem eſſe, quod* ἁμαξοβίων. Sarracum, ἅμαξα, *ap. Laurenberg. pag.* 401. *Antiq. Ammian. Marc Lib.* XXXI. *p.* 469. *de Alanis Nomadibus:* Cumque ad graminea venerint, in obiculatam figuram locatis ſarracis (*mox carpenta vocat*,) ferino ritu veſcuntur. *Sed ſi Saraceni ſic dicti ſunt a* סרק, *quod Arabibus eſt* rapere, prædari, (*Calixt. de pact. Dei cum homine th.* 70. *& App. ſac. p.* 77. *Kipping. ad Papp. p.* 76.) *rectius forte ipſum quoque Sarraci nomen, quod ſane peregrinum eſſe apparet, ab eodem fonte, quam a Sarraco Saracenos derivabimus.* p.) *Scyticam Nomadum Gentem e Strabone diſtinguas in Europæos & Aſiaticos. Europæi lib. VII. f.* 336. *ed. Græcol. Xyland. ſunt ipſi* ἁμαξοικοὶ Σκύθαι, *quos paulo poſt ex Homero vocat* δικαιοτάτȣς ἀνθρώπȣς. *Conf. Iuſtin. Lib. II. c.* 2. *Horat. III. od.* 24. *Ergo hi tales non magis ad nos, quam Athei mites in Hornanis inſulis ſupra §.* 15. *g. At Aſiaticorum* Νομάδων βί⊙ ἀεὶ τοῖς πλησίων ἐπιτιθεμένων *a Strabone proditur Lib. XI. f.* 594. *Quem & de Arabibus Scenitis Lib. XVI. f.* 863.

f. 863. *de Cimbris Lib. VII. fol.* 332. 333. *vide*, *&* *his latronibus*, *Nomadicis ex eodem iunge Heniochos*, *de quibus infra* §. 22. *h. Tales omnino Hunni Ammiano Lib. XXX. de quibus cum p.* 467. *dixiſſet:* Omnes ſine ſedibus fixis absque Lare vel Lege aut ritu ſtabili diſpalantur, ſemper fugientium ſimiles cum carpentis in quibus habitant: *mox p. ſeq. ſubdit:* Hoc expeditum indomitumque hominum genus externa prædandi auiditate flagrans immani per rapinas finitimorum graſſatum & cædes ad vsque Achaiam peruenit. *Prorſum ſimilia de Alanis idem p.* 469. *narrat*, *vbi* Hunnis per omnia ſuppares *vocat*. q.) *Vt Hunni*, nullius religionis vel ſuperſtitionis reuerentia aliquando diſtricti, *Ammian. d. l. p.* 468. r.) *Vt Alani de quibus idem p.* 470. Gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque vt Martem regionum, quas circumeunt, præſidem verecundius colunt. s.) §. 4. h. t.) *De Hunnis iterum Ammianus p.* 467. Aguntur nulla ſeruitute regali, ſed tumultuario Primatum ductu contenti perrumpunt, quidquid inciderit. u.) *Vide quæ diximus in Diſſ. de Cingaris* §. 36. & 66.

§. XVIII. Extra ordinem recenſendi veniunt nobis Nordalbingi veteres, quos ex Helmoldo x) comperio ſimul Chriſtianum nomen profeſſos, ſimul latrones fuiſſe. Qualis hic eorum fuerit Chriſtianiſmus, Theologi pronuncient. Sane nulla religio pacificis artibus hominem æque præparat, vt Chriſtiana.

x.) *Lib.*

x.) *Lib. I. Chron. Slav. c. 47. p. 114. ed. Bangerti;* Tres ſunt Nordalbingorum populi, Sturmari, Holzati, Thetmarzi, nec habitu, nec lingua multum diſcrepantes, tenentes Saxonum iura, & chriſtianum nomen, niſi quod *propter Barbarorum viciniam* furtis latrociniis operam dare conſueuerint. *Verba:* propter Barbarorum vicinium, *ambigua dicat aliquis, & ex iis Nordalbingos immunes delicti faciat, ſi ſenſus ſit, Barbaras ipſos ſubinde incurſantibus vicem i a refuſam quod vero nomine bellum fuerit: neque id iniuſtum, prouocatum quippe a pertinaciter nocentibus. Verum ſi præcedentia intueor, id potius vult hiſtoricus ipſius vitii contagio infectos a Viciniæ Nordalbingos, ſcabie Barbarorum laborauiſſe, hoc ipſo nomine chriſtianam profeſſionem dedecorantes. Confer quæ de Scotis memorabuntur* in Obſ. ſeq. §. 3. i.

§. XIX. Quæ diximus huc vsque, ad *efficientem* pertinent Latrocinii cauſam: quæ ſunt τὰ ληςρικὰ ἔθνη; gentes latrociniis deditæ, a tempore & animi qualitate nobis diſtinctæ. *Fines* illis propoſiti erant, ſi medium iſthoc legitimum foret, non mali, 1. ſufficientia bonorum, 2. materia liberalitatis, 3. gloria y), 4 prouinciæ ſecuritas, 5. fuga deſidiæ. z.)

y.) *Tria hæc de Græcis complexus eſt Thucyd. Lib. I. ſ.* 4. ἐτράποντο πρὸς λῃςείαν κέρδȣς τȣ̃ σφετέρȣ αὐτῶν ἕνεκα, καὶ τῆς ἀσθενέσι τροφῆς, καὶ προσπίπτοντες πόλεσιν ἀτειχίςοις, καὶ κατά κώμας οἰκȣμέναις, ἥρ-

πα-

παζον, καὶ τὸν πλεῖςον τȣ͂ βίȣ ἐν τεῦθεν ἐποιȣ͂ντο, ȣ̓κ ἔχοντ⊕ πωαισχύνην τȣ́τȣ τȣ ἔργȣ, φέροντ⊕ δέ τι καὶ δόξης μᾶλλον. *Ad* primum *finem ſpectabant porro quæ diccimus §. I. Obſ. ſeqv. ad* tertium §. 2. *liberalitas, de qua hic audimus, pauperum infirmorumque neceſſituti ſubuenit. Alia dabatur etiam honori amicorum, vt cum ſponſæ ferebatur dos de præda. Epit. Euſtath. ad Odyſſ. γ. per Hadr. Iun. f.* 44. ἔθνα ταῖς νύμφαις οἱ νυμφίοιτα λȣϊσθέντα σὸν κλέϊ ἔφερον. *De ſimili Tacitum exponas:* Materia munificentiæ per bella & raptus, *c.* 14. *de Mor. Germ.* 2.) *Hæc duo de Germanis Cæſar VI. de Bell. Gall.* 23. Ciuitatibus maxima Laus eſt, quam latisſimas circum ſe vaſtatis finibus ſolitudines habere: hoc proprium virtutis exiſtimant, agris expulſis finitimos credere, neque quenquam prope ſe audere conſiſtere: ſimul hoc ſe fore tutiores arbitrantur, repentinæ incurſionis timore ſublato. *Habes de quarto fine. Nunc ex eodem Cæſare de quinto accipe:* Latrocinia nullam habent infamiam quæ extra fines cuiusque Ciuitatis fiunt: atque ea iuuentutis exercendæ ac deſidiæ minuendæ cauſa fieri prædicant. *Simili obtentu apud Lacedæmonios ius atque vſum fuiſſe (intus) furandi, obſeruat ibi Ioh. Brantius in not. polit. p.* 457. *Ad* quartum *vero finem hæc etiam ſpectant Pomp Melæ III,* 3. Bella (*Germani* cum finitimis quærunt: Cauſas eorum ex libidine accerſunt, neque imperitandi prolatandique quæ posſident, nam ne illa quidem enixe colunt, ſed vt circa ipſos, quæ iacent, vaſta ſint.

§. XX.

§. XX. *Materiam in qua* tum terram a), & in hac interdum ſyluas ac montes b), tum mare c) habebat Latrocinium gentis publicum: vt hinc terreſtre diſtingui poſſit a maritimo d) quomodo in priuatis prædonem a pirata diſtingunt Latini e).

a.) *Exempla paſſim obuia. Hic ſufficiat Strabonis locus de Luſitanis lib. III. f.* 162. Plerique Luſitanorum victus e terra petendi omiſſo ſtudio latrociniis belloque continenter cum ſeſe invicem, tum Tago tranſmiſſo finitimos infeſtarunt. b.) Venedi, quicquid inter Peucinos Fennosque ſyluarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. *Tac. de mor. Germ. c.* 46. c.) *Maritima latrocinia Dolopum Plutarchus Cimone f. m.* 427. *Cilicum Strabo lib. XIV. f.* 762. *Phocenſium Iuſtinus infra* §. 2. d. in Obſ. ſeq. *memorat.* d.) *Vtriusque mentio apud Thucydid. Lib. I. de Græcis.* e.) *Auſ. Popm. IV. de diſſ. verb. p.* 213.

§. XXI. *Materia circa quam*, h. e. illud, quod in his eruptionibus vel auchebatur, vel corrumpebatur, frequentisſime res, rarius perſonæ ſeu homines f).

f.) Res *capiuntur, vt ſeruiant capientibus; corrumpuntur ne ſeruiant priſtinis poſſeſſoribus.* Homines *capiuntur vel in ſpem quæſtus e pretio, vel vt ſubeant ſocietatem herilem tanquam ſerui, aut nuptialem, vt captæ a Romanis Sabinæ; cæduntur, ex timore, ne ſint vltores, vel ex truculentia.*

§. XXII. Quo loco neſcio an Heniochorum

rum g) quoque plagia ſeu ἀνδραποδισμὺς memorem, cum horum latrocinia priuata potius, quam publica fuiſſe videantur. h)

g.) *De his Strabo lib. XI. f. 566. 567.* Idem faciunt in alieno ſolo, (*vt lembos ſuos humeris impoſitos in ſyluis abſcondant, vbi nauigandi tempus aduenerit, iterum ad mare deportandos*) Ipſi pedites noctu vagantur atque interdiu plagii cauſa faciundi. Facile autem homines abductos patiuntur redimi, iis, qui amiſerunt homines, rem poſtquam aduecti fuerint, ſignificantes. h.) *Fuerunt enim reliquiæ militares ex Iaſonis exercitu, qui Ducibus Rheca & Amphiſtrato, Caſtorum aurigis ſeu* ἡνιόχοις, (*vnde & ipſis hoc nomen,*) *ex rapto viuere cœperunt. Memorat Strabo d. l. Qui & lib. ult. prope fin. eos in anguſtis & ſterilibus locis* λῃστρικῶς καὶ νομαδικῶς *viuere aſſerit. Vt haud iniuria Nomadibus iungendi veniant, de quibus §. 17. vel factionibus militum vagabundis, Italiam Germaniamque olim infeſtam habentibus, apud Sepulv. de geſt. Æg. Alborn. p. 9. 18. 27. Caluiſ. ad ann. 1366. Beſold. c. 2. de arte iureque belli p. 14. Diſtinguit eos quidem a Cœtu piratarum aut latronum Grotius. III. 2. 2. vbi Strabonis lib. XI. citat, (neque enim in eo toto Strabonis libro vllus eſt alius locus, e quo excerpere Grotius quæ ibi memorat potuerit) ſed nec Heniochorum nomen, nec prædæ captæ ſpeciem, h. e. homines plagio ſubtractos exprimens, qu d ſuſpectum nobis. Plura dicemus §. 9. n. f. in Obſ. ſeq.*

§. XXIII. *Formam* ipſe actus facit rapiendi corrumpendiue i). Sed in flagitio crudeles

deles alii fuerunt ac ſæui, alii moderatiores: vt hinc nouis diſcriminibus latrocinium partiri liceat, in ſæuum, ac moderatum. Moderationis tres notas in Græcis quibusdam k) exhibet Scholiaſtes Thucydidis l), quod a bobus aratoribus abſtinerent; quod clara die, non per inſidias noctis raperent; quod cædem non facerent. Quam quidem modeſtiam magis imputem humanitatis natiuæ reliquiis, aut ſimulacro magnanimitatis m), quam ex eo Remp. a Cœtu latronum diſtinguam n).

i.) *Repete* §. 21. *f.* k.) *Nam & crudeles quosdam Græcos atque amarulentos deſcribit Plutarchus Theſeo f. 3.* ἀπολάυονται τῆς δυνάμεως ὠμότητι καὶ πικρία, καὶ τῷ κρατεῖν, βιάζεσθαί τε καὶ διαφθείρειν τὸ παραπίπτον. l.) *ad lib. I. f. 4.* ὅτε γὰρ βοῦν ἀροτῆρα ἐλεηλάτουν ἢ ἔκλεπτον, οὔτε νυκτὸς οὔτε μετὰ φόνων ἐποίουν τὴν λῃστείαν. m.) τὸ καλῶς, *quod hic Thucydides vſurpabat, Scholiaſtes interpretatur* εὐσεβῶς καὶ φιλανθρώπως: *Hobbes p. 79. de Ciue,* λῃστρικὴν *fortiter, non crudeliter exercere.* n.) *cum Grotio III. 3. 2. quaſi non & Latronum cœtus alius alio poſſit eſſe modeſtior, & Gens latrocinans ſæuiendo Reip. titulum in ſtatu legali protinus amittat. adde quæ dicemus* §. 9. *k. Obſ. ſeq.*

§. XXIV. Sæuitiam ex aduerſo ſtrages

hominum arguit o), maxime innocentum: quo nomine Heſtiones & Brigantios infamat Strabo, p).

o.) *Ammian. Lib. XXVIII. pag. 404. de Auſurianis, (ſic enim gentis nomen concipit Lindenbrog. p. 162. ad Ammian. e Synеſ. ſupra §. 3. e.)* mactatis agreſtibus, quos inopinus hebetauerat pauor, vel confugere coegerat ad ſpeluncas incenſa ſuppellectili multa, quæ vehi non poterat, aucti rapinis reuerterunt ingentibus. *Horum populationem p. ſeqq.* interneciuam *vocat.* p.) De horum, *inquit*, Latronum in Italos ſæuitia hoc memoratur: eos pago aut vrbe poſitos non modo puberes omnes mares necare, ſed ne infantibus quidem maſculis parcere: Imo ne hic quidem ſubſiſtere, ſed grauidas etiam mulieres necare, quas eorum vates dicunt virilem fœtum vtero ferre, *Lib. IV. f.* 226. *Etruſcorum quoque crudelitas notata Ciceroni in Hortenſio, apud quem*, qui quondam in prædonum Etruſcorum manus incidiſſent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora viua cum mortuis aduerſa aduerſis accommodata quam aptiſſime colligabantur. *Vid. Andr. Patric. fragm. Cic. p.* 55. *ibique in notis p.* 162. *& Cerd. ad illud Virgil. VIII. Æn. v.* 485. *Mortua quin etiam iungebat corpora viuis.*

§. XXV. Aliud moderationis genus, ſed nec ex humanitate, nec animi magnitudine profectum, parcere iis, quorum induſtria vel amicitia carere vix poſſis. Tales Tauriſcos idem nobis depingit Strabo q).

q.) *d. l.*

q.) *d. l. f.* 227. ob inopiam alimentorum & aliarum rerum, pepercerunt nonunquam iis, qui campeſtria tenebant, vt haberent, qui iis ſuppeditarent neceſſaria. Quibus ipſi vicisſim dabant picem, reſinam, tædam, ceram, mel, caſeum, quorum apud ipſos eſt copia.

§. XXVI. Propius ad primam accedebant moderationem Germani noſtri, extra fines formiduloſi, domi ad ſtuporem pene hoſpitales r).

r.) *Cæſar ſtatim poſt narrata eorum latrocinia:* Hoſpites violare fas non putant, qui quaque de cauſa ad eos venerunt, ab iniuria prohibent, ſanctosque habent, iis omnium domus patent, victusque communicatur, *VI. de B. G.* 23. *Mela III.* 3. tantum hoſpitibus boni, mitesque ſupplicibus. *Etiam Nordalbingos, de quibus §.* 17. *&* 18. *actum, hoſpitalitatis gratiam ſectari ait Helmoldus.*

§. XXVII. Contra geminato ſcelere Thraces Odryſi ληςαὶ ϗ ἄξενοι memorantur s) ad quem inhumanitatis gradum tractu temporis etiam Dolopes peruenere t).

s.) *Max. Tyr. diſſ. 21. p. m. 217.* t.) *Plutarch. Cimone fol. 483.* ληιζόμενοι τὴν θάλασσαν ἐκ παλαιȣ̃, τελευτῶντες ȣ̓δὲ τῶν ἐισπλεόντων παρ᾽ ἀυτȣ̀ς καὶ χρωμένων ἀπείχοντο ξένων.

§. XXVIII. Etiam illos moderationi alicui

ſtuduiſſe dicas, qui minis tributa extorquebant, quaſique intermisſionem in latrocinando violentiæ vendebant pretio, vt Mardi olim, Vxii, Elymæi, & Coſſæi u).

u.) *Hi latrones tributa exigebant a Regibus Perſarum, & Medorum, vt e Nearcho refert Strabo lib. XI. f. 610.*

OBSERVATIO VII.

MORALITAS LATROCINII GENTIS IN GENTEM.

SVMMARIA.

Germani & Græci innocentes has artes, modis legitimis acquirendi, belliſque iuſtis annumerarunt. §. I. *Alii glorioſum id vitæ genus anteponebant agriculturæ & iuſtitiæ.* §. II. *Deos ipſos latrociniorum Patronos credebant, quos ferventisſimis precibus implorabant prædaturi.* §. III. *Plato vtut latrocinium faciat ſpeciem artis Venatoriæ, iuſtam tamen eam artem iudicare non videtur.* §. IV. *Ariſtoteles latrocinium in ſeruos natura tales, ſeruitia detrectantes refert ad modos acquirendi naturales, ſed reſpicit ad inſtinctum animalem magis quam rationalem.* §. V. *Hobbeſius quid heic ſtatuat, docemur ex eius hypotheſi de bello omnium in omnes* §. VI. *Damnat latrocinia vul-*

vulgatum illud: Quicquid Tibi non vis fieri alteri ne feceris. §. *VII: Hinc defenſio contra Piratas iuſte ſuſcepta a Minoe, Hercule, Auguſto, &c.* *VIII. Vtut etiam duæ gentes exerceant latrocinia mutuo conſenſu (qui quidem difficillime probari poteſt) læditur tamen iuſtitia vniuerſalis, imo & particularis, & ius tertii.* §. *IX. Belluini iſti mores ſunt.* §. *X. His qui viuunt legem naturalem plane exuiſſe videntur.* §. *XI. Origo* ληϛρικῆς *a Corruptione hominum ante Ciuitates inſtitutas, & abinde accedente indigentia quarundam Rerump., aliarum nimia abundantia & ſibi ſufficientia. &c.* §. *XII. Gentes ingloriofe Barbaræ crediderunt quoque ius armorum eſſe antiquisſimum.* §. *XIII. Inde homines ætatis ferreæ apud Heſiodum, item Germanorum* Fauſt-Recht *fluxit.* §. *XIV. Confirmati quidam populi in Piratica, quibus perſuaſum fuit, homines ad inſtar fungorum ortos, nec a communi Parente Adamo deriuandos eſſe.* §. *XV. Hobbeſii dogmata non parum cum principio* ληϛρικῶν *conuenientia, vitanda ſunt.* §. *XVI.*

§. I.

IN *primo* gradu eos pono, qui latrocinium turpitudine liberabant a) qui non-vetitis artibus, viuendiue aut acquirendi modis accenſebant b): qui cum bello, quod ipſum certe toto genere iniuſtum non eſt, iuxta habent c).

a.) *Germani apud Caeſ. ſupra* §. *19. 2. Graeci ap. Euſtath. lit. ſeq. citandum. Hinc Poetae priſci, obſeruante Thucydide lib. I. f.* 4. *peregrinos occurſantes interrogari faciunt*; num praedones ſint? *innocenti plane, minimeque contumelioſa, vt erat ſeculum, quaeſtione, cuius & in Homero exemplum reperire eſt odyſſ. γ. v. 71. ſeqq. (quos & alibi iterari ſcribit ibi Giphanius,) de Neſtore, Telemachum & ſocios lauto prius a ſe conuiuio exceptos, comiter alloquente, nec minus come reſponſum referente.* b) *Euſtathii ad modo dictum Homeri locum Epitome f.* 44. ἰςέον, ὅτι ΤΈΧΝΗ τοῖς παλαιοῖς ϗ τὸ πειρατέυειν, ϗ ȣ̓ πάνυ ἐπίψογον, ȣ̓ δ' αἰσχρὸν, ὡς ϗ Θȣκιδίδῃ δοκεῖ, ȣ̓δὲ ἄδοξον τὸ λῃίζεσθαι. *Quare profitebantur* ſe viuere rapto. vid. obſ. praeced. §. 16. κ. §. ſeq. d. *quod Ammiano Lib. XXVIII. p. 404. eſt* viuere rapinis & caedibus. c) *Chaldaeus quidam apud Xenoph. de popularibus ſuis:* ἐισὶ δὲ τινες τῶν χαλδαίων, ὁι λῃϊζόμενοι ζῶσι, ϗ ȣ̓́τ' ἂν ἐπίςαιντο ἐργάζεσθαι, ȣ̓́τ' ἂν δύναιντο, εἰθισμένοι ἀπὸ πολέμȣ βιοτέυειν. ἀεὶ γὰρ ἐλῃίζοντο, ϗ ἐμισθοφόρȣν, *III. Cyrip. f. 51. adde locum Taciti in obſ. praeced.* §. *19. y. & Herodoti* §. *ſeq. e. Ipſi ergo Latrones cum eſſent, bellatores ſe interpretabantur. Quorum & vitam geſtandis perpetuo armis imitati Graeci ap. Thucyd. lib. I.*

Ger-

Germani ap. Tacit. c. 13. de mor. eor. & Cluver. I. Germ. ant. 43. f. 336. qui toto eo capite parum abeſt quin & ipſe latrocinia Germanorum in bella transformare videatur.

§. II. In *ſecundo*, qui hoc genus vitæ glorioſum ſibi ducebant d), adeo, vt contra, commutatis rerum vocabulis, turpem haberent agriculturam e) & iuſtitiam f).

d) *Locum Thucydidis repete ex obſ. præc. §. 19. Quintil. III. 9. p. 189.* rapto viuere quibusdam honeſtum, aliis cura Legum *Ouid. γ. Triſt. II.* innumeræ circum gentes fera bella minantur, quæ niſi de rapto viuero turpe putant. *Scholia Didymi ad Odyſſ. γ. f. 28.* ȣκ ἄδοξον ἦν παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸ λῃςέυειν, ἀλλ᾽ ἔνδοξον. *Iuſtinus XLIII. 3. 5.* Phocenſes (*cum Phocaenſibus Aſiaticis eos confundi cenſet ibi Voſſ. p. 776. ed. Bernegg.*) exiguitate ac macie terræ coacti, ſtudioſius mare, quam terram exercuere: piſcando, mercando, plerumque etiam latrocinio maris, quod illis temporibus glorioſum habebatur, vitam tolerabant. τὸ λῃςέυειν *olim Iberis* κάλλιςον *habitum fuiſſe teſtis Plutarch. in Mario f. 408, De Germanis Cæſarem dedimus in Obſerv. præc. §. 4. Helmoldus I Slav. 47.* Furari & largiri apud Holzatos oſtentatio eſt: qui vero prædari neſciat, hebes & inglorius eſt. e) *De Thracibus Herodot. Lib. V. f. 291.* γῆς ἐργάτην (εἶναι) ἀτιμότατον: τὸ ζῆν ἀπὸ πο-

πολέμȣ καὶ λῃϛεύ⟨ο⟩ν κάλλιϛον De Germanis Tacitus c. 14. Nec arare terram, aut exſpectare annum tam facile perſuaſeris, quam vocare hoſtes & vulnera mereri. Pigrum quin imo & iners videtur, ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare. f.) *Plutarchus Theſeo* ſ. 3. Seculum illud homines tulit, qui pudorem, iuſtitiam, æquitatem, humanitatem, quaſi has, timiditate alicuius lædendi, & ne læderentur formidine, homines laudent, nihil attinere ducebant ad eos, qui plus poſſent.

§. III. In *tertio*, qui Deos latrociniorum præſides ſibi fingebant g): qui lege ſuæ gentis in Dei nomine prædari iubebantur h): qui prædaturi feruentisſime orabant i).

g.) *In Deorum Gentilium cognomentis reperio* Iouem λῃΐϛορα, λαφύϛιον, *prædatorem*: Mineruam λῃΐτιδα, ἀγελίον, *Laphryam*, *ſeu Laphyriam:* Mercurium λῃϊϛῆρα, *Deum furum. De quibus conſule Gyrald. ſynt. I. ſ. 86. IX. ſ. 287. XI. 335. & 340. Cerd. ad III. Æn. ſ. 304. Homer. Hymn. in Mercur. Fallit Seruius & blanditur, cum in III. Æn. v. 222. Prædatorem vocari ait Iouem*, non quod præſit prædæ, ſed quia ex præda aliquid ei debeatur. *Quæro enim: cur debetur? Cur, quod apud eum præceſſerat, bella geſturi de parte prædæ aliquid Numinibus pollicebantur? Annon, vt Deorum præſidio felicius illa cederet expeditio? Nimirum, inquiet*

quiet aliquis, in bello iuſto. Imo vero, inquam, etiam in latrocinio iniuſto, quale piratarum, quibus apud Homerum Odyſſ. ξ. v. 86. Ζεὺς ληΐδα δώῃ. *Ab his ad bella manauit iſthæc religio. Seruauit ipſe nobis Seruius oraculum quoddam, quo latrocinium eſt imperatum Hirpinis, ad XI. Æn. v 785.* In monte (*Soraſte*) cum aliquando Diti patri ſacrum perſolueretur, (nam manibus conſecratus eſt,) lupi rapuerunt. Quos cum diu perſequerentur, delati ſunt ad quandam ſpeluncam, halitum ex ſe peſtiferum emittentem, adeo, vt iuxta ſtantes necaret. Exinde eſt orta peſtilentia, quæ fuerant lupos ſecuti. De qua reſponſum eſt, poſſe eam ſedari, ſi lupos imitarentur, id eſt, rapto viuerent. *Cur vero Deos præſidii talis puduiſſe crediderint, quorum raptus & furta ipſi celebrauerint in hymnis? Iouis præcipue, qui Europam, qui Ganymeden ſcribitur rapuiſſe. Qua de re Lactantium Lib. I. c. 14. conſule. Hæc omnia non aliunde, quam ex nequiſſima perſuaſione, quam induerant miſeri de prædandi Iure & ſanctimonia, etiam Diis digna. Sed indigna, cui cum Hobbeſio* (§. *6. x.*) *adſtipulemur. Plura dicentur infra* §. *XIII. i. k.* h.) *Alcoran, azoar 71. f. m. 171.* O viri boni, mercaturam vos a maximo malo defenſuram patefaciam: videlicet in Deum atque prophetæ credite & prædatum ac expugnatum, in Dei nomine cum veſtris animabus atque pecuniis tendite. *Prædatum amore Dei proficiſcentium mentio*

quoque azaor. 34. f. 112. i.) *De Scotis Leſleus l. rer. Scot. cit. Cerd. ad III. Georg. f.* 422. Prædandi artem adeo ſibi licere putant, vt nunquam feruentius ſuas preces percurrant, & ad calculos, roſaria quæ vocant, ſollicite percurrentes, revocent, quam cum quadraginta ſæpe miliaria ad abigendas prædas ſe conferunt.

§. IV. Hæc ita Gentes inhumanæ. Nunc videamus, an *Plato* & *Ariſtoteles*, humaniſſimi Ethnicorum Philoſophi, dum ille artes, hic naturales acquirendi modos diuidens, vterque latrocinium venationis ſpeciem ponit k), vetuſti æui opinionem ſuam facere, aut recitare ſaltem nobis, eoque latrocinium, vt viuendi genus licitum repræſentare voluerint? In quo diuidere illos, licet a Bodino l) coniunctos, rectius omnino fuerit. Ac *Plato* quidem, dum Sophiſtices definitionem diuiſiva methodo inueſtigat, artiumque ambitu non bonas tantum, ſed & malas, vt Tyrannicam, Adulatoriam ac ſimiles complectitur m), ſatis aperte oſtendit, nullo ſe iuſti eas iniuſtiue diſcrimine cenſere voluiſſe.

k.) *Plato in Sophiſta f. 157. C. Ariſtoteles I. Pol. 5. (al. 8.) coniungendo cum capp. ſeqq. Vtriusque partitiones in tabulas colligit Montecat. ad I. Polit. Ariſt. f. 256. &* *260.* l.) *II. de Rep. 2. f. 189. (vbi vtrique ad-*

addit Xenophontem,) & *III*. 7. *f*. 328. m) *vid. tabulam Montecatini* §. *hoc citatam*.

§. V. Idem de *Ariſtotele* affirmare difficile eſt, quem pexplexum hic nobis interpretumque ac Cenſorum n) diſſidiis obnoxium, ſive tot lacunæ textuumque luxationes, o), ſiue ſenſuum ipſorum pariter ac ſtyli luxuries p) facit q). Hoc liquido conſtat, venationem illam hominum, qui ſeruitiis a natura deſtinati ea detrectent, ceu iuſtam propoſuiſſe r). In quo vt eum merito deſerimus s), ſic nondum tamen ſat cauſæ apparet, cur cum Buſio & Salmaſio, t) grauemus ipſum ſuſpicione approbati promiſcui gentis in gentem latrocinii u).

n) *Præter interpretes Montecatinum*, *Golium*, *Giphanium*, *Piccartum*, *alios*, *adi Paul. Buſium III. de Rep.* 3. *n*. 4. *Salmaſ. de vſur. c.* 10. *p*. 289. *Tabor Armam. Iuſtin. c*. 6. *th*. 22. 23. *Ioh. Strauch. Diſſ. de nat. viv. gen*. §. 14. o.) *quas imprimis editio Conringiana repræſentat*. p.) *De* ſenſuum *luxurie dicemus lit. ſeq. Ad* ſtylum *quod attinet*, *diſtinguit quidem Ariſtoteles acquirendi rationem* (κτητικὴν) *in* naturalem & non-naturalem, *ſub* illa *paſtoritiam*, *agriculturam*, *venatoriam*, *ſub* hac *mercatoriam*, *fœneratoriam mercenariam locans*; *Verum loco definitionum accuratarum*, *quas vel ſemel tantum*

vel-

vellem poſuiſſet, paſſim video ſeminari vtriuſque varia, nec ſcio an ſatis cohærentia prædicata, & periphraſes a Montecatino f. 252. 253. & Piccarto p. 105. ſtudioſe collecta, niſi quod illud capitis 7. omiſerunt, quo altera ἐπαινουμένη, altera ψεγομένη δικαίως appellatur. q.) *Quæritur: quo ſenſu prius κτητικῆς genus, ſub quo & latrocinium, Ariſtoteles, (qui quidem omnino ſuam nobis approbare ſententiam ſtuduit, non alienam narrare,) vocauerit* naturale? *vtrum comparatione ad inſtinctum* animalem, *qui & in bruta cadit, per ſeque nec fas nec nefas implicat, an* humanum *ſeu rationalem, qui legi naturæ conformis eſt? Priore ſenſu cum exaudiri dicam a Tabore & Strauchio; Poſteriore a Buſio & Salmaſio, qui dicam ipſi propterea, tanquam iniuſtiſſimæ rei patrono ſcribunt. Vtrique expoſitioni quæ faueant, inuenio in verbis Philoſophi. Pro* priore *facit, quod naturales acquirendi modos ab ipſis arceſſit beſtiis: quod oppoſitos ipſis non naturales arte dicit atque experientia parari c. 6. natura enim cum arti opponitur, moraliter indifferens habetur (quanquam hæc diſtinctio lubrica eſt per ea quæ obſeruat Zabar. c. 5. de quarta fig.) Pro* poſteriore, *quod vtrumque genus laude & vituperio tanquam differentiis ſeparat, (lit præced.) quod*

in

in latrocinii ſeu belli certa ſpecie τὸ Φύσει δίκαιον *aperte profitetur*, (*lit. ſeq.*) *Quid ergo tandem? Dicam, hic eum ſenſibus luxuriaſſe, naturæque vocabulum iam* animali, *iam* humano *ſenſu accepiſſe.* r.) *c. 5.* διὸ καὶ ἡ πολεμικὴ Φύσει κτητική πως ἔσαι. ἡ γὰρ θηρευτικὴ μέρος αὐτῆς· ᾗ δεῖ χρῆσθαι πρὸς τετὰ θηρία, καὶ τῶν ἀνθρώπων ὅσοι πεφυκότες ἄρχεσθαι μὴ θέλουσιν, ὡς Φύσει δίκαιον τοῦτον ὄντα τὸν πόλεμον. *Bellum, quod in homines natura ſeruos, (tales illi ſunt omnes barbari l. Pol. 1. p. 10.) hac ſola de cauſa ſuſcipitur, vt ſeruituti, quam ſponte ſubire nolunt, mancipentur, iuſtum hic & extremo c. 4. pronunciat Ariſtoteles, modisque acquirendi naturalibus, ſeu ſpeciem quandam venationis annumerat. Geminus fere locus lib. VII. c. 2. (al. 3.)* οὐ δεῖ πάντων πειρᾶσθαι δεσπόζειν, ἀλλὰ τῶν δεσποςῶν, ὥσπερ οὐδὲ θηρεύειν ἐπὶ θοίνην ἢ θυσίαν ἀνθρώπους, ἀλλὰ τὸ πρὸς τοῦτο θηρευτὸν. *Omnino autem bellum, de quo hic ſermo, id ipſum interpretor, quod in præcedentibus vocauerat* λῃςείαν, *rectiusque adeo Golium p. 44.* πολεμικὴν *&* λῃςρικὴν *pro ſynonymis habuiſſe iudico, quam Giphanium p. 89. & Piccartum p. 108. diſtraxiſſe. Sed eius duas ſpecies ex mente Philoſophi pono. Quarum vna præſente textu deſcribitur, in barbaros famulitium*

litium recuſantes, alterius exemplum in præcedentibus dederant οἱ νομαδικὸν ἅμα καὶ λῃστρικὸν βίον μιγνύντες, de quibus in Obſ. præc. egimus §. 17. Sola prior hic iuſta declaratur, vt altera ſe tacendo iniuſtam haberi ſciat. Secundum hæc Ariſtotelicæ diuiſionis partem ita elimabimus: κτητικὴ naturalis aut paſtoritia eſt, aut venatio, aut agricultura. Venatio (late dicta) triplex, vna in homines, Bellum ſeu prædatio, *altera in piſces, piſcatio, tertia in aues vel feras, venatio, (ſtricte dicta.)* Bellum ſeu prædatio *duplex: vna, qualis Nomadum agreſtium in vicinos: altera ingenuorum in barbaros ſeruire nolentes. Iuſta hæc; illa iniuſta, quæ tamen inter* naturales *modos nominari queat, ſi naturam ex* animalis *ingenio, non ex* hominis *dignitate metiamur. Eadem & Montecatini expoſitio eſt in tab. f. 256. niſi quod bellicam (πολεμικὴν) ſynonymon facit, non vti nos cum Golio λῃστρικῆς, ſed venatoriæ (τῆς θηρευτικῆς) generatim acceptæ, (vid. & f. 310.) quod item prædatoriæ genus alterum, quale Nomadum diximus, a naturalibus acquirendi modis relegatum ad non naturales, ſeu vt ipſe nominat, ab alimentariis ad cauponias transfert, inuito Ariſtotelis textu, quem vtcunque ſeruare, qualem invenimus, cura nobis fuit. Niſi autem fallor, e dictis perſpicuam paraphraſin dare pote-*

poterimus verborum, quibus hanc literam ſumus auſpicati, græcorum, in quibus alioqui voculorum ἀυτῆς *&* ἡ *ambiguitas non vnam interpretibus moleſtiam creat. Hoc vult Philoſophus dicere:* Naturalibus ac iuſtis acquirendi modis etiam belli ſeu latrocinii ſtudium quoddam venit accenſendum. Etenim ſub his (*ἀυτῆς ad κτητικὴν refero,*) inter ſpecies alias etiam eſt venatio, ſub venatione autem bellum ſeu latrocinium. Et vero venatione (*ἡ ad θηρευτικὴν reſpicit*) fas eſt vti non modo in feras, ſed hominum quosuis a natura ſervitio deſtinatos, ſi hoc renuant ſubire. Quod latrocinii ſeu belli genus vtique naturæ non ſenſitiuæ modo, ſed etiam rationali congruum, atque adeo iuſtum reputabitur. s.) *Quia in ſtatu legali obligationem ſeruiendi non inducit iſta naturalis aptitudo. Ergo qui hoc nomine ab altero appellatus, abnuit ſeruire, nullam illi facit iniuriam, nedum tantam, quæ bellicas vindicias poſtulet. Cæterum & iniuſtum omne bellum eſt, quatenus primaria intentione pro inſtrumento diteſcendi habetur.* t.) *Citatis lit. n.* u.) *Abſoluunt illum ab hac ſuſpicione vel ea, quæ c. 4. diſputauerat contra ponentes iuſtitiam in violentia. Cum autem Latrocinia Nomadum modis augendæ rei domeſticæ naturalibus aggregat, naturam ex inſtinctu* ſenſitiuo *non* rationali *æſtimauiſſe cenſendus eſt per lit. r. Interim non*

non nego, totam illam de acquirendi generibus diſputationem non modo propter æquiuocationes in voce naturæ, & errorem de bello in barbaros: ſed ob inclementem nimis de vniverſo permutationum genere ſententiam, & paleas non paucas, cribro indigere: quod admonere cupientem non parum iuuabit Salmaſius c. 10. & 11. de Vſur.

§. VI. Vtinam vero ſe hoc crimine non alligaſſet per ſummum Chriſtiani nominis opprobrium æuo noſtro Thomas Hobbeſius, dum non modo priſcorum inſano illo præiudicio, tanquam ſi fuiſſet a recta ratione profectum, abutitur ad impia duo ſtabilienda dogmata x): Sed etiam aperte profitetur, ληϛρικὴν illam *contra legem naturæ non fuiſſe* y). Cui quidem nihil aliud hoc loco a nobis reſpondebitur, quam ſtolide ab hominibus barbaris elementa peti Legis naturæ aut religionis, h. e. a cœcis iudicium de colore z): illud autem eſſatum, cui cum hoc latrocinii iure totam ipſe politicam ſuam, vere dignam latronibus, inædificat, *ſtatum naturæ bellum omnium eſſe contra omnes* a), quoniam ſubtilem viam atheiſmo ſternit b), vltricibus flammis expiandum videri.

x.) Vnum, *frivola eſſe & falſa, quæ de naturali conſcientia, Lege cordibus inſcripta, de obligationis ad innocentiam ſenſu paſſim diſſe-*

differuntur, *apud Scharr. c.* 3. *de offic. n.* 3. *p. m.* 83. Alterum, *religionem ortam fuiſſe non ex bonitatis diuinæ*, *ſed potentiæ tantum exiſtimatione. Religio eſt honor Dei. Honor vnde? Reſpondet Hobbes Leviath. l.* 10. (*citante Scharr. d. l. c.* 5. *n.* 5. *p.* 177. 178.) Parum refert vbi de honore agitur, an actio ſit iuſta ſiue iniuſta. Honor enim conſiſtit ſolum in opinione poteſtatis. Quapropter Ethnicorum antiquiores ſe non minuiſſe cenſebant, ſed magis auctum reddidiſſe Deorum honorem, cum in Poematiis eos inducerent tanquam virginum raptores, furtis aliisque magnis, ſed iniuſtis & fœdis actionibus operam dantes. (*Hoc excuſſimus* §. 3. *g.*) Inter homines etiam antequam ampliores Reipublicæ conſtituerentur, piraticam aut latrocinia exercuiſſe non putabatur inhoneſtum, ſed potius ars legitima. y.) *De Ciue c.* 5. *n.* 2. *p.* 79. z.) *Reſpice ad præced. Obſerv.* §. 14. *Itaque vt verum de ſaporibus iudicium a ſano ſtomacho, non a febricitante petendum eſt: ſic in re morali bonum ac ſapientem virum loco menſuræ eſſe oportere, non præcorruptum, cenſuerunt ipſi Gentiles. Vid. Ariſtot. III. Nic.* 4. *IX.* 4. *X.* 5. 6. *Plat. Theæt. f.* 134. *B. Plura dabit Eichelius de iure Lib. & Parent. part. l.* 64. a.) *Præf. de Civ.* ** 4. *& c.* 1. *n.* 12. *& c.* 5. *n.* 2. b.) Ius naturale ad rapinas & latrocinia allegare a blaſphemia parum abeſt, *iudicio Io. Fr. Hornii I. de Ciuit.* 4. *n.* 5. *p.* 106.

§. VII. Veniamus ad *veram* ſententiam, quæ iſta gentium latrocinia non inter iuſtos c), ſed vel maxime iniuſtos acquirendi modos numerat. Pro qua non alia ratione opus eſt,

quam *notitiis*, quas inſculptas pectori ſuo ſanus quilibet ſentit, quenquam lædere aut alteri facere, quod factum Tibi nolis, vetantibus.

c.) *Columellam, Varronem, Plinium, ICtos vbi iuſtos capturæ vel acquirendi modos recenſent, latrocinium omittere, obſeruant Gipban. ad Polit. Ariſt. p.* 89. *Piccart. ibid. p.* 108. *Buſ. III. de R p.* 3. *p.* 104. *Sed memento aliud eſſe latrocinium, aliud capturam hominum aliarumve rerum iuſto bello interceptarum, quam veris acquiſitionibus ex mente ICtorum aggregat Montecat. ad l. Polit. f.* 263.

§. VIII. Ergo vt in participationem criminis venerunt Gentes, quæ receptum latronibus præbuerunt d): ſic non dubitamus iuſtiſſime laudem vindictæ e) illis hactenus certe admetiri, qui terrarum orbem, quantum in ſe fuit, ab his vomicis liberauerunt, f).

d.) *vt Boſporani & Pamphilii apud Strab. Lib. XI & XIV. f.* 566. *&* 572. e.) *Non ita velim hoc intelligi, quaſi bellum in eas gentes, quæ piraticam exercent, cum Grotio II.* 20. *n.* 38. *&* 40. pœnæ *expetendæ cauſa ſuſceptum dicerem.* Defenſionem *potius periclitantium vocabo, quam* pœnam *peccantibus inflictam. Nec enim vna Reſp. in alteram ius habet puniendi.* f.) *De* Minoe *videndus Thuc. l.* 1. *f.* 3. *de* Hercule *Plut. in Theſeo f.* 3. *de* Cimone *&* Mario *idem f.* 383. 408. *de* Alexandro *Strab. Lib. XI. f.* 610. *de* Auguſto *idem lib. IV. f.* 224. *qui &* Romanos *memorat Luſita-*

ſitarorum ac Cimbrorum latrocinia repreſſiſſe Lib. III. & VII. f. 162. *Etiam Danorum* piratica, *quam autore Wethemanno propter incurſus, qui a maritimis prædonibus edebantur, cœpiſſe narrat Saxo Grammaticus Lib. XIV. f.* 234. *neſcio annon potius* antipiratica *dici debuerit.*

§. IX. Obiiciat aliquis, ex mutuo talium inter ſe gentium *conſenſu* vim iuris illas rapinas adeptas fuiſſe, (quomodo & inteſtina lacedæmoniorum furta g) ex conſenſu Ciuium in legem vt iuſta quidam h) defendunt,) ideo alteras certe alteris iniuriam non feciſſe. Verum, vt omittam, hac ratione nondum euinci, quod hæ rapinæ *vniuerſali* iuſtitiæ non aduerſentur i), hoc ipſum, *conſenſiſſe Gentes*, non magis credo, quam ſi quis conſenſiſſe, adeoque volentes pati dicat homines duos feros ac turbulentos, qui ſe mutuis maleficiis aſſidue vexant k).

g.) *de quibus vid. Obſ. præced. §. 6.* h.) *Scharr. c.* 3. *de off. n.* 3. *p.* 83. *& c.* 12. *n.* 4. *pag.* 286. *Hobb. c.* 6. *de Ciu. n.* 16. *improbe.* i.) *vt conſenſus duorum in fornicationem caſtitati, ſic in mutuam rapinam parſimoniæ aduerſatur. Ergo ſi maxime non faciat alter alteri, volenti quippe, iniuriam, patrabit nihilominus rem iniuſtam, h. e.* vniuerſali *iuſtitiæ, ſub qua omnes virtutes particulares, contrariam. Imo tamen certa ratione etiam* particulari, *contemplatione tertii, cuius intereſt. Itaque legibus coerceri ſolet prodigorum conſenſus* in periculum perdendæ per aleam pe-

 cu-

cuniæ magnæ. Eſt autem in rapinis gentium non minus anceps alea, quam in ludo quouis, rerum autem plane corrumpendarum, ac præterea faciendarum cædium, omnino præſentius periculum: in quod conſentiri non debere ſana dictat ratio. k.) *De expreſſo Gentium in rapinas* conſenſu *ſilent hiſtoriæ. Vt tacitus præſumatur, nulla fortis vrget ratio. Non enim ſatis eſt, quod mutuo ſe, & conſtanter, moribus inueteratis lædunt. Hæc omnia rixoſi quoque faciunt priuati, qui tamen nunquam deſinunt ſuper iniuriis queri. Quare nec probo Grotium, qui quod Græci moderatiores a cædibus, a populationibus nocturnis, a raptu boum aratorum abſtinuerunt: quod alii (Heniochi in Obſ. præc. §. 22.) rapta æquo præcio redimi ſunt paſſi,* ſecundum pacta *interpretatur factum, III. 32. Bene quod addit,* aut ſecundum mores: *quod verius eſt: quanquam hoc non eſt* exteris, *quomodo ipſe loquitur,* ius reddere, *ſed verſus illos iniuriam temperare. Quod hic neutri fecerunt ex pacto, ſed vel ex aliquo conſcientiæ freno, vel gloriæ inter ſuos appetitu, vid. Obſ. præced. §. 19. 19. y. & §. 23. m. modo Heniochorum moderatio fidem apud nos inuenit. Nam Ariſtoteles VIII. Polit. 4. anthropophagis eos accenſet. Quod ſi verum eſt, captos a ſe homines non ſuis obtulerunt redimendos, ſed demerſerunt in ventrem.*

§. X. Omnino meruerunt illæ gentes belluis l), ac truncis m) iudicio ſaniorum comparari potius, quam humanæ mentis haberi compotes: quippe quæ inſitos ad innocentiam ſtimulos, aliæ quidem aliis magis n) perdiderint o). l.) *Hi-*

l.) *Hiſpaniam latrociniis adhuc ſtudentem ἀνήμεϱον καὶ θηϱιώδη vocat Plut. in Mario f.* 408. *De hoc genere Cranzius I. Vandal.* 7. *f.* 8. Quorum ea ratio eſt, vt inter belluas in agris & ſaltibus, in aquis inter piſces, & in æthere inter volatilia imbecilliora quoque præda ſunt ferocioribus, ita ducendum inter homines. *Miluis eos confert Ammianus lib. IV. p.* 8. *rapacibus alitibus lib. XXVIII. p.* 406. *inconſultorum an malitiam ritu quod honeſtum ſit, penitus ignorare ait Lib. XXXI. p.* 468. *Vitæ hoc genus beſtiale vocat Tabor. arm. iuſtin. c.* 6. §. 23. *In eos id maxime competat, qui ex habitu ferino, vt Ariſtoteles VII. Nic. humanas carnes epulantur. Sed horum tam enormis eſt immanitas, vt eius meminiſſe pertæſum ſit: tantum abeſt, vt mea facta velim, quæ pro anthropophagis diſſerit Sharrok, iuris alioqui naturalis aduerſus Hobbeſium acer Vindex, c.* 3. *de officiis n.* 3. *Liceat huc illud Heſiodi applicare. l. op. v.* 275. Ιχθύσι μὲν καὶ θηϱσὶ, καὶ οἰωνοῖς. Εσθειν ἀλλήλȣς, ἐπεὶ ȣ̓ δίκȣ ἐςὶν ἐπ᾽ αὐτοῖ, Ἀνθϱώποισι δ᾽ ἔδωκε δίκην. m.) *Quercus & fraxinos, in Poetarum fabulis Orpheus cantu ducit, Odryſſos latrociniis deditos interpretatur Max. Tyr. diſſ.* 21. n.) *intelliges hoc ex Obſerv. præced.* §. 23. *&* 26. o.) *Repete quæ de iuris naturalis obliteratione citauimus e Grotio in obſerv. præced.* §. 7. 6. *&* §. 14. *d.*

§. XI. Vt adeo illud Senecæ, legem naturalem in cuiusque latronis conſcientia ſaluam præſumentis, nimis liberaliter dictum videatur p).

 p.) *IV.*

p.) *IV. de Benef.* 17. Nec quisquam tantum a Lege naturæ deſciuit, & hominem exuit, vt animi cauſa malus ſit. Dic enim cuilibet ex iſtis, qui rapto viuunt, an & illa, quæ latrociniis & furtis conſequantur, malint ratione bona pervenire? Optabit ille, cui graſſari & tranſeuntes percutere quæſtus eſt, potius illa inuenire quam eripere. Neminem reperies, qui non nequitiæ præmiis, ſine nequitia, frui malit. *Reclamat Senecæ Auguſtinus II. Confeſſ.* 4. Nec ea re volebam frui, quam furto appetebam, ſed ipſo furto & peccato. *Non ſatis agnouit Seneca generis humani corruptionem. Sic loquitur, quaſi nullum eſſet malitiæ peccatum, nulla errans conſcientia, nullibi datus in reprobum ſenſum homo.*

§. XII. Hic aperit ſe ſe quæſtio, qui factum fuerit, vt hæc innocentiæ lex, humanis mentibus etiam poſt eſum pomi vetiti naturaliter inſculpta, ex tot gentium cerebro expungeretur? Vbi recte ſic ſtatuemus, homines de apoſtatico cœtu q), iam antequam Ciuitates conſtituerentur r), domeſtica Parentum nequitia corruptos, vbi in populos diuiſi ſedes nouas occupauerunt s), alios t) paupertate u), quam ſterile ſolum x), vel ipſorum inertia y) perperiſſet, impulſos, alios ex abundantia rerum in ferociam prolapſos z), accedentibus forte & aliis inuitamentis a), peccauiſſe, peccandi autem pertinacia meruiſſe, vt reliquias veritatis, ab ſe in iniuſti-

tia

tia detentæ b), iuſto Dei iudicio c) amitterent.

q.) *Quam ante Diluuium Caini poſt diluuium præcipue Chami poſteritas conſtituit, vid. Obſerv. præc.* §. 8. & 10. r.) *Iam ſub hoc ſtatu, vt pecuarios, agricolas, piſcatores, venatores, ſic latrones, (quos ita* priuatos, *nondum quippe conſtitutis Rebuspubl. appellabimus,) conſiderat Felden. ad l. Polit. p.* 64. s.) *Confr. Bodin. III. de Rep.* 7. *f.* 328. *B. C. qui tamen male hinc prima Rerump. initia timori a latronibus imputat, caſtiga us a nobis in Obſerv. præced.* §. 10. *male latrones ſuos*, qui nullis imperiis ac legibus tenerentur; *h. e. priuatos, e Plutarchi, Thucydidis, aliorumque latronibus publicis probat.* t.) *Cum Gentium, quæ vel ante diluuium, vel proxime a diluuio vixerunt, accurata nos deficiat memoria, liceat iis deinceps applicare* τὰ ἱςορέμενα *earum, quarum ſi non ætas, ſaltem ingenium par memoratur.* u.) *Lepontios ac vicinos Strabo lib. IV. f.* 224. ἔθνη ληςρικὰ καὶ ἄπορα *vocat.* x.) *Quale Phocenſium* §. 2. *d. Luſitanorum montanorum Straboni Lib. III. f.* 163. & *quarundam in Aſia gentium, quas* τραχύτης τῶν τόπων *latrones fecit, eidem Lib. XI. f.* 587. y.) *Qualis Chaldæorum ſupra* §. *l. c.* z.) *Phocæenſibus Aſiaticis* e terræ fœcunditate morum quoque luxuria acceſſit, *Voſſ. ad Iuſtin. XLIII.* 3. *p.* 776. *ed. Bernegg. Huc illud referam Pufendorfii Elem. iuriſp.* II. 4. 5. *p.* 310. Præprimis ad violandum ius naturæ inducit illa perſuaſio, aliquem ſibi ipſi ſufficere, ſaluti ſuæ abunde proſpectum; non eſſe, quod reliquorum officia mereri ſtudeat. Nec ex alio fonte profluxit conſuetudo mul-

tis olim populis recepta, exteros latrociniis inveſtandi, & piraticam exercendi, eo, quod civibus ſe tantum ſuis obſtrictos putarent, extraneis nullo iuris vinculo obligari, adeoque cum ciuibus tantum ſuis pacem, cum cœteris omnibus bellum eſſe. a.) *Sic opportunitas, ex* vicinia maris *piraticam* (*vid. Obſ. præc.* §. 20. *c.*) *ſuaſit. Alios vrbes* vicinorum nondum munitæ (*vid. Obſerv. præc.* §. 19. γ. *e Thuc.*) *allicere potuerunt. Germanorum latrocinia ex eorum iracundo, audaci, ac præcipitis conſilii* temperamento *deriuat Willich. ad Germ. Tac. H.* 7. *eique iungit* educationem *a teneris. Aliis* exemplum *nocuit vt Nordalbingis, in Obſerv. præc.* §. 18. *o. Luſitanis quibusdam & Heluetiis apud Strab. Lib.* III. *&* VII. *f.* 163. 333. *vbi dubitat an Cimbros ad hoc vitæ genus moverit, quod e ſuis ſedibus excuſſi fuerint* diluuio. *Idem Lib. V. f.* 243. *docet, Tyrrhenos ex* Imperii diſſolutione *ad malas artes fuiſſe converſos.* b.) *Ita loquitur Apoſtolus Rom.* 1. 14. *cuius & ſequentia lege.* c.) *Sharr. c.* 3. *de off. n.* 3. *p.* 84.

§. XIII. Atque hoc dixiſſe ſatis eſt, cum de gentibus quæritur *ſtupidis*, quæ ſenſum omnem honeſti inhoneſtique perdiderunt. *De ingenioſe barbaris* d), quæ vltra vtile iucundumque aliquid ſapere vellent, hoc addendum inſuper, veniſſe illis nefarii cuiusdam iuris ex inuerſo Cacodæmonis Decalogo excerpti in mentem, quo latrocinia ſua, vt honeſta, defenderent. Eius formulam brevem Liuius e) recitat, cum quærentibus

Ro-

Romanis: *quodnam ius eſſet agrum a poſſeſſoribus petere?* Senones Gallos, qui Brenno duce in Cluſinum agrum eruperant, reſpondentes facit: *Se in armis ius ferre, & omnia fortium virorum eſſe.* Vberiora hæc apud Plutarchum f) leguntur, vbi Brennus procedente oratione ius hoc antiquiſſimum g) vocat, eoque affirmat non modo beſtias vti, quod illi ſane concedamus h), ſed ipſum Devm i) quod horribile eſt auditu, nec niſi cyclopica eorum qui gladium colebant pro Deo k), religione dignum.

d.) Barbaras *gentes ab obiecto ignorantiæ, quod præcipiuum Deus eſt, in* atheas & male *religioſas, repete Obſerv. præced.* §. 14. *pro vſu ibi ſequentium diſtinximus. Hic a forma ignorantiæ alia earum reperienda fuit diuiſio in* ſtupide & ingenioſe Barbaras. Illæ *ignorantia laborant puræ negationis, cum nullam boneſti notitiam præ ſe ferant, quales Hunnos depingit Ammianus Lib. XXXI. ſupra* §. 10. *l.* Hæ *prauæ diſpoſitionis, cum rem turpiſſimam boneſtatis vocabulo, boneſtam nota turpitudinis afficiant, vt Thraces* §. 2. *e.* Illæ *craſſe;* hæ *ſubtiliter ſceleratæ.* Illis *non ratio, ſed voluntas pro ratione eſt;* hæ *cum ratione inſaniunt.* Illarum *conſcientia dormit ſine ſomnio;* harum *ſomniat vigilans.* e.) *Lib. V. c.* 36. f.) *In Camillo f.* 136. *vbi inter alia:* τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν νόμων ἀκολȣθȣ̃ντες, ὅς τῷ κρείττονι τὰ τῶν ἡττόνων δίδωσιν, ἀρχόμενος ἀπὸ τȣ̃ Θεȣ̃ καὶ τελευτῶν εἰς τὰ θηρία. καὶ γὰρ τȣ̃-

τȣτοις ἐκ φύσεως ἔνεςι τὸ ζητεῖν πλέον ἔχειν τὰ κρείττονα τῶν ὑποδεεςέρων. g.) *Non tamen Diabolo eſt antiquius.* h.) *Per ea quæ diximus §. 10. l. Diſtinguendum hic tamen inter mites beſtias & feras, inter herbiuoras item & carniuoras. Ferarum illud ius eſt, quæ carnibus veſcuntur. Atque ſolent hæ eſſe ſoliuagæ, in cuius rei cauſas inquirit Piccartus p. 106. ad I. P. lit.* i.) *Huc refer. quæ iam occupauimus §. 3. g.* k.) Scythæ *acinacem adorabant, Clem. Alex. in Protr. f. 22. & 32. Epiphan. l. contr. hær. vbi de Scythiſmo. De* Alanis *ſupra in Obſ. præc. §. 17. f. Deorum contemtor* Mezentius *apud Virgil. X. Æn. v. 773.* Dextra mihi DEVS, & telum quod miſſile libro, Nunc adſint. *Cerdam ibi vide f. 523. nec non ad* XII. *Æn. 97. f. 676. item Camerar. l. ſucciſ. 76. & Rader ad Curt.* III. 5. *f.* 31.

§. XIV. Hoc nempe ius illud eſt, a quo Heſiodus l) homines ætatis ferreæ χειροδίκας m) vocat, & a quo gentium latrocinia deriuant e Veteribus Pomponius Mela n), e iunioribus Albertus Cranzius o).

l.) *I. op. v. 187.* m.) *Eadem compoſitio in verbo noſtrate* Fauſt-Recht. *Cuius iuris merito iam ſublati, (Beſold. Theſ. Pract. f. 281.) origo barbara ſic patet. Huic loco illud addam, voces* ἀρείων, ἄριςος, ἀρετὴ, *a Marte,* διὰ τȣ̃ Ἄρεος *dictas videri: quaſi bonitas, virtus, iuſtitia pendeant a Martio robore. Fuit hæc nempe illorum opinio, qui ſtatuebant,* αὐτὸ τȣ̃το δίκαιον, τὸ τὸν κρείττονα *(validiorem intellige, vt §. præc. lit.*

lit. f.) ἄρχειν, *apud Ariſt.* I. *Pol.* 4. n.) *Lib.* III. *c.* 3. Ius in viribus habent (*Germani*), adeo vt ne latrocinii quidem pudeat. o.) *I. Vandal.* 7. Quum Danorum Reges terra marique velut iuſtum exercerent imperium, piratica in honore fuit, non minus, quam olim apud Lacedæmones furtum: arbitrantibus in paganiſmo barbaris, (quibus nullæ Leges proditæ nulla iuſtitiæ comperta monita,) iuſte poſſideri, quicquid vi aut armis quæritur.

§. XV. Cæterum ne cupiditatem innocentes lædendi memoria ſaltem cognationis, qua omnes omnibus per comunem a Protoplaſtis ſanguinem deuincti ſumus, *paganis* p) minueret, callide proviſum eſt illo Diaboli mendacio, quod primam vniuerſi generis humani originem non ab vno coniugum diuinitus creatorum pari, de quo ſacræ nos literæ docent q), ſed a ſpontaneo per vniuerſam terræ ſuperficiem nationum ſimul omnium quaſi fungorum prouentu repetit r). Hoc ſane ſomnium publicis latrociniis per fuit opportunum.

p.) *Ad hos non ad Mahometanos, hoc ſpectare volo.* Mahometanis *miſericordiam, in eos certe, qui religionis eſſent alterius, alio ariete exturbauit Satanas. Qui Adami recepiſſent hiſtoriam, non poterant in dubium vocare cognationem omnium inter ſe gentium. Perſuaſit ergo ipſis, populos a ſe circa ſacrorum cultum diſſidentes, noxios eſſe omnes, Deoque inuiſos. Conf. quæ de Iudæis in*

Obſ.

Obſ. præc. §. 16. m. retulimus. q.) *Gen.* I. 27. 28. *Act.* 17. 26. r.) *Lactant.* VII. 4. putant. (*Stoici*) homines in omnibus terris & agris tanquam fungos eſſe generatos. *Ouid.* VII. *Met. v.* 395. Veteres æuo mortalia primo corpora vulgarunt pluuialibus edita fungis. *De gentilium hac opinione multa differi poſſent, ſed ea res peculiarem diſſertationem poſtulat,*

§. XVI. Iudicent eruditi, hæc omnia quam nullis interuallis ab Hobbeſiana Philoſophia de iure omnium in omnia s), de Deo potentiæ potius quam bonitatis cauſa venerando t) de exortis fungorum more hominibus u) diſtent. Nos gratias DEO perſoluamus pro ſanctis meliora doctæ conſcientiæ reliquiis, quarum ope & Maiores quondam noſtri ad chriſtianam conuerſi fidem barbaros mores exuerunt, & nos hodie reuocatam ab orco Politicam abſque negotio refellere poſſumus x).

s.) *Qui ius in viribus eſſe crediderunt, ita videntur ſenſiſſe: Omnia per naturam omnibus in medio quaſi eſſe poſita: Ius ad proprietatem non aliunde niſi a robore ac violentia pendere: Huic quicquid libeat, infirmioribus eripiendi ius eſſe. Ergo qui à ſe licet occupata robuſtioribus denegant, iniuriam illis facere. Enim vero Brennus hac iniuria teſtabatur ſuos affectos à Cluſinis apud Plutarchum. Quanquam enim ibi videtur indigentiam potius cauſari: tamen cum nec huius alium præter ſe teſtem citet, ſtatimque poſtea ius à robore ſuſpen-*

ſuſpendat §. 13. *f. ſatis innuit ad robuſtorum libidinem, qui ſuam indigentiam ex habendi cupiditate menſurent, omnia ſe reuocare. Tale Tartarorum quoque inter ſuos ius deſcripſimus in Obſerv. præc.* §. 6. *r. Quam vero bis geminum eſt illud Hobbeſii c.* 1. *de Ciue n.* 10. Natura dedit vnicuique ius in omnia. Hoc eſt, in ſtatu mere naturali, ſiue antequam homines vllis pactis ſe ſe inuicem obſtrinxiſſent, vnicuique licebat facere, quæcunque & in quoscunque libebat & poſſidere, vti, frui omnibus quæ volebat & poterat. t.) *Intelligetur hoc e Collatione* §. 6. 6. *X. cum* §. 13. *i.* u.) *c.* 8. *de Civ. n.* 1. Conſideremus homines, tanquam ſi eſſent iam iam ſubito e terra (fungorum more,) exorti & adulti ſine omni vnius ad alterum obligatione. *Cum his confr. quæ* de prima hominis generatione *ſcripſit ante Hobbeſium atheus famoſus Iulius Cæſ. Vaninus Dial.* 37. *arcan. nat. Autori quoque Præadamitarum ſub fin. c.* 8. probabile eſt, creatos fuiſſe (*homines*) cum terra ipſa in terris omnibus, neque ab Adamo propagatos. x.) *Hobbeſii dogma ex DEO Diabolum facit, ex homine beſtiam immitem. Quorum illud horrendum eſt, hoc deſpuendum. Dictitat enim recta ratio intimis non plane corrupti hominis cuiusque medullis infixa, nec homine animal vllum ſociabilius eſſe ac manſuetius, nec DEO quicquam ſanctius ac beneficentius. Cui ſit gloria ſempiterna.*

OB-

OBSERVATIO IIX.

HIERONYMI HIRNHAIMII TRACTATUS DE TYPHO GENERIS HUMANI, SIVE DE PERVERSO SCIENTIARUM STUDIO.

SUMMARIA.

§. I. Veritas in puteo latet. §. II. An hoc noſtris temporibus verum ſit? §. III. Omnes clamant veritatem, quam non poſſident. §. IV. Cuius cauſa per ſummam oſtenditur. §. V. Fit remiſſio ad Hirnhaimii Typhum generis humani. §. VI. Recenſentur potiora momenta authoris. Inde ſequuntur ipſa Capita 41. Hirnhaimii. §. VII. Iudicium de Hirnhaimii religione & pietate. §. VIII. Iudicium de argumento & ſcopo ipſius tractationis.

§. I.

VEritatem in profundiſſimo, ac quaſi omnis fundi experte puteo iacere, & fatuis nonnullorum ſtudiis, dum eam eruere conantur, magis deprimi, ſententia fuit Democriti, & ſana quidem ac omni-

omnium prudentum calculo digna, quam praxis quotidiana infinitis quaſi experimentis corroborat.

§. II. Equidem noſtro ſeculo aſſertum Democriti locum non inuenire illi haud dubie exiſtimabunt, qui vel ideo æui huius felicitatem ad cælum extollunt, quod ſcientiæ bonæque literæ ad apicem quaſi peruenerint, & veritas non in puteo ſed in propatulo iaceat, ac hominibus quaſi obtrudatur. Vnde eousque audaciæ procedunt hi homines, vt tantum non mendacii incuſent Davidem aſſerentem, veritatem in occulto iacere *Pſalm. LI. 8.* Quilibet enim, tantam hodie veritatis in omni ſcientiarum genere lucem eſſe clamat, vt refractarii ſint dicendi, qui eam non agnoſcunt.

§. III. Enimuero videntur mihi eiuſmodi homines noctambulis ſimiles, qui nocte in tenebris ambulant, quaſi in media luce, nec prius errorem agnoſcunt, quam expergefacti. Inter tot eruditorum ſectas & diſſenſiones, cum omnes veritatem iactent, & nunquam tamen conueniant, penes quos tamen reperiatur illa, in obſcuro vtique eſt. Si veritas pro tua parte militat, & tam manifeſta eſt, cur erroris non conuincis aduerſarium? Recte Comenius: *Signum ſcientis eſt, poſſe docere. Signum ergo neſcientis, non poſſe ſic docere, vt*

vt perdoceas. Aut ergo veritas, in tanto opinionum tumultu, nemini adhuc patet ſatis, aut eam nondum quisquan habet luce armatam ſatis, cui reſiſti nequeat. Panegerſia, ſeu excitatorio vniuerſali cap. 5. §. 14.

§. IV. Huius autem rei cauſæ partim in ſcientiis ipſis latent, partim in peruerſo inquirendi veritatem modo. Non omnes ſcientiæ veritate deſtituuntur, multæ tamen ſunt, in quibus nulla eſt veritas, ſed quæ omnino vanæ ſunt. Quodſi autem alicubi veritas ſit, ea non in ſuperficie, ſed in fundo quærenda eſſet. Nam ſcientia, etiam optima, non eſt veritatis, ſed veritas ſcientiæ, fundamentum. Qui ergo ad interiora non pertendunt, veritatem nunquam attingunt. Deinde, etiamſi quidam ſerio quærant veritatem, haud raro tamen ſibi ipſi ſunt impedimento, dum mediis vtuntur non conuenientibus. Si ex puriſſimis etiam fontibus aquam vaſis impuris extrahas, nunquam puram, ſed inquinatam, capies. Non ſufficit, rem quandam aggredi, ſed oportet eo, vt decet modo aggredi. Fruſtra etiam illi quærunt veritatem, qui eam iam inueniſſe ſibi perſuadent. Præiudicatæ opiniones ſunt, quæ exuendæ, ſi non te ipſum, ſed veritatem quæris. Vbi vacuum non datur cor, non impleri veritate poteſt; nullum enim veritati

tati cum mendaciis eſt conſortium. Sed quandoque etiam non debito loco veritas quæritur. Ea in imo latitat, in hanc abyſſum niſi te deieceris, nunquam ad eam accedes. Vult vnice quæri veritas, adeoque non inuenitur, niſi ab animo, qui ſe ab omnibus abſtrahit, viresque omnes ad ſolam veritatem intendit. Sed & acquiſita veritas amittitur, ſi non debito modo adminiſtratur. His & aliis modis dum peccatur a pleriſque, quid mirum eſt veritatem non inueniri vel inuentam facile amitti, eiuſque vmbram tantum, non ipſam veritatem poſſideri.

§. V. Hæc ipſa vero fuſius & ſolidius demonſtrata ſunt in tractatu, cuius titulus eſt: de TYPHO GENERIS HVMANI, ſiue ſcientiarum humanarum, inani ac ventoſo tumore, difficultate, labilitate, falſitate, iactantia, præſumtione, incommodis & periculis. Tractatus breuis. In quo etiam vera ſapientia a falſa diſcernitur, & ſimplicitas mundo contempta extollitur. Idiotis in ſolatium, doctis in cautelam conſcriptus. Authore HIERONYMO HIRNHAIM, Canonici Ordinis Præmonſtratenſis Eccleſiæ B. V. Pragæ in monte Sion vulgo Strahow, Abbate, per Bohemiam, Auſtriam, Morauiam, &

Silesiam, Viſitatore, ac Vicario Generali, SS. Theologiæ Doctore. Pragæ Typis Georgii Czernoch. anno M. DC. LXXVI. in forma 4ta. In quo tractatu cum multa reperiantur digna memoratu, nunc potiora eius momenta ordine adducere animus eſt.

§. VI. In prooemio ſenſum tituli exponit, & primo quidem dicit, animum ſibi fuiſſe hunc tractatum *de Vanitate Scientiarum* inſcribere, niſi eundem titulum ſuo libro præfeciſſet Cornelius Agrippa, in quem acerbiſſimis verbis inuehitur. Se ergo alio titulo vſum, & vanorum hominum ſcientiam *Typhum humani generis* appellaſſe, dicit, cum *typhus* vel *typhon* ventus ſit ſeu turbo aëris e nube eliſus & conglobatus, qui a terra ſiue aqua repercuſſus circumrotatione ſua obuia quæque euellit, confringit, & in altum abripit. Huic inflanti & euertenti vento exitioſam huius mundi ſcientiam ſe comparare.

Tractatum ipſum in XLI. capita diſpeſcit, quorum ſummas nunc exhibebimus, quantum fieri poteſt verbis ipſius Autoris.

Cap. I. de *nimio ſciendi deſiderio mortalium* agit. Inde ad ſtudia etiam illos feſtinare, quos natura indociles progenuit. Inde tantum ſcholarum numerum, & tantam ſtudioſorum turbam originem trahere. Hoc de-

deſiderio nullum maius malum eſſe. Cauſam lapſus Adami non aliam fuiſſe, quam peſtilentem ſciendi cupiditatem, dum primi parentes crediderunt ſerpentis lenocinio: *aperientur oculi veſtri & eritis ſcientes*. Pulchram quidem & delectabilem eſſe arborem ſcientiæ, ſed eſſe ſcientiæ boni & mali, quam ſi quis præter rationem guſtet, & bonorum multorum iacturam ſentire eum, & mala plurima diſcere. Ita enim ſenſus hominum excidere a ſimplicitate quæ eſt in Chriſto. Concludit caput cum anagrammate: SCIENTIA, INIT ESCA, atque illud cum ſequentibus anagrammatibus, verſibus explicat, omniaque capita verſibus concludit.

Cap. II. de temporalibus ſcientiæ nocumentis, & fluxa eiusdem conditione agit. Multas eſſe moleſtias quæ comitantur eos qui docti fieri cupiunt: Spiritus carniſque afflictionem; tot varios morbos eruditis proprios. Memoriam facile amitti & corrumpi, cuius p. 17. & 19. duo lepida exempla adfert. Relinquenda tandem ſtudia eſſe cum vita: & impedire ea haud raro ne curam debitam pro ſalute animæ ſuæ gerant. Quorſum exemplum cuiusdam Gualteri adducit, qui eruditionis cauſa per totum orbem volutatus, cum violenta morte ipſi pereundū eſſet, nul-

lam ſalutis curam, etiam monitus, habere voluit, ſed id tantum querebunda voce exclamauit: *heu quale damnum*, quod ſc. ſcientia tot itineribus conquiſita, nunc vno ictu pereat. Concludit cum anagramm. Scientia, iis necat.

Cap. III. aſſerit, *non dari certitudinem ſcientiarum*, quia earum principium & domicilium, intellectus, fallax eſt. Eſſe eruditos inſtar ſomniantium, qui ea quæ phantaſiæ obiiciuntur pro certis habent, donec expergefacti videant hæc ſomnia fuiſſe. Etiam certiſſima Philoſophiæ principia ſæpe falſa eſſe. Verbum crucis ſtultam facere ſapientiam huius mundi. Non tantum ſupernaturales, ſed & multas naturales veritates addiſci non poſſe, niſi Deo inſpirante. Concludit cum anagr. Scientia ait neſci.

Cap. IV. Pergit, poſito etiam, dari ſcientias, earumque certitudinem, *magno tamen & immenſo ſudore ad eius aſſecutionem opus eſſe.* Eruditos eſſe inſtar puerorum, qui cælum tectis incumbere rati, poſtquam altiora petiuerunt loca, illud longe a ſe diſſitum admirantur: ita illos dum ſcientiarum faſtigia ambiunt, eaque ſe putant obtinuiſſe, vix tenere rudimenta. Scientias primo dulces eſſe, ſed poſtea amarum & grauem laborem generare: quo applicat loca Ezech. III. 1. ſeqq.

ſeqq. Apoc. X. 9. Addit anagr. SCIENTIA IT E CANIS. Pergit, a litteratis haud raro defendi ſententias manifeſto falſas; omnia plena eſſe errorum. Subiicit aliud anagr. SCIENTIA, SITI NECA.

Cap. V. Scientiarum incertitudinem pluribus declarat. Nihil fere in vlla ſcientia reperiri, quod non magnis diſputationibus obnoxium ſit. Et progreditur ſpecialius ad Theologiam, Metaphyſicam, Phyſicam, Medicinam, Matheſin quoque & Iurisprudentiam, cuius Leges cereum naſum habeant, qui huc & illuc flecti poſſit. Neque in iure Canonico rem aliter eſſe. Concludit cum anagr. SCIENTIA, IT NESCIA.

Cap. VI. Oſtendit *magnam eſſe hominum ignorantiam in explicandis naturæ magnalibus*; inter quæ primo loco rerum *Sympathias* recenſet. Neminem hactenus gloriari poſſe, quod ſympathiarum cauſas & modos ſit aſſecutus. Vbi varia exempla ſymphathiarum adducit, multaque de puluere ſympathico & modo pleroſque morbos per ſympathiam curandi, & de medicamentis quæ occulta quadam naturæ familiaritate certas corporis partis adiuuant, diſſerit.

Cap. VII. Agit *de Ignorantia noſtra in explicandis magnetiſmis.* Omnia in hoc vniuerſo plena eſſe magnetiſmis. De variis effectibus

magnetis. Amoris quoque illicia non ſine magnetiſmo peragi exemplis demonſtrat, vim magneticam conſpici etiam in herbis, in mineralibus, in animalibus, & aliis creaturis.

Cap. VIII. Agit *de rerum antipathiis earumque mirabilibus.* Vbi quomodo Antipathia conſpiciatur in vegetabilibus, mineralibus, animalibus, aliiſque rebus, variis experimentis oſtendit.

Cap. IX. Inſcribit: *de aliis naturæ mirabilibus*, quorum cauſæ nobis ſunt incognitæ, & a nonnullis ad ideas referuntur. Huc refert piſciculum, qui vocatur *Echeneis* ſiue *Aemora*, qui licet minutiſſimus ſit, nauem tamen magnam remoratur, & immobilem reddit.

Cap. X. perſtringit eos qui hæc naturæ magnalia refellunt quia rationem illorum reddere non poſſunt. Vbi primum illos reprehendit, qui nihil credere volunt, quod ipſi non vident, & ratione aſſequi non poſſunt; deinde illos, qui iſta naturæ mirabilia ſolius Dei potentiæ attribuunt, quaſi ignis non haberet potentiam vrendi, ſed Deus vreret ad præſentiam ignis; tandem illos etiam, qui quod ratione attingere non poſſunt, dæmoni adſcribunt.

Capite XI. agit *de vniuerſali quodam principio* per quod omnia naturæ arcana optime quibusdam videantur explicari; & hoc principium eſſe, ſecundum quorundam ſententiam,

tiam, *ſpiritum* ſeu *animam mundi*. Totum enim hoc eſſe quaſi magnum animal, quod conſtet anima & materia. Pro qua ſententia adducit primum argumentum, quod, cum omnes effectus, qui ſubſtantiis materialibus attribuuntur, procedere poſſint ab vna indiuiſibili anima, non explicandum ſit per plura, quod explicari poſſit per pauciora, necentia multiplicanda præter neceſſitatem. Cui ſubiungit reſponſionem ad varias obiectiones.

Cap. XII. adfert adhuc *alia argumenta*, quibus Spiritus mundi fautores, quos Pneumocoſmicos vocat, exiſtentiam illius euincere conantur.

Cap. XIII. pergit ad doctrinam *Idearum*, quæ coniuncta eſt cum doctrina de ſpiritu mundi; docent enim Pneumocoſmici, ſpiritum mundi per ideas determinari ac diuidi in Archæos. Quarum idearum exiſtentiam in ſequentibus probat. Ita creaſſe Deum in principio mundi *omnia ſimul* Eccleſ. I. h. e. in ſuis ideis, quæ tamen poſtea ſpatio ſex dierum fuerint euolutæ &c.

Cap. XIV. oſtendit, quomodo Pneumocoſmici præter *ſpiritum mundi*, qui eſt omnium operationum cauſa effectiua, & *ideas* quæ ſunt cauſæ exemplares ſpiritus mundi determinatrices, doceant, a ſingulis corporibus

quædam effluuia promanare, ſiue ſint *accidentalia* vt odor, ſiue *ſubſtantialia* vt vapor & fumus: quæ rerum effluuia explicari ſoleant per *atomos*. Quæ omnia iſto capite plenius probat.

Cap. XV. aſſerit, *veritatem illam ipſorum Autorum eam tenentium vitio quandoque ſuppreſſam.* Et primo quidem homines communi vitio, quicquid doctrinæ, qua ſemel imbuti ſunt, non conuenit, irridere & reprobare ſolere; deinde ipſos docentes methodo ſæpe inordinata & confuſa illam doctrinam propoſuiſſe; huic accedere, quod autores huius doctrinæ in diſſentientes turpiſſime inuehantur, ob quod ſcripta eorum vix habeant lectorem. Vbi in ſpecie reprehendit Helmontii & Theophraſti Paracelſi rationem ſcribendi, quos autores ceteroquin multa rara & conſideratione digna habere, fatetur.

Cap. XVI. agit *de materialibus rerum principiis, & de magna deſuper inter authores diſſenſione.* Et tandem hoc caput ſequenti verſu claudit:

Hoc in mundo homines ſibi plurima ſcire videntur,
prima tamen miſeri vix elementa ſciunt

Quibus in genere expoſitis nunc *Cap. XVII.* adfert *modum probabilem, ex relatis hucusque* *prin-*

principiis omnia naturæ miracula explicandi, & poſtquam recepit ſententiam de ſpiritu mundi §. 1. docet, quomodo cæleſtes influxus mediante ſpiritu mundi poſſint explicari & §. 2. modum explicandi ſympathias in ſententia ſpiritus mundi §. 3. modum in hac ſententia explicandi magnetiſmos oſtendit; nec minus §. 4. quomodo antipathiæ in hac ſententia poſſint explicari, tandemque §. 5. quomodo idearum doctrina in ſententia ſpiritus mundi debeat applicari & explicari, ſubiicit.

His ita non infeliciter explicatis, ſubiicit

Cap. XVIII. atque fatetur *liquido nondum conſtare, per hucuſque dicta, circa rerum in hoc vniuerſo mirabilium cauſas, erutam eſſe veritatem.* Proiiciamus nos potius, inquit, n. 7. & omnem ſcientiam noſtram non quidem in fluxum & inconſtans Euripi fretum, ſed in pelagus inexhauſtum æternæ ſapientiæ, illi veritatis notitiam, nobis niſi errorem & mendacium attribuentes. Concludit caput cum anagr. SCIENTIA, IT NESCIA, ET INSCIA.

Cap. XIX. oſtendit, *ſcientiam tempus, meritis & pietati conceſſum, vane prodigere, & ſpiritum ac deuotionem diſtrahere.* Quod cum variis argumentis & teſtimoniis oſtendiſſet, concludit caput Chronoſticho illius an-

 ni

ni 1676. quo tractatus editus, ex verbis Apoſtoli:

CaVte aMbVLetIs non qVasI InsIpIentes ſeD Vt ſapIentes.

Capitis XX. rubrica eſt: *Docti plerumque mali & vitiis ſubiecti.* Cupiditatem ſcientiæ vocat Ducem exercitus vitiorum. Veteres Philoſophos, vtut virtutem plenis buccis vbique crepauerint, vitia tamen ſectatos fuiſſe. Deriuari Scholarem a quibuſdam ex græco, a *ſchola* id eſt vacatio, & *aris*, id eſt virtus, vt idem videatur ſignificare quod virtutibus vacans. Peccata eruditorum quæ ipſi raro magni pendunt, apud ſeueri tribunal iudicis ſemper grauiora, quam ceterorum iudicari. Quibus fuſe explicatis, concludit cum anagr. SCIENTIA, ISTE CAIN, INTE SICA.

Caput XXI. inſcribit, *de ſterili ſcientia & prædicatione Doctorum.* Docti, inquit, optima quæque ſciunt, ſaluberrima quæque dicunt, ſed pauca faciunt, ſuaque verba raro vertunt in opera. Sunt ſimiles ligneis manibus quæ, quo ſit eundum, digito demonſtrant, ipſæ vero loco fixæ permanent; item campanis, cytharis & inſtrumentis muſicis. Vera ſapientia non in nuda virtutis cognitione & prædicatione, ſed in operatione con-

conſiſtit. Concludit cum alio anagramm: SCIENTIA, CIT SANIE.

Caput XXII. hunc titulum habet: *Sientia inflat.* Vbi copioſe docet autor, non tantum aliis vitiis deditos eſſe doctores, ſed præcipue ſuperbiæ, vitiorum omnium capiti. Intermiſcet etiam anagramma, ſcilicet ſi quæras, cuius ſit SCIENTIA? reſpondet IACENTIS, illius videlicet, qui humi iacet per humilitatem, non qui multarum rerum cognitione inflatus & elatus ſuper ſe in altis volat. Ac poſtmodum variis teſtimoniis illam Doctorum ſuperbiam comprobat, tandemque appendicem adiicit, *de vano libros conſcribendi ſtudio.*

Cap. XXXIII. cuius inſcriptio eſt: *Docti multa ſcientes, ſe ipſos neſciunt*, oſtendit eruditos iudicare de omnibus creaturis, mundum diſputationi ſuæ a Deo traditum curioſe diſcutere, ſe tamen ipſos præterire & ignorare, & falſiſſima de ſe præſumtuoſe iudicare & in cogitationibus ſuis euaneſcere. Idque demonſtrat ab effectu cognitionis ſui, qui eſt ſui diſplicentia & vilipendentia, mentis dimiſſio & humiliatio, cuius docti ſunt expertes.

Cap. XXIV. agit *de indocilitate & pertinacia literatorum.* Indocilitatem demonſtrat ex tanta ſententiarum diuerſitate, ita vt nulla fere

fere ſit abſurditas, quæ non aliquem inter eruditos patronum nacta ſit, pertinaciæ cauſa eſt ſuperbia. Humanæ enim paſſiones, praui affectus, mentis oculum heterogeneo colore inficiunt, vt, ſicut ictericis omnia flaua, ophtalmicis vero rubra ſpectantur, ſic ipſis obiecta non videantur qualia ſint, ſed qualia eſſe affectus contendit. Hinc dicit aliquos nihil magis intendere, quam vt vocum & ſententiarum paradoxis vanitatibus delectent homines auribus prurientes, & ſuorum intellectuum ſagacitatem oſtentent.

Cap. XXV. reprehendit *contentioſas & cavillatorias diſputationes*, dum plerique eum qui publicis in congreſſibus voce ſtentorea, geſtuque ſycophantico ſophiſmata ſua præ ceteris declamare, ac pertinaci clamore aures audientium plauſibilius implere nouit, doctiſſimum paſſim proclament. Pergit, diſputandi materias plerumque nugas nugarum eſſe, tandemque concludit cum anagr. SCIENTIA, E CATINIS, INIS TACE.

Cap. XXVI. ſiſtit *Doctorum in ſcrutandis rebus altis vanam curioſitatem.* Non negat nos quædam in diuinis profundius poſſe ſcrutari ſi fiat ad ædificationem & quietem mentis; ſed quod in abſconditis & abſtruſis, myſteriis item diuinis, nimium intellectus occupetur, hoc reprehendit; quemlibet potius ad ſe ipſum

ipſum attendere debere, dicit, potiſſimum autem ab arcanis diuinis abſtinere.

Cap. XXVII. agit *de rara Doctorum humilitate*, ita tamen vt non neget aliquando doctiſſimos etiam humiles fuiſſe ceu id comprobare nititur exemplo Auguſtini, Hieronymi, Gregorii, & Thomæ Aquinatis; horum vero exemplis commoneri eruditos diſcereque, humilitate veram compleri ſapientiam, optat.

Cap. XXVIII. Funeſtos & lachrymandos Doctorum caſus, variis exemplis demonſtrat, in ſcenam producens Origenem, Tertullianum, Hoſium, Salomonem, Simonem de Tornaco alioſque, atque concludit cum anagrammate: SCIENTIA, SAT NECIS, quod tamen anagramma impurum eſt, præter mentem autoris.

Cap. XXIX. Doctorum fidem dicit minus meritoriam eſſe. Diſtinguit autem fidem meritoriam a miraculoſa, illamque deſcribit quod ſit aſſenſus hominis credentis reuelata a Deo myſteria. *Meritoriam* vocat, quia *meritum fidei* in pio voluntatis credendi adfectu potiſſimum conſiſtit, quo voluntas veritate inetiidenti propoſita intellectum ad id credendum quod non capit, quod non videt, animoſe firmat, eique aſſenſum imperat, a quo voluntatis motu pioque adfectu fides ipſa ha-

habet quod ſit libera. Hinc, pergit, quo intenſior ille adfectus fuerit eo fidem magis fore meritoriam, Doctorum itaque fidem minus meritoriam vt plurimum eſſe dicit, quia docti ad credenda fidei dogmata intellectum plerumque magis credibilitatibus & rationibus humanis moraliter euidentibus inducunt, quam pio voluntatis adfectu, & ſic difficultatem in obiectis fidei imminuunt, qua imminuta, neceſſe eſt in ipſa fide meriti rationem labefactari, adducens verba Gregorii: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

Cap. XXX. Exhibet *Scientiæ laudem & neceſſitatem*, oſtenditque ſe non omnem ſcientiam velle perſequi, & rudem ac ſtupidam ſimplicitatem indifferenter commendare. Comprobat ergo variis teſtimoniis, quam vtilis & interdum neceſſaria ſit ſcientia; quantumque malum ſit, officiis tam ſacris quam ciuilibus admouere illiteratos & rudes. Inter alia meminit alicuius viri docti, qui, veniens ad quendam presbyterum illiteratum, multa ex illo quæſiuit de ſcripturarum diuinarum ſenſu & explicatione, cui cum presbyter nihil aliud reſponſi dederit, quam hoc: *littera occidit*, vir doctus tandem regeſſit: *bene cauiſti, mi domine, ne te littera occideret, quia nullam calles.* Quod & Thomas Morus elegan-

ganti epigrammate ab autore adducto expreſſit. Concludit caput cum anagramm. SIT NICEA, SCIENTIA.

Cap. XXXI. agit *de ſecularis ſcientiæ ſtudio.* Atque cum in cap. præcedenti dixerit vtilem & neceſſariam eſſe ſcientiam, maxime Dei, ſacerdoti, in hoc capite explicat, qualem ſcientiam intelligat; ſcilicet non ſe commendare ſecularem ſcientiam, nempe ſecularium negotiorum, hiſtoriarum, carminum, fabularum, aliarumque rerum profanarum ad ſalutem minus conducentium, maxime illam, quæ ex libris gentilium hauritur. Has ſcientias eſſe nugas nugarum & vanitates vanitatum. Vocat hoc ſtudium ſecularis literaturæ philtrum, & ſpiritualis doctrinæ faſtidium. Relictis ergo, inquit, profanis curioſitatibus, Chriſti diſciplinæ nos tradamus, & repudiatis gentilium vanitatibus atque mendaciis, ſcripturæ diuinæ ſtudio nos impendamus; inueniemus in liberaliſſima illius penu copioſiſſime, quæ non tantum in noſtram, ſed etiam aliorum vtilitatem & conſolationem ſeruire poterunt. Concludit caput cum anagramm. SCIENTIA, INICASTE.

Cap. XXXII. titulus eſt, *de vera & falſa ſapientia.* Vbi oſtendit, malos non fieri ſapientes: voluntatem prius corrigendam, & omnia

omnia vitia fugienda eſſe: mentem a rebus & negotiis terrenis debere eſſe abſtractam, & ſtudio contemplationis vacare, ac renunciare cunctis mundi voluptatibus & deliciis: non poſſideri veram ſapientiam, nec doceri poſſe, niſi a vero Dei cultore: qui propoſitum habet acquirendæ laudis, eum non poſſe acquirere veram ſcientiam.

Cap. XXXIII. Veram ſapientiam demonſtrat. Eam hauriendam eſſe ex ſacris literis: conſiſtere in agnitione Dei & vero eius cultu: philoſophiam noſtram Chriſtum eſſe: non ſufficere ſi intellectus ſpeculationibus occupetur, ſed etiam voluntatem excitandam eſſe. De cognitione ſui ipſius & humilitate aliiſque virtutibus quæ inde oriantur. *Vera ergo*, pergit, *ſapientia eſt bona vita.* Subiicit veræ philoſophiæ *Alphabetum*, ſeu prima rudimenta verbis Climaci ſequentibus: *Optimum in omnibus ac ſalubre alphabetum, obedientia, ieiunium, cilicium, cinis, lacrymæ, confeſſio, ſilentium, humilitas, vigiliæ, fortitudo, frigus, labor, ærumna, contemtus, contritio, obliuio illatæ contumeliæ, fraternitatis amor, manſuetudo, fides ſimplex omnique curioſitate carens, curarum ſecularium abiectio, amabile parentum odium, totius rei mortalis repudiatio, ſimplicitas innocentiæ coniuncta, ſpontanea vilitas.* Concludit cum allocutione ad vere ſapientes & cum

ana-

anagram. Mundi ſcientia, inquit, prædicat tibi: SCI ENTIA.

Tu vero SCI vnum ENS ſic eris vere SCIENS

SCIENTIA vero huius mundi NESCIIT A

Cap. XXXIV. Rubrica eſt: *In cælo conſummata ſapientia & ſcientia, nulla in inferno.* Eſto, in terris inueniri poſſe veram ſapientiam, ea tamen nimis imperfecta eſt. Poteſt ſcientia noſtra, ſcientia paruulorum, ſeu puerilis & infantilis nominari, in comparatione virilis illius & perfectæ, quæ in cælis eſt. In inferno velut a tabulis abradi omnem hic hauſtam ſcientiam litterarum, & o vtinam omnis! Illarum enim, pergit Autor, rerum & obiectorum, quorum mentio eſt dolorifica, obliuionem non incurrent. Plus tamen doctos, quam alios, maximo huius gehennæ tormento cruciandos arbitratur; par enim eſt, vt qui malo intellectus ſui vſu plurimum peccauerunt, per intellectum quoque plurimum puniantur. Concludit cum anagramm. SCIENTIA, IIT SCENA.

Cap. XXXV. Idiotarum & ſimplicium ſors extollitur. Homines tempus aureum in perituram pſeudo-ſcientiæ operam inſumunt, & maiora ſe quærentes, humilia & potiora negligendo, typho ſuo inflati & elati terram lingunt. Scientia cum ſuis ſectatoribus ni-

hil fere magis odit, quam pia & humilia. Interim ſciendi cnpiditatem originem eſſe malorum omnium, ſanctam vero ſimplicitatem ſecuram eſſe ac perutilem, oſtendit.

Cap. XXXVI. inſcriptio eſt: *Simplices in prædicatione & hæreticorum aliorumque prauorum hominum conuerſione, plus doctis proficiunt.* Id quod autor fuſe & teſtimoniis ſcripturæ, & exemplo Apoſtolorum, aliisque teſtimoniis comprobat. Inde, dicit, hactenus inaniter & infructuoſe in hæreticorum conuerſione laboratum eſſe, quia omnis armatura in intellectu ponitur. Vbi, inquit, in primitiua eccleſia tot Theologiæ doctores? tam enucleate expoſita fidei noſtræ ratio? tot controuerſiarum libri? Quotidie tamen millia hominum acceſſerunt eccleſiæ, non in ſapientia verbi, ſed vitæ perorantis exemplo. Adducit ex Ruffino exemplum indocti cuiuſdam in Concilio Nicæno, philoſophum conuincentis, quem tot theologi conuincere non potuerunt. Cui alia exempla & teſtimonia ſubiicit.

Cap. XXXVII. Deum ſimplicium doctorem & illuminatorem ſtatuit. Falli igitur qui humano ſtudio, absque doctrina Dei & illuminatione interna ad veram ſcientiam pertingere ſe poſſe confidunt. Multos literaturam contemnen-

temnentes in ſimplicitate ſua ſancta plus millies ſpiritu illuminante profeciſſe, quam labore ſtudioque proprio etiam mille ſæculis profeciſſent. Ad hanc ſapientiam cælitus hauriendam inprimis requiri caſtitatem & humilitatem; eſſe enim humilem concauo ſpeculo ſimilem, in quo radii ſolares collecti mire intenduntur: ad hanc mentis puritatem accedere debere orationem. Et ita vitæ puritate & oratione hominem melius ad ſapientiam peruenire poſſe, quam ſtudiorum labore. Concluditur caput cum anagr. SIC INEAT animum SCIENTIA.

Cap. XXXVIII. Oſtendit *ſimplicem orationem Deo gratiorem eſſe quam doctam.* Cum docti raro diſtractionis ſint expertes, & ſpeculationes mentis illorum omnem cordis pietatem & deuotionem abſorbeant; & oculorum fontes arefaciant; contra ſimplicium etſi taceat intellectus, pupilla tamen oculi & cor loquatur, oratione non facunda ſed fæcunda. Deus non intellectus noſtri ſubtilitatem, vel oris facundiam, ſed ſolam cordis reſpicit & remunerat deuotionem. Accedit quod ſimplices plerumque melioris ſint vitæ, & ſpiritus humilioris, quam ſint literati, adeoque Deo gratiores & dilectiores.

Cap. XXXIX. addit *de ſimplicitate ſapienter*

indocta reſiduum : Atque quæ iam ante demonſtrauerat aliquot teſtimoniis ex ſcriptura & patribus deſumtis comprobat; pro colophone adiiciens anagramma: Scientia, I nescita.

Cap. XL. Obiectioni reſpondet Autor & mentem ſuam plenius declarat. Obiectio hæc eſt, quod Autor committat fallaciam non cauſæ vt cauſæ, vſum in huiusmodi rebus non vituperandum eſſe, ſed abuſum; & a peſſimis hominum voluntatibus res optimas nonnunquam in malum detorqueri. Ad illam obiectionem reſpondet autor §. 1. fateri ſe *quod ſcientia non ſit per ſe mala*, ſed per accidens: neque animum ſibi eſſe vſum verum perſequi, ſed abuſum, quin potius id ſe ſuadere cum Paulo, vt deſtruatur omnis altitudo extollens ſe aduerſus ſcientiam Dei. Addit tamen §. 2. *ſcientiam licet per accidens malam prudenter vitari.* Licet enim res huiuſcemodi per ſe bonæ ſint, animosque ad deteriora non cogant deflectere, viam tamen præbent; etſi mala neceſſario non inferunt, malorum tamen eſſe ſolent occaſio. Vanam, pergit, abſolute pronuntiari poſſe ſcientiam, licet quæcumque ei adſcribuntur nocumenta, non per ſe, ſed per accidens ſequantur. Tandem & hoc caput concludit cum anagrammate: Scientia, eat cinis.

Cap.

Cap. XLI. & Vltimo exponit, *ſi euitari ſcientia non poſſit, quomodo in ea conuerſandum.* Prudentem quidem, qui quæ dicta ſunt perpendit, facile viam ſimplicium, electurum eſſe confidit autor, verum cum nonnulli quaſi inuiti trahantur ad ſcientias, quidam etiam literas profiteri in academiis teneantur, hinc ſi ſcire oportet, videndum eſt quomodo ſcire oporteat. Inde §. 1. tradit, *quo ordine ſcire oporteat.* Scilicet id prius, quod maturius ad ſalutem. Viciniorem ſaluti ſcientiam eſſe, noſſe Deum, noſſe ſe ipſum; noſſe vias modoſque cælum promerendi (loquitur ſtylo ſuæ religionis, quod Autori ignoſcendum) neque noſſe tantum ſed & exercere: anteponendam eſſe charitatem ſcientiæ. Poſtea §. 2. oſtendit *quo ſtudio ſcire oporteat.* Ita, vt ſanctum mentis ignem extingui non ſinamus, nunquam ſtudium inchoemus ſine auſpice Deo, nec ſine præuia pia mentis intentione. Nullum ſtudium, præter diuinum & cæleſte, quamuis alias expolitum & veridicum, ita mentem delectet, vt totam rapiat. Non omittendum ſanctæ orationis & meditationis exercitium. Nunquam charitatis operibus & virtutum exercitiis ſtudia præferamus litterarum; ſed his ad tempus ſepoſitis, illis nos impendamus; ſemper memores, pietatem ad omnia eſſe vtilem,

ad profectum in litteris ac eruditione faciendum, ſuper omnem humani ingenii induſtriam conducere. Nolimus in ſtudiis noſtris niti contra parietem & plus ſapere quam oportet; amemus vtilia magis quam ſubtilia, nec illa ſcrutemur quæ nos Deus non ſcire voluit, ſed ignorare. Tandem §. 3. ſubiicit *quo fine ſcire oporteat.* Non vt ſciamus; non vt ſciamur; non vt ſcientiam vendamus, ſed vt ædificemus & ædificemur. Scire ergo vnusquiſque debet, quo ſcientiam ſuam referat; non ad vanam gloriam, ſed in Dei honorem & proximi vtilitatem. Vere, inquit, omnis ſcientiæ ventoſæ *copia*, dicenda eſt potius *inopia*, quæ ſolidiori ſapientia, donisque cæleſtibus hominem priuat; & omnis eius *gloria*, cuius cupidine cœci mortales adeo flagrant, apud Deum *ignominia* reputatur, paritque tumidis atque faſtuoſis eius ſectatoribus opprobrium ſempiternum. Concludir totum tractatum his verbis: *Finem loquendi, ex libro Eccleſiaſtis deſumtum, omnes audiamus: Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo. Qui hoc non eſt, ſit licet doctus & litteratus, nihil eſt.*

§. VII. Hæc eſt ſumma illorum, quæ Hirnhaimius, in tractatu de Typho generis humani, fuſiſſime, per alphabeta, vt loqui-

quimur, duo & dimidium, expoſuit; nunc de perſona eius & ſcopo tractationis pauca adhuc ſubiicienda reſtant. Fuit autor religioni pontificiæ addictus, vt titulus eius ſupra §. V. traditus docet. Neque deſunt eius rei veſtigia in ipſo tractatu. Verum cum iſta facile prudens & ſapiens lector ipſe animaduertere poſſit, noluimus ea ſpeciatim adnotare. Nec tamen poſſumus ideo non commendare hanc Autoris operam, ſiquidem hactenus experientia comprobatum eſt, peruerſo modo eos procedere, qui ob aliquos autoris cuiusdam næuos, lectionem totius libri diſſuadent. Omnia probanda ſunt & optimum retinendum. Apes imitari debemus, mel vbique colligentes & in ſuos vſus conuertentes. Non ſupprimenda bona ſunt, propter mala quædam quæ intermixta cernuntur, ſed hæc repudianda, illa amplectenda. Veritatem amemus & ſequamur, quiſquis etiam ille ſit, qui nobis eandem proponit. Pietati interim veræ & ſapientiæ ſpiritus ſancti deditum Autorem fuiſſe, omnis pagina docet. Quis ergo dubitet ſpiritum Dei in eius quoque pectore hæc operatum eſſe? Sed & contra ipſos pontificios vti poſſumus argumentis ab autore adductis, ſunt enim inter illos non pauci, ſed plerique qui vanæ ſcientiæ ſuperſtitioſe dediti ſunt.

Pungit ideo Autor hinc inde dominantem clerum & ventoſum eius ſpiritum, vbique ducens ad ſimplicitatem, humilitatem, manſuetudinem, amorem & timorem Dei, ſuique exinanitionem: vt miremur potius Deumque laudemus, quod in mediis tenebris papatus, hoc veritatis teſtimonium, ab Autore publice exhibitum, prodierit, & quidem cum publica aprobatione, vt ſecunda ſtatim pagina docet.

§. VIII. Quod vero ad argumentum & ſcopum totius tractationis attinet, facile vnusquiſque qui non omnis rationis ſanæ expers eſt, intelliget, quid mouerit Autorem ad hunc tractatum conſcribendum. Viderat enim in quantum faſtigium aſcendant ſtudia, viderat quam tumidi & elati plerorumque eruditorum animi ſint, propter excultas pauliſper artes & literas, & viderat ſimul quantopere iſta ſublimitas ingeniorum & ſtudiorum abducat a vera humilitate Chriſtianis a ſaluatore tantopere commendata, quaque ratione propter iſtas turgidas procellas, pauciſſimi in hunc ſolum felicitatis portum pernauigare poſſint. Hoc itaque movit autorem vt hæc pericula oſtenderet, & typhum illum generis humani, quo plerique hactenus in gyrum acti, detegeret. Hinc animus ipſi erat oſtendere, nondum tempus

eſſe

eſſe gloriari de feliciter peractis ſtudiis & ſcientiis: litteras quidem aliquatenus excultas eſſe, ſed adhuc tamen in lubrico & incerto oceano nos vagari; & fruſtra eſſe, qui veritatem iam inueniſſe in ſcientiis ſibi imaginantur. Cum vero multum confidant homines autoritati humanæ, & inprimis ſuæ Eccleſiæ, cuius membrum erat Autor, pontificiæ ſcilicet, quaſi in omni negotio ad aſſenſum eccleſiæ patrum recurrat, hinc nihil dixit ſuis verbis tantum, ſed vbique teſtimonia ex optimis Patribus eccleſiæ adduxit. Equidem non indiget veritas teſtimoniis hominum, ſed hæc indigent veritate, quæ amplectenda ſi clare oſtendatur, etiamſi nullus mortalium adhuc eam propoſuiſſet; verum dandum aliquid eſt infirmitati humanæ, & cum homines faſcinati ſint præiudicatis opinionibus, non ſine fructu, poſtquam veritas a nobis oſtenſa eſt, ad eam comprobandam, teſtimonia ſapientiorum producuntur in medium. Id vero præ ceteris præſtitit cum laude Autor, quod cum reliqui, qui de vanitate ſcientiarum ſcripſerunt, raro viam oſtenderint hanc ſcyllam & Charybdim euadendi, is hanc ſatis clare non vno loco monſtrauerit. Simplicitatem enim commendat omni pagina & humilitatem, veramque ad Chriſtum viam ſternit. Detegit

illum fundamentalem errorem, quod intellectus luminis capax ſit, ſine emendata voluntate, cum tamen diuinum lumen radios prius ad voluntatem hominis dirigat, quam ad intellectum: hinc toties quoties conuerſionem voluntatis noſtræ ad Deum commendat, ſi veritatem in ſcientiis quærere & inuenire velimus. Veritatem enim & ſapientiam diuinam eſſe oſtendit, illuminatione itaque diuini ſpiritus opus eſſe, ſi illam aſſequi velimus: Beatiores ergo eſſe ſimpliciſſimos homines a Deo illuminatos, magisque veritatem poſſidere, præ eruditiſſimis hominum diuino lumine deſtitutis. Nam quibus oculi clauſi ſunt, cœci ſunt, quicquid ſibi de ſole imaginentur in cerebro; qui vero oculis apertis ipſum ſolem aſpiciunt eiusque radios experiuntur, illi ſoli vident, & rem multo accuratius experiuntur, ſine longa ratiocinatione. Tandem in eo quoque ſobrie egit autor, quod non omnem veritatem neget, & omnes ſcientias e medio ſublatas velit, in quod extremum non pauci, qui de illo argumento egerunt, videntur prolapſi; Ipſe vero concedit dari veritatem, non negat ſcientias quasdam, nam de omnibus qui aſſeruerit temerarius eſt bonas eſſe & laudabiles; ſed commune vitium eſſe docet, quod peruerſo & inuerſo modo quæratur veritas,

&

& ſcientia, quæ bona eſt, vitiis hominum mala reddatur. Plura non addimus, cum legi in autore poſſint, quamuis doleamus rariora eſſe exemplaria. Prudentes interim & ſapientes ex ſumma tractatus hic exhibita, ſi vlteriori meditatione hæc proſequantur, fructus inde colligere poſſunt vberrimos.

OBSERVATIO IX.

PAGANINI GAVDENTII VOLVMEN DE PHILOSOPHIA APVD ROMANOS.

SVMMA OBSERVATIONIS PRIORIS.

Titulus libri & ordo tractationis §. I. Iudicium de auctore §. II. Argumentum diſſertatiunculæ de ſtudio hiſtoriæ philoſophicæ, atque cap. 1. vbi traditur vna modus conciliandi Epocham natiuitatis Chriſti cum Epocha Vrbis conditæ §. III. Philoſophia nec a Numa, neque ſub Tarquinio Priſco Romam illata eſt §. IV. A Pythagoreis Romam ea pertigit. Primus celebris philoſophus Romæ fuit Panætius. Panætii diſcipulus erat Poſidonius. Polybius certo reſpectu inter philoſophos refertur. Ante hos ſaltem Aſtronomiam

miam Romæ excoluit Sulpicius Gallus §. *V.* *De Scipione Africano*, *Lælio & Furio philoſophis*, *& de Senatus conſulto apud Gellium*, *quo viſi ſunt omnes philoſophi Roma pelli* §. *VI.* *De Carneade*, *Diogene & Critolao.* *Attinguntur vna ſucceſſiones ſcholæ Arceſileæ & Peripateticæ* §. *VII.* *Tubero*, *Scæuola*, *Sex. Pompeius*, *philoſophia clari* §. *VIII.* *Libere tandem philoſophiam Romæ profitentur* §. *IX.* *Lucullus illuſtri exemplo præiuit Romanis ad fouendam philoſophiam.* *Is Tyrannionem Emiſenum captum Romam duxiſſe fertur.* §. *X.* *Sylla Ariſtotelis & Theophraſti libros Romam Athenis transtulit.* *Scripſerunt quidam ſub obſcuri ante Ciceronem latine de philoſophia* §. *XI.* *De M. Craſſo*, *M. Bruto*, *Caſſio*, *Catio*, *Piſone & Lucretio* §. *XII.* *De C. Cotta*, *P. Nigidio Figulo*, *C. Velleio*, *Q. Lucilio Balbo & Varrone* §. *XIII.* *Ciceronis*, *Pompeii*, *M. Catonis*, (*vbi vna Stoicorum quorundam ſententia de immortalitate animæ expenditur*) *T. Pomp. Attici*, *C. Cæſaris ſtudia & merita in Philoſophiam narrantur* §. *XIV.* *Veteres ICTI Peripateticæ & Platonicæ ſectæ addicti videntur.* *De Chaldaica diſciplina ſub Imperatoribus* §. *XV.* *Octauius Cæſar Auguſtus*, *Athenodorus*, *Fauonius*, *Athenæus*, *Xenarchus*, *Strabo*, *M. Manilius recenſentur* §. *XVI.* *Traſyllus*, *Tiberius*, *Liuius*, *Canius Iulius*, *Philo*, *Claudius*, *Annæus Cornutus*, *Alex. Aegæus*, *Seneca*, *Fabianus Papirius*, *Demetrius Cynicus*, *Thra-*

Thraſeas Pætus, P. Egnatius Celer, Apollonius Tyaneus, Dionyſius Alexandrinus enumerantur §. XVII. De Heluidio Priſco, Ioſepho, Plinio, Muſonio, Tito, Iulio Agricola, Domitiano & Deciano agitur §. XVIII. Traiani, Taciti, Plutarchi, Chryſippi ſit mentio §. XIX. De ſtatu philoſophiæ ſub Hadriano & de Gellio quædam narrantur §. XX.

§. I.

Titulus libri: *De Philoſophia apud Romanos initio & progreſſu, Paganini Gaudentii volumen. Piſis MDCXLIII.* in quarta forma. Præter hiſtoriam philoſophicam multa, quæ ad contemplationem & conſiderationem rerum, diſſidentesque veterum ſapientum ſcholas pertinent, in eo continentur. Cum vero vna obſeruatio, niſi modum obſeruationis transgredi velimus, ea omnia non capiat, diuidimus illum librum in duas partes, quarum altera hiſtoriam philoſophiæ apud Romanos, a principio vſque ad Antonini tempora narrabit; altera progreſſum philoſophiæ ſub Antonino, & ceteris imperatoribus Romanis docebit, eiusque enarrationem vſque ad barbaricas irruptiones continuabit. Ad hæc accedent, quæ non tam hiſtoriam, quam dogmata philoſophorum illuſtrant.

Ce-

Ceterum, quæ in addendis auctor habet, ſuo quæque loco proferentur.

§. II. Dolendum eſt, quod in illuſtri hoc libello, ſæpe numero tantum libri, ex quibus deſumſit, omiſſis capitibus & paginis, allegentur. Facile autem Gaudentius excuſari poteſt, quia ipſius ætate plurima veterum ſcripta in capita, vel alias minores ſectiones, nondum erant diſtributa. Quod interdum ſe ſuaque acrius defendit, & in alios acerbe, ac contumelioſe inuehitur, in eo aliquid humani paſſus eſt. Erudite profecto, perſpicue, atque ſolide rem ſuſceptam vbiuis exponit.

§. III. In diſſertatiuncula de hiſtoria philoſophica excolenda, libro præfixa, verbis aſperioribus eos perſtringit, qui vnum ex philoſophorum numero eligunt, ceterorum ſcriptis atque hiſtoria plane contemtis. Subiunxit ei ſcriptorum indicem, quorum teſtimoniis cuncta innituntur. Capite primo ſucceſſionis philoſophicæ conſpectum ex Faſtis conſularibus, quantum ego videre potui, Sigonii, & Chronologia exhibet. Quoniam vero ab vſitata annorum computatione non recedit, ea proferre ſuperuacaneum eſſe duximus. Obiter hic noto, quod principium Epochæ V. C. ſcriptores ex mente Catonis ad annum olympiadicum XXIV, Varro-

ronis ad XXIII, atque ſic ad annum ante Chriſtum DCCLII aut LIII referant, & quidem XI. Kal. Maii. Si annus quidam huic Aeræ adiungendus, anni DCCLII vel LIII addantur: ſi vero annus, qui non æquat DCCLII, ſecundum hanc efferendus, ex dato numero tot anni ſubtrahantur, quot illi deſunt.

§. IV. Cicero quidem libr. II. de Orat. edit Lugd. p. 221. B. ſcribit: *quidam Pompilium Numam, regem noſtrum, fuiſſe Pythagoreum ſcribunt.* Idem fere dicit Plutarchus in vita Numæ. At alibi Tuſc. I. idem Cicero, *Superbo regnante in Italiam veniſſe Pythagoram*: nec aliud quidquam, quam aliorum opinionem in modo allegato libr. II. de Orat. refert. Liv. libr. I. c. 18. *auctorem*, ait, *doctrinæ eius* (Numæ) *falſo Samium Pythagoram edunt.* Is enim centum amplius poſt annos in vltimam Italiæ oram venit. Nonnulli, teſte Plutarcho, alium Pythagoram Spartiatam, cui Numa doctrinam ſuam debeat, (at Numæ animum ſuopte ingenio virtutibus temperatum fuiſſe opinatur Liv. l. 18.) exſtitiſſe ſtatuerunt. Sed quis fidem habeat obſcuræ huic narrationi, de qua ſilent veterum annales. Dicat quis, fortaſſe augures Numæ, (Liv. Ib. & alii) quemadmodum Perſarum magi erant, fuiſſe philoſophos. Si hoc ita

eſſet,

eſſet, omnibus profecto nationibus philoſophiæ ſtudium deberet tribui. Nam omnes auſpiciis & auguriis operam dederunt. Ad hæc accedit, quod inſignis fuerit differentia in auſpicibus, auguribus & philoſophis conſulendis, vti exemplum Iuliani aduerſus Perſas proficiſcentis docere poteſt. Nec legimus, ſub Tarquinio eam eſſe in vrbem ex Græcia translatam; fortaſſis, quia verebatur, ne exterorum mores & doctrinam introducens, in ſuorum odium incurrat. Multominus ex eo, quod antiquitus excantarunt aliqui fruges apud Romanos, colligendum, fuiſſe ibi philoſophos. Tantum abeſt, vt philoſophia prauis veneficorum artibus faueat, vt vix vllus reperiatur philoſophus, tali nomine dignus, qui eiusmodi ſcelera non damnauerit.

§. V. Neſcio, cur Gaudentius nolit concedere, Pythagoream philoſophiam in vrbe floruiſſe; cum tamen Cicero Tuſc. I. & alibi afferat, *poſt Pythagoræ tempora viguiſſe Pythagoreorum nomen iu Italia.* Dicit quidem, eſſe tantum coniecturam, quod annalium conditores id non habeant. Quaſi vero nihil pro certo ſit habendum, niſi quod aut Liuius, aut alius quidam ſcriptor hiſtoricus memoriæ tradiderit. Præterea motus graues, & bella inteſtina philoſophiæ ſtudium impediuiſſe

diuiſſe dicit. Num ciuile bellum Catilinarium? Num Cæſarianum impediuit Romanos, quominus ſe litterarum ſtudiis darent? De quibus Cicero affirmat, quod vnum in calamitatibus ſint perfugium, Ep. Fam. VI. 13. 17. IX. 2. 12. XII. 23. 8. Panætius Rhodo natus (Polyb. libr. IV.), primus Romæ philoſophiæ nomine videtur claruiſſe. Docuit non tantum priuatim Scipionem Africanum minorem, quem Cicero eius auditorem libr. I. Off. nominat, ſed etiam alios præter eum publice: Siquidem Polybius mentionem facit Apollinii Stoici, optimi inter auditores Panætianos. Quod Stoicæ doctrinæ profeſſor fuerit Panætius, Polyb. c. l. Cic. libr. I. Off. Philo libr. de mundi incorrupt. teſtantur. Polybius, teſte Vell. libr. I. c. 13., adſiduus Scipionis comes, ſecundum Suidam ante Scipionis fuit præceptor, quam Panætius. Quamuis nulla philoſophica ſcripta reliquerit Polybius, tamen non dubitandum eſt de ſcientia eius philoſophica, quam libri eius ſatis declarant, qui interdum de rerumpl. ſpeciebus ac formis iudicia ferunt, (libr. VI. de monarchica, ariſtocratica & democratica forma diſputat,) interdum Geographica, Mathematica & ex animalium hiſtoria quædam inſerunt. Panætii diſcipulus fuit Poſidonius, vti Suidas, & Cic. III. de Off. ſcribunt. Ante hos ſaltem Aſtrono-

miam excoluit Romæ Sulpicius Gallus, de quo Plin. libr. II. c. 12. & Val. Max. libr. VIII. c. 1. loquuntur.

§. VI. Cicero paullo ante citato libr. II. de Orat. eadem pagina refert, quod Scipio Carneadem, Critolaum & Diogenem, quamdiu Romæ fuerunt, audiuerit, atque ſecum eruditiſſimos homines ex Græcia palam ſemper habuerit. Idem Velleius libr. I. c. 13. ſcribit. Non autem Scipio Stoicis præceptis factus eſt aſperior. Cic. pro Mur. *Quis vero*, inquit, *comior* (Lælio), *quis iucundior eodem ex ſtudio* (Stoicorum), *quis illo* (P. Scipione) *grauior*, *ſapientior*. Vbi laudatur etiam C. Lælius, quem cum L. Furio idem Cicero in modo allegato libr. II. de Orat. p. 221. propter illuſtrem doctrinam mirabiliter commendat. De Lælio videri quoque poteſt Cic. lib. II. de Fin. in quo narrat, Lælium adoleſcentem audiuiſſe Diogenem Stoicum, poſt Panætium, & Sapientem fuiſſe appellatum. Quis credat, philoſophos, quibus Scipio, Lælius, viri ſumma auctoritate præditi fauebant, expelli potuiſſe Fannii & Meſſalæ COSS. ſenatusconſulto, quod Gellius libr. XV. c. 11. in medium profert. Illud SC. vetabat etiam Rhetores, ne in vrbe eſſent; cuius rei cauſſæ a Suet. de clar. Rhet. c. 1. & Quintiliano ſunt allatæ.

§. VII.

§. VII. Siue expulſi, ſiue honeſte Roma dimiſſi ſint Carneades & Diogenes legati Athenienſium, tamen, quia Cicero eorum ſæpe numero facit mentionem, notari merentur. Carneades Arceſilæ ambiguitatem, Chryſippi voluminibus ſe muniens, docte, facunde, ac mirabiliter defendit. Eſt autem ſucceſſio illius ſcholæ hæc: Arceſila, ſuo ingenio fretus, contemſit Zenonem, &, quamuis Academiæ nomen, ſummorumque philoſophorum dicta vſurparet, tamen incerta & ambigua quæuis conabatur facere. Hunc audiuit & ſecutus eſt Lacydes, Lacydem Euander, Euandrum Egeſimus, ab Euandro inſtitutus eſt Carneades, quem excepit Clitomachus, cui diu operam dedit Philo. Diogenes autem ex tota animi ſententia Stoam eſt ſecutus, de quo vid. Cic. Acad. Quæſt. libr. II. vbi quædam inſuper narrantur de Albino cos. & Prætore, qui a philoſophico Romanorum ordine non eſt excludendus. Critolaus, qui Romæ aliquandiu commoratus, philoſophiam docuit, fortaſſe non tam legatione ad Romanos, quam ſucceſſione in ſchola peripatetica illuſtris fuit. Quam ſucceſſionem Plutarchus in libro de exilio narrat, & Clem. Alex. Stromat. 1. his verbis: *apud Platonem philoſophatus Ariſtoteles, ei ſuccedit Theophraſtus, cui Strato, cui Lycon,*

Digitized by Google

ex Platone hic inſerendus *Ariſto, deinde Critolaus, deinde Diodorus.* Quod bona animi ab eo laudata ſint, Cicero V. Tuſc. obſeruauit.

§. VIII. Vltimi nunc addendi ſunt, qui ante vixerunt, quam libere philoſophia Romæ admiſſa fuit. Q. Tubero, quem Cic. pro Mur. eruditum virum ex ſtudio ſtoico, & aliquanto poſt eruditiſſimum appellat. Tacit. libr. XVI. *iſta*, inquit, *ſecta*, Stoicam intelligit, *Tuberones & Fanonios genuit.* A Gellio dicitur Q. Tubero fuiſſe antiſtes iuris ciuilis, & ſtoicæ doctrinæ ſectator. De L. Craſſo Cic. I. de Orat. dicit, eum, cum quæſtor ex Macedonia veniret, vidiſſe Carneadem, Clitomachum, Aeſchinem, Metrodorum, qui fuit auditor Carneadis, Mneſarchum, Panætii diſcipulum, Critolaum & Diodorum Peripateticos, aliosque: ex quibus ſine dubio multa percepit philoſophica. Scæuola, teſte Cic. cit. libro, Panætium audiuit, a quo certe non pauca didicit, quibus Iurisprudentiam locupletaret. Si quis Ciceronis librum modo allegatum inſpexerit, de Sex. Pompeii eruditione philoſophica omnino non poterit dubitare.

§. IX. Libere tandem, mutatis moribus, Romæ admiſſa eſt philoſophia, quæ non modo imperio non repugnat, ſed etiam multum

tum

Digitized by Google

tum illud iuuat atque amplificat, vti poſt hac Romanorum, Arabum, qui Ariſtotelem, Ptolomæum, & alios ex Græco in ſuam linguam tranſtulerunt, inque ſuas ſcholas introduxerunt, & noſtra ætate Batauorum, Britannorum, atque Gallorum exempla declarant. Inprimis eloquentiæ comparandæ cauſſa Romani amplexati ſunt philoſophiam. Auctor noſter ex Tullio refert, ipſum dixiſſe, quicquid in eloquentia effecerit, id ſe non Rhetorum, ſed Academiæ, hoc eſt, Platonicæ philoſophiæ (non Ariſtotelicæ, quæ ſapit ſcholaſticam concertationem, & vmbraticos decet homines) ſpatiis conſecutum.

§. X. Catonem grauiter tuliſſe philoſophiam, eamque ab vrbe excluſiſſe, ex Plutarch. vit. Catonis huius Cenſorii conſtat. Credibile autem videtur, Catone mortuo, SC. illud paullatim euaneſcere cœpiſſe, & ſtatim Græcorum aliquos in vrbem rediiſſe: non enim omnibus gratum erat, exulare philoſophiæ ſtudium. Sed quicquid ſit de hac re, certe Luculli temporibus multi philoſophi Græci Romæ libere vixerunt: id quod Plutarchus in vita Luculli teſtatur. Cicero in princ. Quæſt. Acad. de eo ſic ſcribit: *maiore ſtudio philoſophiæ deditus fuit, quam qui illum ignorabant, arbitrarentur* &c. Plutarchus dicit, *Lucullum vitæ ſuæ ſocium feciſſe Antiochum Aſcaloni-*

lonitam, qui videtur deſciuiſſe ab opinionibus Philonis præceptoris ſui, contemtaq; nouitate, quam inuexerat Arceſilas, & muniuerat Carneades, ad vetuſtatem Platonis voluiſſe reuerti. Hic Lucullus, qui vixit circa an. V. C. ɪɔᴄʟxx, Tyrannionem Emiſenum Romam captiuum duxit. Dicebatur is ante Theophraſtus, quam ita ab Heſtiæo præceptore ſuo appellatus eſt, quod, referente Suida, exagitaret condiſcipulos. Romæ Tyrannio in magnis diuitiis, liberalitate Luculli, viuens, poſſedit ſupra tres librorum myriades, vt narrat Heſychius Illuſtrius in libello de philoſophis. Suidas opinatur, non hunc Tyrannionem a Lucullo captiuum ductum fuiſſe, victo Mithridate, ſed æmulum Demetrii Erythrei.

§. XI. Syllæ meritum in philoſophiam Romanam, quod, Athenis expugnatis, Theophraſti & Ariſtotelis libros Romam tranſtulerit, Plutarchus in ipſius vita memoriæ prodidit. Quamuis a Græcis eo tempore ſapientiæ doctrina peteretur, tamen obſcuri quidam homines latine de philoſophia ſcripſerunt, vti narrat Cic. Tuſc. II. Apparet autem, fuiſſe Latinos, & forte Romanos; Romanæ propterea adnumerandos philoſophiæ. Idem Cic. Tuſc. I. ſic de iis ſcribit: *multi iam eſſe latini libri dicuntur ſcripti inconſiderate, ab optimis illis quidem viris ſed non ſatis eruditis; fieri*

autem

autem poteſt, vt recte quis ſentiat, & id, quod ſentit, polite eloqui non poſſit.

§. XII. M. Craſſus peripateticæ philoſophiæ potius ſe addixit, quia viſa eſt magis facere ad ingenium ipſius & rerum naturam. Præceptore vſus eſt Alexandro Peripatetico, qui vir temporibus illis fuit celeberrimus, (Plut. in vita Craſſi.) M. Brutus præceptorem habuit Ariſtum, fratrem Antiochi, (Cic. Tuſc. I.) &, vt Plutarchus in vita eius tradit, etiam Antiochum, quem vna cum fratre viuendi comitem fecit, aliosque Græcos philoſophos audiuit, ipſum Platonem perlegit, vt quod maxime veritati conſentaneum eligeret. Scripſit ille de Virtute librum, (Cic. Tuſc. I. de Fin. I.) & alium de Officio (Sen. ep. 95.) Quod vero Caſſius, Bruti ſocius in vindicanda Romana libertate, Epicureæ ſectæ adhæſerit, ex Cic. Ep. Fam. libr. XV. ep. 15. 18. 19. apparet. Huc referendus Catius Epicureus, qui latine de philoſophia ſcripſit, Quint. libr. X. c. 1. Cic. c. libr. Ep. 16. Horat. libr. II. Sat. IV. Cicero de Fin. V. narrat de M. Piſone, quod Staſeam Neapolitanum multos annos apud ſe habuerit, qui fuit nobilis ſane Peripateticus, Idem libr. I. de Nat. Deor. De ſummo poeta & philoſopho T. Lucretio, qui hexametris ſuis æmulatus eſt Empedoclem, (quem conſtat verſibus in-

cluſiſſe arcana philoſophica) multa verba facere, ſuperuacaneum eſſe duxi, quia ipſius libri non ſunt ignoti.

§. XIII. C. Cotta, Ciceroni perfamiliaris, cum eo recentem defendit Academiam, vti colligitur ex verbis Velleii ap. Cic. I. de N. D. *Ambo ab eodem Philone nihil ſcire didiciſtis.* Cui reſpondit: *quid didicerimus Cotta viderit.* Profecit etiam Cotta apud Diodotum, Antiochum, Poſidonium, quibus domus Ciceronis floruit; & Athenis Zenonem Sidonium Epicureum, cuius meminit Laërtius, frequenter audiuit, vt eius dogmatibus auditis, eo magis in ſua opinione confirmaretur. P. Nigidius, quo præſente ipſe Cicero diſputauit contra Phyſicos more Carneadeo, fuit vir, vt Cic. III. de N. D. refert, cum ceteris artibus, quæ quidem dignæ libero eſſent, ornatus omnibus; tum acer inueſtigator, & diligens earum rerum, quæ a natura inuolutæ videntur. Cicero ibidem affirmat, eum Pythagoreorum diſciplinam, quæ extincta quodammodo, renouaſſe. Videtur etiam vocatus Figulus: nam apud Macrobium libr. III. Sat. c. 16. dicitur Nigidius Figulus, maximus rerum naturalium indagator. Quod ad Gellii teſtimonium non admodum honorificum (libr. XIX. c. 14.) attinet, contraria illi facile poſſunt opponi; ne dicam, interdum

dum Gellio fidem haud eſſe habendam. C. Velleius, celebris Romæ Senator, a partibus Epicureorum ſtetit, & contra Platonem ac Zenonem diſputauit. Sed in quo, hoc eſt, in doctrina de mundo, eos grauiſſime comentitiarum & futilium ſententiarum accuſat, obiectioni ipſius Plato in Timæo prudenter occurrit. Plura de Velleio inuenies apud Cic. I. de N. Deor. Q. Lucilium Balbum, itidem Romanum, Cic. cit. libr. in Stoica diſciplina cum excellentibus Græcis exæquauit. Varro, quamuis inter philologos numeretur, tamen & philoſophica ſapientia ei eſt tribuenda. Sic enim de eo Apuleius: *memini*, inquit, *me apud Varronem philoſophum virum accuratiſſime doctum & eruditum legere*. Ipſe Varro de ſe apud Ciceronem I. Tuſc. dicit: *in illis veteribus noſtris, Menippum imitati, multa ex intima philoſophia, multa dialectice dicta*. Libri Varronis diuinarum humanarumque antiquitatum ab Auguſtino allegantur. De illis libris Cic. l. c. ſic ſcribit: *tu omnia diuinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſſas aperuiſti*.

§. XIV. Romanorum philoſophorum princeps fuit M. T. Cicero, qui non tantum Philonem, nouæ Academiæ fulcrum, cuius philoſophandi rationem eſt amplexus aliosque præter Philonem multos audiuit; nec

tantum peruoluit Platonis, Ariſtotelis, Zenonis libros, atque cum amicis ſermonem de illorum ſententiis contulit: ſed libros elegantes ac ſententioſos ipſe latinis litteris conſignauit. Ex vita Ciceronis excerpta, quam vir conſummatiſſimus Cellarius ſuæ editioni Epiſt. Cic. ad diuerſos præfixit, reliqua poſſunt intelligi. Pompeii Magni voluntatem in philoſophos multis verbis laudat Plutarchus in vita eius & Cic. Tuſc. Qu. II. Nam Rhodi philoſophiæ profeſſores & audiuit, & conuenit. Notandum eſt, a Plutarcho non tanquam vera relata, nec ab eo probata, Pompeium interimi iuſſiſſe Q. Valerium philoſophum, quod Syllanæ factioni aduerſaretur. Oppius enim ea retulit, homo Pompeianæ gloriæ infenſus, Cæſarique addictus. Summam M. Catonis, Vticenſis dicti, philoſophiam & ſapientiam Plutarchus, Seneca, Plin. libr. VII. c. 30. Cic. III. de Fin. & pro Muræna mirabiliter commendant. Ipſe in Aſiam profectus Antipatrum Tyrium & Athenodorum Cordilionem, ſtoicam diſciplinam profitentes viros audiuit. Mirum videri poteſt, quod M. Cato Stoicus bis Phædonem Platonis, in quo agitur de animorum immortalitate, legerit. Sed quid miraris? Non enim ſequitur, vt quis in omnibus vni ſectæ adhæreat. Huc etiam pertinet, quod pleri-

rique omnes Stoici ſenſerunt, ſaltem magnorum virorum animas ſupereſſe, & permanere vſque ad mundi conflagrationem. T. Pomp. Atticus, moribus optimis præditus, principum philoſophorum ita percepta habuit præcepta, vt his ad vitam agendam, non ad oſtentationem vteretur, (Corn. Nep. in eius vita.) Multum ſectæ Epicureæ tribuiſſe videtur; ſiquidem de ſeipſo apud Cic. V. de Fin. ita loquitur: *Ego, quem vos, vt deditum Epicuro inſectari ſoletis, ſum multum equidem cum Phædro, quem vnice diligo, vt ſcitis, in Epicuri hortis, quos modo præteribamus.* Nec prætermittendus eſt I. Cæſar, qui philoſophis adnumeratur propter inſignem peritiam mathematicam, qua ipſe viam monſtrauit emendatoribus Calendarii, vitio Pontificum per intercalandi licentiam turbati, prout Suet. & Plut. in vita eius tradunt. Adhibuit in illo opere Soſigenem inſignem Mathematicum, de quo Plin. libr. XIIX. c. 25. videatur.

§. XV. Ex veterum annalibus conſtat, multos Romæ quondam floruiſſe Iuriſconſultos, *qui Stoicæ ſectæ videntur addicti, quia verborum vim exquirebant. Cic. IV. de Repl. apud Nonium: *admiror*, inquit, *nec rerum ſolum ſed verborum etiam elegantiam*. Idem I. de Off. ſic ſcribit: *audeamus imitari* *Stoi-*

Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt, vnde verba ſunt ducta. Confer, ſi vis, Sen. ep. 88. Gell. libr. XIII. c. 10. XX. I. Sed hæc nequaquam oſtendunt Iuriſconſultos fuiſſe Stoicos. Nam ſic quoque poſſes dicere, Platonicos fuiſſe Iuriſconſultos, quia Plato integrum librum, quem Cratylum appellat, de originatione vocabulorum ſcripſit, & Ariſtotelicos, quod neque Ariſtoteles ſpreuit etymologias. Ad hæc accedit, quod neceſſarium fuerit, vocabulorum antiquorum ſignificationem indicare, vt intelligerentur leges XII. tabularum, quæ priſca lingua erant conſcriptæ. Videntur autem illi potius cum Platonicis & Peripateticis ſenſiſſe, quam Stoicis, quorum doctrina multa habet, quæ leges euertunt. Vt vnum tantummodo proferam, dicunt illi, omne delictum ſcelus eſſe nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem ſuffocauerit. Commendat etiam Cicero Peripateticos & Platonicos ciuilitati conſentaneos. Chaldæos quidem C. Cornelius prætor peregrinus, M. Popilio Lænate, Cn. Calpurnio COSS., edicto abire ex vrbe iuſſit: (Val. Max. libr. I. c. 4.) Sed eorum diſciplina poſthac ſub imperatoribus, & ab ipſis quoque obſeruata eſt, vti Suetonius de Veſpaſiano & Domitiano in eorum vitis ſcriptum reliquit.

by Google

quit. Inde non omnino vetita videtur, quia Ptolomæus Alexandrinus accuratiſſimum opus edidit, quod fortaſſe non feciſſet, ſi tunc ea prohibita. Iulius Firmicus eandem artem libris ſuis illuſtrauit. Dixit is, Principis genituram nequaquam ſiderum poſituræ obnoxiam eſſe, fortaſſe quia tum capitale fuit, de vita Principis inquirere.

§. XVI. Non prætermittendus eſt in tractatione philoſophiæ apud Romanos, Octavius Cæſar Auguſtus, qui philoſophos valde amauit, eorumque doctrinæ haud fuit expers. Suetonius inter alia de eo cap. 85. narrat, quod hortationes ad philoſophiam compoſuerit. Paulus Diaconus lib. XII, dum laudat Theodoſium, ſic de eo ſcribit: habuit a naturæ munere, quod Auguſtus a philoſophiæ Doctore. Ab Iuliano Imperatore in epiſtola ad Alexandrinos refertur, Auguſti amicum fuiſſe Arium, virum philoſophia clarum. Plutarchus in Antonio ſcribit, cauſſam aliquam veniæ, Alexandrinis ab Auguſto datæ, modo laudatum fuiſſe philoſophum. In Plutarchi Sympoſ. libr. VIII. & Athenæi libr. XIV. alius cuiusdam philoſophi Peripatetici, Nicolai fit mentio. Athenodoro, qui fuit Stoicæ ſectæ profeſſor, multum credidiſſe, eiusque conſiliis auſcultaſſe imperatorem, Suidas teſtatur. Qui neceſſitatem ma-

malam in bello ciuili perpendet, non mirabitur, quod Auguſtus, humaniſſimus alias imperator, Fauonium, Caſſii & Bruti ſocium pro libertate, in prælio Philippenſi captum iuſſerit interfici. Fuit is Stoicus, atque æmulus Catonis, ſi credimus Suet. in Auguſt. Val. Max. lib. II. Tacit. libr. VI. Annalium. Floruerunt ſub Auguſti imperio Athenæus, Xenarchus, Strabo & M. Manilius. De Athenæo e Seleucia Ciciliæ, viro in philoſophia Peripatetica claro, plura tradit Strabo lib. XIV. Probe hic diſcernendus ab doctiſſimo medico huius nominis apud Galenum, & ſophiſta Naucratica, qui librum Dipnoſophiſtarum ſub Antonino ſcripſit. Xenarchus præceptor Strabonis Geographi, Alexandriæ, Athenis, & tandem Romæ docuit, primum Arii, poſt Auguſti amicitia vſus eſt. Id quod Strabo libr. XIV. multis verbis expoſuit. Strabo, qui de Geographia, quæ pars eſt philoſophiæ, ſcripſit, præceptorem habuit Xenarchum Peripateticum, & cum Boëthio Sidonio in eadem Ariſtotelis philoſophia ſe exercuit, vt ipſe teſtatur lib. XIV. & XVI. Videtur autem, quamuis præceptorem Peripateticum habuerit, Stoicum fuiſſe, quia libr. XV. Zenonem ſuum vocat, & libr. I. aſſerit, ſidera exhalationibus nutriri, quod eſt proprium Stoicorum. Alibi memorat prouiden-

dentiam, quam Stoici, non autem Peripatetici agnoſcunt. Sideralis diſciplinæ libros ſcripſit M. Manilius, qui ſub Auguſto vixit, vt ex ipſius carminibus, ſtatim in principio, & alibi paſſim apparet.

XVII. Apud Tacitum Annal. VI. & Suet. in Tib. c. II. 14. 32. 56. legimus, quod Traſyllus, celebris genethliacus, Tiberio in inſula Rhodo verſanti primum familiaris factus ſit, & ipſius Tiberii præceptor fuerit. Vtrum Tiberius philoſophiæ, excepta ſiderali ſcientia, Rhodi multam dederit operam, an non, mihi certum non conſtat. De philoſophia Liuii Seneca Ep. c. med. quædam habet. Sub Caligula Canius Iulius, philoſophici roboris vir, mortis contemtor vixit, cuius mentionem facit Seneca de Tranqu. Anim. c. 14. med. Philonem Iudæum huc refert auctor noſter, quia legatione pro Hebræis ad Caium principem functus, aliquandiu Romæ fuit. Liberalibus quidem, & ſine dubio etiam philoſophiæ ſtudiis imperator Claudius optime eſt imbutus, teſte Suet. in vita eius c. 3. 40. &c. ſed deficiente eum natura, nihil profuerunt. De Annæo Cornuto Stoico, quem Nero in inſulam quandam relegavit, quod conatum ipſius in ſcribendo nollet approbare, vide Dionem in Nerone. Alexandrum Aegæum philoſophum Peripateticum,

cum, præceptorem Neronis Cæſaris, doctiſſimus Suidas memorat. De philoſophia Senecæ, qui, cum Nero iam vir eſſet, ab exilio reuocatus eſt, quædam proferre haud opus eſſe cenſeo, quia nemo de illa dubitare poteſt. Fabianum Papirium, præceptorem ſuum in philoſophia laudat Seneca Ep. C. & LVIII. Demetrii Cynici quaſdam ſententias ſcriptis ſuis inſeruit Seneca libr. VII. de Benef. c. 1. 9. & 11. Clarum Demetrii nomen reperitur etiam apud Philoſtr. libr. IV. in vita Apollonii, & Tacitum libr. XVI, vbi vna fit mentio Thraſeæ Pæti, qui doctrinæ Stoicorum addictus fuit. Eiusdem Neronis temporibus P. Egnatius Celer Stoicus, philoſophiam cæde maculauit; de qua ſic ſcribit Iuuen. Sat. III. *Stoicus occidit Baream, delator amicum, diſcipulumque ſenex.* Corruptos P. Egnatii Celeris mores Tacit. libr. XVI. in medium profert. Reſtant duo philoſophi, qui Neronis tempore floruerunt, quorum alter, Apollonius Tyaneus, Romam, teſte Polyb. libr. IV. venit; alter, Dionyſius Alexandrinus, Romæ floruit. Dionyſium hunc non ſimplicem fuiſſe Grammaticum, ſed philoſophum, Suidas in enarratione eius declarat. Fuit diſcipulus Chæremonis philoſophi, cui etiam Alexandriæ ſucceſſit.

§. XVIII.

§. XVIII. Non multi ſuperſunt Philoſophi, qui ante imperium Antonini Pii Romæ viguerunt, quos leuiter tranſibimus, ac tantummodo perſtringemus & attingemus. Helvidius Priſcus, inſignis quidem Stoicorum ſectator, at famæ aliquantum appetentior, a Nerone expulſus, ſub Galba rediit. Plura de eo inuenies apud Tacit. libr. IV. Hiſt. Plin. libr. IX. Ep. 13. Ioſephum, a Veſpaſiano Romam ductum, inter philoſophos refert Gaudentius variis de cauſſis, in primis quia ipſius libri philoſophica interdum præ ſe ferunt, & ipſe in vita ſua fatetur, ſe audiuiſſe Eſſæos, & addictum fuiſſe Phariſæorum placitis, quæ proxime ad Stoicorum ſectam accedunt. De Plinio, qui Tito fuit cariſſimus, præclare teſtatur hiſtoria, quam ſcripſit, naturalis. C. Muſonius, quem Tacit. libr. XIV. Annal. vocat Tuſci generis, in exilium iuſſu Neronis miſſus, Dion. Caſſ. libr. LXII. & Philoſtr. libr. VII. teſtibus, Nerone mortuo Romam rediit. Hoc notandum eſt contra Suidam, qui putat Muſonium a Nerone occiſum eſſe. Fuit hic equeſtris ordinis, Stoicamque philoſophiam eſt æmulatus, (Tacit. libr. III. Hiſt. Philoſtr. libr. IV. de vita Apollonii.) Aliquid ſaltem ex philoſophia percepiſſe Titum, oſtendit vita eius, de qua Suetonius, Caſſius & Philoſtratus

expoſuerunt. Quoniam vita Agricolæ, qui in adoleſcentia ſtudio philoſophiæ admodum fuit deditus, multis verbis a Tacito eſt conſcripta, ad eundem beneuolum lectorem nos remittimus. Haud bene de philoſophia Romanorum meritus eſt Domitianus, edicto iubens Roma exulare philoſophos. Occaſionem edicti, cuius mentionem facit Gell. libr. xv. in fine c. 11., narrat Suetonius in Dom. c. 10. Decianum, Dogmata Stoicorum approbantem, laudat Martial. libr. I. Epigr. 9. 40. & 62.

§. XIX. Succedit nunc Traianus imperator, de cuius amore in philoſophos Plinius Paneg. ita: *Quam*, ait, *dignitatem ſapientiæ doctoribus habes? ſub te ſpiritum, & ſanguinem, & patriam receperint ſtudia* &c. Traianus apud Iulianum in Cæſaribus alloquitur Deos his verbis: *reueritus ſum veſtram progeniem philoſophiam.* Suidas narrat, Dionem philoſophum valde a Traiano amatum, maximam ætatis partem apud eum Cæſarem exegiſſe. Nec Tacitum auctor noſter a numero philoſophorum excludit, quod in libris ſuis non ſolum hiſtoricum, ſed modo geographum, modo philoſophum ſe geſſerit. Videtur illi Stoicus fuiſſe, quia honorifice memoret Stoicos, & vi. Annalium quædam Stoicorum more diſputet. De Plutarchi

Chæ-

Digitized by Google

Chæronenſis philoſophia morali nemo eſt qui dubitet, niſi qui ſenſibus vti neſciat. Non autem in philoſophia morali tantum, vt vulgo putant, ſed etiam in naturali Platonica magni debet fieri Plutarchus, qui floruit ſub Traiano, & ab eo dignitate conſulari, vt Suidas habet, eſt ornatus. Multa ex Chryſippo, celebri eius ætatis Stoico, Plutarchum, & Galenum de Platonis & Hippocratis decretis allegare conſtat.

§. XX. Mirabiliter aucta eſt philoſophia, & omnis diſciplina apud Romanos, Hadriano imperante, qui ſummo ſciendi deſiderio flagrauit. Inter ceteros philoſophos apud eum Fauorinus eminuit, de quo vide Laërtium, Philoſtr. Dion. Spart. in Hadriano, Gell. libr. 11. c. 5. Male autem conſuluit imperator dignitati ſuæ, dum voluit videri omnes ſuperare, eamque ob cauſſam multos ſuſtulit, quod in arte quadam excellerent. Eximium Hadriani fauorem in philoſophos, qui Alexandriæ alebantur, deſcribit Philoſtratus in Dioniſio ſophiſta & de Polemone, nec non Spartianus, qui cum Dione Hadriani vitam accurate nobis expoſuit. Quod Hadrianus Euphradi philoſopho cicutam bibere conceſſerit, Dio libr. LXIX. refert. Claudat Gellius hanc partem enarrationis philoſophiæ apud Romanos.

Digitized by Google

Gellius Roma profectus, Athenas diligenter philoſophos audiuit, eorumque doctrinam ita percepit, vt in Noctibus ſuis Atticis nominatim potuerit illorũ dicta recenſere.

OBSERVATIO X.
DE LOCO EBREOR. X. 5.

SYNOPSIS.

Locus Hebr. X, 5. nondum ſatis explicatus eſt ab Interpretibus. §. I. Verba eius loci afferuntur. §. II. Cur plerique omnes Scripturæ Interpretes errent. §. III. Errores variorum Interpretum circa Hebr. X, 5. §. IV, V, VI, VII. Hypotheſes ad locum illum interpretandum afferuntur §. VIII. Hypotheſis prima declaratur & probatur. §. IX. Hypotheſis ſecunda declaratur §. X. Hypotheſis tertia declaratur §. XI. Quarta illuſtratur §. XII. Quinta §. XIII. Sexta §. XIV. Hypotheſium breuis applicatio, §. XV. Cur Meſſias loqui non putandus ſit, §. XVI. Vſus explicationis noſtræ in illuſtrandis locis aliis, §. XVII, Confirmantur vlterius & illuſtrantur hypotheſes præcipuæ anteà allatæ §. XVIII, XIX, XX, XXI, XXII. Vindicatur ab obiectione quadam tota obſeruatio, §. XXIII. Alia quædam additur coniectura de hoc loco epiſtola ad Hebræos feliciter interpretando. §. XXIV.

§. I.

Cvm nuper in obſcurum locum Hebr. X, 5. incidiſſem, nonnulloſque Interpretes eius inſpexiſſem, intellexi, eos fidenter quidem multa dicere, ſed non

non ſatis probare. Cœpi itaque manuſcriptas B. meditationes, queis ſibi Scripturam S. illuſtrare conatus eſt, perluſtrare. Viſus eſt mihi de vero loci ſenſu curatiſſime, ſingulariter & acute cogitaſſe. Non dubitaui igitur eius cogitata cum lectoribus curioſis communicare.

§. II. Quo autem verba eius facilius intelligantur, apponendum eſſe ipſum locum, de cuius ſenſu quæritur, cenſeo. Is hic eſt: *Ἀδύνατον γὰρ αἷμα ταύρων καὶ τράγων ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας·* ΔΙΟ͂ ΕἸΣΕΡΧΌΜΕΝΟΣ ΕἸΣ ΤῸΝ ΚΌΣΜΟΝ ΛΈΓΕΙ· *Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι.* Nunc meditationem B. incorruptam, paucis ſaltem a me perpolitis & additis, ponam.

§. III. Poſtquam, inquit, præiudicatas opiniones amare deſii, & veritati ſtudere malui, nunquam committendum mihi eſſe arbitratus ſum, vt eos porro ſequerer, qui cum Scripturam S. ſe interpretaturos profitentur, ex ea tamen non Spiritus S. ſententiam, ſed ſuam exquirere ſtudent. QVOD PLERIQVE OMNES FACIVNT INTERPRETES. Quoniam enim ad certam vitæ opinionisve ſectam tanquam tempeſtate delati adhæreſcunt, nihil omittunt earum rerum, quæ ad iſtam conſtabiliendam quomo-

docunque pertineant. Sic Alchemiſtæ lapidem philoſophicum vbiuis inueniunt; Carteſiani fictitios magiſtri ſui vortices in Moſe, alii alia. Ita ſcilicet ingenium hominum eſt, admirabilitatem & habere & facere cupiunt, ideo nihil intentatum relinquunt, quo eam conſequantur. Et quia norunt, facile *prædicata* quædam a cetero orationis corpore reſciſſa ad *ſubiecta* quælibet, & tanto quidem mirabilius quanto abſurdius, accommodari poſſe, hinc fit, vt omnes libri huiusmodi explicationum pleni ſint.

§. IV. Exempla eius generis copioſe ſuppeditant Interpretes verſus V. huius capitis. Namque Socinus in eo inuenit commentitiam illam ſuam Chriſti itionem in mundum futurum. Quamquidem ſententiam a me hic refutari neceſſe non eſt, cum a veritate ipſa dudum explodatur ac euertatur.

§. V. Alii incarnationem filii Dei hinc exſculpere allaborant. Etiam fruſtra. An enim *ingredi in mundum* ſtatim eſt *humanam naturam cum diuina coniungere.* Quid eſt fingere quidlibet ex quolibet, ſi hoc non eſt? Imo, etſi verba illa hanc ſententiam haberent, tamen adhuc alieniſſima foret hæc coniectura. Loquitur enim diuinus Scriptor de ſacrificiis; at num incarnatio etiam Sacrificium eſt? Eſſet fortaſſe quadantenus pro-

probabilis coniectura horum Interpretum, ſi LXX. verſio, quæ hic allegatur, veritati Hebraicæ conſentanea eſſet. At quum ea conſentanea non ſit, veniam a nobis, non aſſenſionem poſtulare poſſunt iſti Interpretes.

§. VI. Nec audiendi ſunt, ſi qui dicant, ita late patere vocem iſtam *ingreſſus* εἰσερχόμενος, vt etiam ea tempora quæ natiuitatem Chriſti inſecuta ſunt, complectatur. Fruſtra enim Meſſias hic loqui, affirmatur. Nimis dura hæc ellipſis foret. Dauidis ſunt verba illa, Dauidi illibata maneant, oportet.

§. VII. Non eſt operæ prætium ceteras interpretum opiniones commemorare. Poſſum enim confirmare, eas aut temerarias, aut ſubtiles, alienas certe eſſe.

§. VIII. Ego pro ſimplicitate mea, ſimplicitati ſtudeo. Itaq; vt etiam hunc locum ſimpliciter explicare videar, pono I. Autorem epiſtolæ noſtræ non tam pure, proprie ac luculenter vbiuis loqui, vt eruditis lectoribus nihil cogitandum illuſtrandumque reliquerit. II. epiſtolam noſtram aut Hebraice primum ſcriptam fuiſſe, aut certe ab homine Hebræo, quisquis tandem eſt. III. Hebræos, ſeu potius Helleniſtas, ſæpe vocabulis linguæ peregrinæ easdem ſignificationes ſubiicere, quascunque vocabula linguæ He-

brææ habent. IV. *Nomina* a *Verbis* deriuata habere poſſe, & reuera ex intentione ſcriptoris ſæpe habere, omnes eas ſignificationes, quascunque *Verba* habeant. V. Iſtas ſignificationes alias aliis obſcuriores ignotioresque eſſe; & hanc ob cauſam ipſa illa *nomina* lectorem paulo imprudentiorem ſæpe fallere; quia facile fit, vt ſignificatio notior & vſitatior mentis aciem præſtringat, ignotior & auctoris propria prorſus lateat, veluti tenebris quibusdam inuoluta. VI. denique Hebræos & Helleniſtas frequenter omittere nomen perſonæ, quæ aliquid egiſſe dicitur. Has equidem hypotheſes tam puto eſſe claras, vt nemo lector Scripturæ Sacræ eas aut negare aut in dubium vocare queat. Ne tamen quisquam obſcuri quid iis ſubeſſe opinetur, ſingulas & rationibus &, cum fieri poteſt, exemplis illuſtrabo. Docere enim cupio, non decipere.

§. IX. Quod primo loco poſui momentum, illud probatione non eget. Sua quemque experientia eius veritatem docere poteſt. Neque etiam aliunde tot Interpretum diſſenſiones ortæ ſunt, aut oriri potuerunt.

§. X. De ſecundo res etiam ſatis expedita eſt, niſi ignorantia ac ſtupiditas ea adhuc defenderet, quæ arrogantia & malitia ad quæ-

quæſtionem obſcurandam olim excogitauit. Nolumus nunc eam hic nobis ad diſputandum proponere, prolixi enim eſſe nolumus. Noſtra ad rem propoſitam nihil intereſt, vtrum Hebraice, an ab Hebræo Græco, ſcripta ſit epiſtola. Dummodo hoc maneat, quod negari non poteſt, alterutrum verum eſſe. Alterutrum autem verum eſſe, vel ex magna illa Hebraiſmorum copia patet. Quodſi vero prius verum eſt, negabimus Interpretem Græcum, quem hodie legimus, vocem illam Hebræam, quam κόσμος vertit, intellexiſſe, vel certe vocabulo incongruo ad eam exprimendam vſum fuiſſe. Sin poſterius hoc verius eſt, afferemus cauſam, ob quam ad mentis ſuæ ideam explanandam voce κόσμος vſus ſit diuinus Scriptor.

§. XI. Nempe, vt ad III. hypotheſin deveniam, puritati linguæ non admodum ſtudebant Helleniſtæ, neque enim illius in diuina ſapientia docenda, magnus aut ſingularis vſus erat. Quin potius admiſtione vocum, conſtructionumque Hebraicarum Græci ad Hebræam linguam diſcendam inuitari debebant, propter eximiam illam & vere diuinam ſapientiam ſcripturæ veteris Fœderis, quæ ſine intelligentia linguæ Hebreæ perdiſci non poteſt. Hinc eſt vox τετραχηλισμένος pro ἀπο-

κεκαλυμμένος Hebr. IV, 13. Quia enim Hebraicum ערוף *notus*, *apertus* deriuatur ab ערף *collo cutem deglupſit* * (vide forte apud Arabes adhuc *totondit iubam* ſignificat) ideo Scriptor diuiniſſimus putauit, recte ſe a Græco *τραχηλίζω* deriuare poſſe vocem, quæ Hebraico ſuo ערוף *apertus*, *retectus* reſponderet, idemque cum eo ſignificaret. Hinc eſt Ἔκβασις τῆς ἀναστροφῆς pro eo quod dicendum erat ἀρετὴ τελειοτάτη, βίος ἄμωμος, *virtus conſummatiſſima* Hebr. XIII. 7. Ita enim reddi hanc phraſin debere, ſatis ex Syro patet. Hinc eſt ἐπληρώθη pro *accommodate*, *expreſſe*, *aptiſſime dictum eſt* Iacob. II. 23. quia שלם *accommodatiſſimus*, *indubitate aptus & congruus fuit*, ſignificabat eo tempore, quo Iacobus florebat. Mitto cetera, quæ infinita ſunt, & ab aliis pridem copioſe diſputata. Hic illa eo diſputanda fuerunt, vtne deinde, cum de vocis *κόσμος* genuina ſignificatione dicam, contra Criticorum regulam peccaſſe videar, qua monetur, ne quid ſine auctoritate & ſimilitudine aliorum locorum eiusdem ſcripti ſtatuatur.

§. XII. Quartum etiam momentum plane nullam dubitationem habet. Latini certe

* *Vid. Meſtrez at dans ſes ſermons choiſis ſur l'epitre aus Hebreus*, ad h. l.

Digitized by Google

te ſine vlla dubitatione à *Verbis* πολυδήμοις *nomina* πολύσημα deriuarunt. V.C. a *Verbo intendere* ſignificante 1 idem quod *adſtringere*, *extendere* 2. *velle*, *ſpectare aliquid*, 3 *deſtinare & efficiendum quid curare*, deſcendit *nomen intentio*, quod ſignificat 1 *extenſionem* v.g. *Intenſio arcus*. 2. *reſpectum*, *voluntatem*, *ſcopum* v.g. in illo Plinii * *Hæc nempe intentio tua*, *vt libertatem reuoces & reducas*. 3. *Curam*, *ſolicitudinem* v.g. in alio Plinii; ** *Intentione rei familiaris obeundæ crebris excurſionibus auocaris*. Germani ſimiliter, ac Latini, faciunt. Ita a voce heilen deſcendit Heiland i.e. *Seruator*, & Heiland i.e. *medicus*, qui ſignificatus eſt in illo: Drum ô Heyland meiner Wunden ꝛc. Poſſumus etiam v.g. a *Verbo* Anſprechen deriuare nomen Anſpruch/ quod & *petitionem* & *appellationem* eine freundliche Anrede ſignificet. *Verbum* enim Anſprechen & *appellare* & *rogare* eſt. Aſt, inquis, vulgo non dicere ſolemus dein Anſpruch iſt mir lieb / *grata mibi eſt appellatio tua*, etſi recte & frequenter dicamus es iſt mir lieb/ daß er mich auch angeſprochen/ *quod & me appellaſti*, *gratum eſt*. Recte vero: hoc volo. Namque hoc ago, hoc pugno, vt paulo inuſitatius loquutus videatur diuinus Scriptor. Nempe puto eius menti

* Panegyr. Traian. cap. LXXVIII.

** Libr. I. Epiſt. 3.

ti tum, cum hæc ſcriberet, obuerſatam eſſe vocem Hebraicam עלם, quæ quia *abſcondere, occultare* ſignificat, ideo *nomen* hinc formauit, quod *abſtruſam rem, ſecretum* deſignet. Quoniam autem idem *nomen* vſitate *mundum* ſignificat, ideo, putauit, Græcum quoque κόσμος vtramque illam ſignificationem habere; Vides autem, mi lector, me nunc ponere, quaſi Epiſtola noſtra Græce ab Hebræo homine ſcripta ſit. Si enim ponamus, Hebraice eam primum ſcriptam fuiſſe (quod indubitatis & inuictis argumentis probari poteſt) Auctor quidem epiſtolæ recte locutus, ſed ab Interprete Græco minus recte intellectus eſt. Interpres Græcus norat עלם ſignificare κόσμον, *mundum*, ſtatim igitur, ſine vlla hæſitatione & accurata Autoris ſui conſideratione, notum illum *nominis* עלם ſignificatum arripuit, de ignotiori non cogitauit.

§. XIII. Atque ita prælibauimus iam id, quod quinto loco nos expoſituros, declaraturosque, promiſeramus: Sæpiſſime, nempe lectores decipi, cum ignotiores & inuſitatiores vocum ſignificatus a notioribus & vſitatis internoſcere non laborant. Liuius egregie deceptus eſt, dum hoc facere obliuiſcebatur. Cum enim in Annalibus legiſſet: *Claſſi-*

Claſſibus ad Fidenas pugnatum, ſtatim *naues* voce *Claſſibus* denotari credidit, non ſolicitus de altera eius vocis ſignificatione, quæ eſt *copiæ equeſtres, equitum turmæ*. Hinc ineptum hominis iudicium: * *Claſſibus quoque ad Fidenas pugnatum cum Veientibus, quidem annales retulere: rem æque difficilem atque incredibilem; nec nunc lato ſatis ad hoc amne; & tum aliquanto, vt a veteribus accepimus, arctiore &c.* Exempla alia conuehere, ſuperuacuum eſt, in re clariſſima & certiſſima.

§. XIV. Reſtat vnicum, ſed omnium probatiſſimum momentum, Hebræos & Helleniſtas *actiones* narrare, *agentes* non memorare. Exempla habes in II. Sam. XVI, 23. vbi diuinus Scriptor ita loquitur: *Et conſilium Achitophelis, quod conſulebat in diebus illis ſicut* ROGAT *de verbo Dei*; hoc eſt, Conſilium Achitophelis ea tempeſtate oraculis diuinis æquiparabatur. Similis locus extat Geneſ. XLVIII, 1. *Et factum eſt, poſt eas res, & DIXIT Ioſepho: ecce Pater tuus ægrotans eſt*, h. e. Poſtmodum contigit, vt Ioſepho afflicta parentis valetudo denunciaretur. * Paulus pro ſummo ſuo ſtilum V. F. imitandi ſtudio ſimiliter loquitur Rom. XV, 9. 10. καθὼς γέγραπται. Διὰ τοῦτο ἐξομολογήσομαί σοι ἐν

* *Libr. IV. cap. 34. p. m. 385. edit. Chronov.*
* *Add. Eſ. LXV. 8.*

ἐν ἔθνεσι, καὶ τῷ ὀνόματί σου ψαλῶ. Καὶ πάλιν ΛΕΓΕΙ. Εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, *Sicut ſcriptum eſt : propterea collaudabo Te in gentibus nomenque Tuum concelebrabo. Et iterum DICIT* (Propheta Dauid) *Lætamini gentes cum proprio eius populo &c.* Vbi nota, verbo ἐξομολογεῖσθαι Paulum vti perinde, ac Hebræi voce הודה quæ & *celebrare & confiteri* ſignificat. Etſi vero Græca vox apud probatos Auctores non ſignificet *celebrare, collaudare*, tamen Paulus, reſpectu vocis Hebraicæ הודה; ita loquitur, ſpreta omni magiſtellorum cenſura, quæ omnes probos viros vexat.

§. XV. Age nunc, quæ ſparſim dicta ſunt, in vnam ſummam conferamus. Diximus *κόσμον* eſſe Hebraicum עלם & ſignificare *rem abſtruſam, incognitam, ſecretam.* Diximus perſonam, quæ *λέγει dicit*, omiſſam eſſe conſulto & ex more. Reſultat hinc hæc oratio: *Quare ingrediens in ſecretum, ait Dauid &c.* Facile patet vocem *ingrediens* metaphoricam eſſe, atque per *Secretum* intelligi *ſublimiorem ſapientiam, ignotiorem præſtantioremque philoſophiam.* Sententia igitur hæc eſt: *Idcirco etiam Dauid, cum occultiori illi ſapientiæ ſtudet*, ſeu, *cum in ignotioris philoſophiæ adyta penetrat, ait : &c.*

§. XVI. Meliorne cohærentia, commodior-

diorque ſenſus vllus ſit, valde dubito. Equidem ſi meliorem inueniſſem, lubenter meditatione hac caruiſſem. At, fateor, duriſſimas illas ellipſes concoquere nunquam potui. Neque vnquam vllus Scriptor tam dure loquatur, quam nonnulli Scripturæ interpretes Spiritum S. loqui putent. Quin imo ſacrilegum eſt, ſcripturæ tam ineptam locutionem tribuere, in quo nihil cohæreat, nihil ſani inſit.

§. XVII. Ceterum hæc noſtra interpretatio multum lucis affundit aliis Scripturæ locis, præſertim Hebr. I. 6. qui rurſus ex noſtra hypotheſi egregie explicari poteſt. Forſitan & Jacobi II, 5. κόσμος ἀδικίας idem eſt cum Pauli μυστηρίῳ τῆς ἀδικίας. Sed hæc ſi pauli alieniora videantur, pace noſtra poteris deſerere.

§. XVIII. Hactenus B. Qui ſi lectoribus cordatis ſententiam ſuam probat, bene vtique tempus poſuit. Ego vnum ſaltem exemplum addam, quo Princeps Eius hypotheſis illuſtrari fortaſſe poteſt. Novimus verbum *Petere* idem eſſe ac *rogare*. 2. *ferire, percutere*. 3. *aliquo proficiſci*. Nouimus item nomen *Petitionis*, quod a verbo illo deriuatur, idem eſſe ac *preces*. Sed illud fortaſſis merito dubitatur, an a ſecunda verbi illius ſignificatione deriuari queat nomen, quod

quod idem ſit ac *ictus*, der Streich. Verum dubitare nos non ſinit egregius locus Ciceronis *Catilin. I. Quoties me Conſulem interficere conatus es? quot ego tuas PETITIONES ita coniectas, vt vitari poſſe non viderentur, parua quadam declinatione, & , vt aiunt, corpore effugi.* Poſſunt ſimiles loci, in quibus inuſitatiores vocum quarundem ſignificationes ſunt, inter legendum complures annotari. Quid igitur mirum eſt, Auctorem epiſtolæ noſtræ voci עלם ſignificationem tribuiſſe, ſibi quidem notiſſimam, ſed nobis ignotam & aliis ſcriptoribus inuſitatam. Vtinam obſeruaremus ſermonem noſtrum, quo quotidie vtimur: intelligeremus profecto maximum vſum huius regulæ, quam B. commendat.

§. XIX. Illud etiam præclare obſeruatum eſt, non ſubintelligendum h. l. eſſe *Chriſtum* aut *Meſſiam*. Quod inde quoque patet, quia alioqui Hebr. I, 6. ſubintelligendus eſſet *Deus pater*, cum tamen ex tota orationis ſerie clarum ſit, Prophetarum teſtimonia a Paulo allegari, non ipſum Deum Patrem loquentem induci.

§. XX. Sed hæc interpretandi ratio illis ſolum ſatisfaciet, qui Epiſtolam ad Hebræos Hebraice ſcriptam fuiſſe putabunt: Iſtos contra, qui Græce ſcriptam fuiſſe credent, haud dubie offendet. Sed offenſionis culpa non

non in B. eſt, ſed in ipſis illis, qui ſe offenſos dicent. Si enim ſcirent, Paulum diu Hieroſolymis vixiſſe, & Hebraicæ linguæ aſſuetum Græce ſcripſiſſe, adeoque facile Græcis vocibus Hebraicos ſignificatus aſſignare potuiſſe, nequaquam offenderentur. Ii ſcriptores Germani, qui Latinæ quam vernaculæ aſſuetiores fuerunt, ſæpiſſime vocabulis germanicis latinarum vocum ſignificationes attribuerunt. Sic Sebaſtianus Franck/ von Wörd/ inter primos rerum germanicarum germanicos Scriptores multum & ſæpe vocibus Germanicis ſignificatus Latinos aſſignauit. Speciminis cauſa afferam titulum eius libri: Chronica des gantzen Teutſchen Lands/ aller Teutſchen Völcker Herkommen/ Namen/ Händeln/ guten und böſen Thaten/ Reden/ Räthen/ Kriegen/ Sigen/ Niderlagen/ Stifftungen/ Veränderungen der Sitze/ Reich/ Länder/ Religion/ Geſetze/ Policey/ Spraach/ Völcker und Sitten/ vor und nach Chriſti Geburth/ von Noe biß auf Carolum 5. Ankunfft und Stifftung der Reich/ Biſtumb/ Fürſtenthumb/ Herrſchafften/ Stätt/ Clöſter und Stifft. Genealogia und Geſchlecht Regiſter der Potentaten und Thurniersgnoßen. Wie vil Länder und Völcker Germania begreiff/ und

wie weit jre Grentzen erſtrecke / wie offt ſie in ander Länder jre Sitz verruckt / wie viel Königreich beſetzt / und wie vil Völcker von jn usgangen / herkommen. Auch von der Teutſchen uralten / alten und neuen Sitten / Bräuchen und Pollecy. Item von Teutſcher Nation Geſchwellen / Gelegenheit / Fruchtparkeit und Eygenſchafft. Aus glaubwirdigen angenommen / Geſchichtſchreibern / zůruck diß Blats verzeichenet zuſammen getragen / und die Teutſchen den Teutſchen zu Teutſch / ſich ſelbſt darinn / als in einen Spiegel zu erſehen / fürgeſtelt. Durch Sebaſtian Francken / von Wörd. Prolixior eſt titulus: Sed integrum exhiberi iuſſit ſcopus noſter. Ex hoc ipſo titulo enim præcipue tres phraſes annoto, luculenta Latiniſmi veſtigia habentes. Prima eſt von Teutſcher Nation Geſchwellen. Quid ſignificat vox Geſchwellen? nihil profecto aliud, quam Latina vox *Limites* i. e. *termini*, Gräntzen / Gräntz-Scheidungen. Et certe nemo quidem hodie eſt, qui in hac ſignificatione hanc vocem vſurpet. Franckius tamen, quia vox Latina *Limites* terminos regionis ſignificat, eundem ſignicatum voci Germanicæ (iam quidem inuſitatiori) ſubiecit. Secunda eſt: zůruck diß Blats: Quid quæſo eſt zůruck diß Blats. Nemo Germanus hodie ita lo-

loquitur, nemo ita loquentem facile intelligat. Hoc vult Autor: *a tergo huius folii conſignati ſunt Hiſtorici, vnde mea ſumſi*, Tertia eſt; aus glaubwirdigen angenommen Geſchichtſchreibern. Annemen hic idem debet ſignificare, quod Latinorum *ſumere*, quod nonnunquam a Germanis vertendum eſt annehmen v. g. *Superintendens munus ſumſit*, er hat das Geſchenck angenommen. Verum nos nunc ſolemus dicere aus glaubwürdigen Geſchichtſchreibern genommen.

§. XXI. Poſſem infinita exempla ſimilia ex aliis eiusdem ætatis ſcriptoribus afferre: ſed ea nunc enumerare nolo. Illud tantum dico, neminem poſſe intelligere Lutheri verſionem N. T. germanicam, niſi ad hoc Palladium confugiat. Quid enim eſt, und züchtiget uns / daß wir ſollen gerecht und gottſeelig leben in dieſer Welt.

§. XXII. At, inquient iidem illi, contra quos hæc diſputo: Ita fiet, vt corruptus videatur eſſe ſtilus Pauli. Ego vero rogo, quid velint ſibi voce *Corruptus?* Verbum quidem & ſonum quendam audio, ſoni ſignificationem nullam video. Ecquis vero locutiones Ciceronis æuo vſitatas *corruptas* vocat? nemo ſane. Aſt annon pleræque ex Græca loquendi conſuetudine deſumtæ ſunt? Quanta eſt linguæ Latinæ cum Græca con-

venientia! quot ſignificationes vocum Latinarum aurei ſeculi ad imitationem Græcarum inuentæ ſunt! Sed profecto nemo, niſi ſtultiſſimus, eam ob cauſam Linguam Latinam aurei ſeculi corruptam eſſe dicit.

§. XXIII. Faceſſant ergo hinc omnes illi, qui vocabulis obſcuris ac plane inanibus inuidiam creare conantur veritati. Veritas humano generi ſacroſancta eſſe debet: at improbitas ſemper vocabulis inuiſis, licet obſcuris ac nihil ſignificantibus, impedire conata eſt veritatem.

§. XXIV. Illud adhuc addo, quod de huius eiusdem loci interpretatione ex viro doctiſſimo me audire memini, quum Amſtelodamo in Angliam vna naui vterque veheremur. Cœperamus de vſu Critices in N. T. loqui, quem ego perexiguum eſſe illo tempore putabam. Verum ab ea ſententia comes ille meus me variis argumentis detrudere conabatur. Inter ceteros locos, quibus manum criticam adhiberi poſſe & debere putabat, numerabat eundem hunc, quem B. modo explicuit. Statuebat enim Paulum inter ſcribendum cogitaſſe de Pſalm. LXXIII, 16. 17. *Et ſtudui cognoſcere rem illam, at nimis illa ardua videbatur, donec* I-BAM IN SANCTITATES DEI & *attendebam eorum* hominum *exitum:* Et ideo ſcripſiſſe:

Digitized by Google

pſiſſe: Διὸ εἰσερχόμενος εἰς ΤΟ ΟΣΙΟΝ, quod cum non intellexiſſet librarius, factum eſſe ex ΤΟ ΟΣΙΟΝ, εἰς ΤΟΝ ΚΟΣΜΟΝ. Quæ ſententia nihil habet impii, nihil a ſtilo Paulino alieni; vtpote qui alluſionum pleniſſimus eſt. Et ſane ſi curate res omnis examinetur, videbitur ſatis eſſe accommodata. Nam Dauid negat ſe rationem inuenire potuiſſe, quamobrem impii homines florerent, quoad eam ex dictamine rationis quæſiuerat: at, cum ſublimiori ſapientia duce vſus eſſet, facile cauſas eius rei intellexiſſe ſe profitetur. Eodem modo diuinus Epiſtolæ noſtræ Auctor negat ſe videre vllam rationem, propter quam ſanguine hircorum aut vitulorum expiari queant peccata, negatque a Dauide eam ex lumine rationis cognoſci potuiſſe, ſed potius ex inſtinctu diuini Spiritus intellectam fuiſſe ait. Quæ aſſertio quanquam & pia eſt & veritati cumprimis conſentanea: tamen B. melius conieciſſe videtur. Dei gloria perennet! Amen.

Digitized by Google

OBSERVATIO XI.

EMENDATIO LOCI CVIUSDAM CICERONIANI ET LIVIANI.

SYNOPSIS.

§. I. *Critica commendatur.* §. *II. Critica cultor B.* §. *III. Ciceronis locus quidam corruptus a librariis.* §. *IV. id quod demonſtratur inde, quia nullum ſenſum fundit.* §. *V. Emendatio illius loci corrupti.* §. *VI. Concluditur, & Liuii locus quidam incorruptus vindicatur.*

§. I.

CVm magna pars ſapientiæ humanæ ex veteribus Scriptoribus Græcis & Romanis peti poſſit, ii profecto optime collocant ſuum tempus, qui illos diligenter emendant, quo facilius intelligantur.

§. II. Intellexit illud, ſi quis alius, B...., qui nobis multos libros ſua manu emendatos reliquit. Vnde facile colligere poſſumus, ab eo Criticam artem magni æſtimatam fuiſſe. Quam feliciter autem in ea verſatus ſit, vno nunc ſpecimine demonſtrabo.

§. III.

§. III. Omnes, quas equidem conſului, editiones Officiorum Ciceronis (conſului autem plurimas, quas hic memorari nihil refert) in libro I. locum habent perobſcurum & haud dubie a librariis corruptum, qui ſic ſe habet: *Omnis de Officio duplex eſt quæſtio. Vnum genus eſt, quod pertinet ad FINEM bonorum: alterum, quod poſitum eſt in præceptis, quibus in omnes partes vſus vitæ confirmari poſſit. Superioris generis huiusmodi exempla ſunt: omniane officia perfecta ſint: num quod officium aliud alio maius ſit: & quæ ſunt generis eiusdem. Quorum autem officiorum præcepta traduntur, ea, quanquam pertinent ad FINEM bonorum, tamen id minus apparet, quia magis ad inſtitutionem vitæ communis ſpectare videntur: de quibus eſt nobis his libris explicandum.*

§. IV. Hic mihi quæſo dicat Latinæ linguæ peritus, quid ſonent verba illa: *Pertinent ad finem bonorum.* An voce *Bonorum* intelliguntur *homines boni*, vt in illo:* *Quo in diſcrimine, cum mirifica Senatus, incredibilis Italiæ totius, ſingularis* bonorum *omnium conſenſio in me tuendo extitiſſet:* an vero *res bonæ*, vti in titulo libri *de finibus bonorum & malorum.* Deinde vox *Finis* ſignificatne ſcopum, an conſummationem & exitum rei, an quid aliud

S 4

* Cic. *Libr. II. epiſt.* 13. *Famil. pro Ordin. Siberian.*

aliud. Vereor, ne ſint in lectione Ciceronis parum exercitati, qui opinabuntur, voce *Finis* hic deſignari *ſcopum;* poſterioribus temporibus illa deberi videtur ſignificatio, Ciceronis æuo ignota fuit. Alter vero ſignificatus vocis *Finis* Ciceroni valde familiaris & vſitatus eſt, vti vel ex libris, quos *de Finibus bonorum & malorum* ſcripſit, apparet. Nihil enim aliud ſignificat ille libri titulus, quam ibi diſputari de ſummo vel extremo bono & malo. Nam ipſe Torquatus Epicureus, qui ibi diſputat, cum ſtatum, controuerſiæ, vt vocant, format, *Quærimus igitur*, inquit, *quid ſit extremum, quid vltimum bonorum, quod omnium philoſophorum, ſententia tale debet eſſe, vt ad id omnia referre oporteat: ipſum autem nusquam.* Et paulo poſt: *Quoniam autem id eſt vel ſummum bonum, vel vltimum, vel extremum, quod Græci* τέλος *nominant, quod ipſum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes: fatendum eſt, ſummum eſſe bonum iucunde vivere.* Iam quoquo modo conſideres harum duarum vocum ſignificationes, tamen nihil recte ſanique emerget. Si eandem h. l. eſſe putes earum ſignificationem, quæ in libris *de finibus* eſt: ego certe non video, cur officia, de quibus præcepta traduntur, non pertineant manifeſto ad *finem bonorum,* & cur quæſtiones il-

læ:

læ: *An omnia officia perfecta ſint? num officium aliud alio maius ſit?* non diſputari queant, tum, cum de præceptis tradendis agitur. Item quare in præceptis poſita non ſint, quæ pertinent ad finem bonorum: & cur ea, quæ ad finem bonorum pertinent, ita comparata ſint, vt iis in omnes partes vſus vitæ confirmari non poſſit. Mille alia abſurda ſapientiſſimum ſermonem Ciceronis comitantur, ſi lectio vulgaris vera eſſet.

§. V. Verum ſi pro voce *Finis* legas vocem *fidei*, ſana, recta, conſentanea, accommodata erunt omnia. Vtique enim officia, quæ nullis in republica legibus ſanciuntur & impune contemnuntur, ad *bonorum* virorum *fidem* pertinent. Et iſta officia bonorum, virorum quæ κατ' ἐξοχὴν talia ſunt, nullis legibus præcipi & iniungi hominibus poſſunt. Id quod ex Iuris Naturalis præceptis Pufendorfianis abunde conſtat: etſi ibi præcipue de iis officiis agatur, quibus ſocietas hominum continetur.

§. VI. Atque ita ſpero, hunc locum Ciceronis multo rectius emendatum eſſe, quam a Viro quodam doctiſſimo locus quidam Livii.* *Date frenos impotenti naturæ & indomito animali, & ſperate ipſos modum licentiæ facturos, niſi vos faciatis.* Eſt enim ſatis ſanus & incor-

 ruptus

* *Libr. XXXIV. c. 2.*

ruptus, dummodo meminerimus *dare frenos* idem eſſe ac *laxare frenos*. Ille vero, qui Criticas ei loco manus attulit, fortaſſe *dare frenos* putauit eſſe idem, quod *premere habenas*. Cum tamen valde vſitatum ſit Latinis, vt *dare* ſignificet rem quampiam *proiicere*. Id quod, ni fallor, vult Virgilius, cum ſcribit:

Ferte citò flammas, date tela, impellite remos.

OBSERVATIO XII.

De

METALLORVM EMENDATIONE MODICO FRVCTV PROFVTVRA.

SYNOPSIS.

§. I. I*Nuentiones quædam Chinæ cum Europæ communes.* §. *II. Nec tamen ab hac ad illam:* §. *III. Veriſimilius aliquæ ab illa ad hanc tranſlatæ.* §. *IV. Præcipuæ harum transmutatio metallorum & vita longa per artem.* §. *V. Paucis aliis gentibus agnita:* §. *VI. Europæis quoque ſerius:* §. *VII. Sed certius:* §. *VIII. Maxime a Paracelſi temporibus.* §. *IX. Pertinax huius ſpei propagatio;* §. *X. Quæ duplex.* §. *XI. Locupletiſſi-*

Digitized by Google

tiſſima. §. *XII. Et moderatior* §. *XIII. Imo ex hac tandem frugalis.* §. *XIV. Cui natura fauere videtur.* §. *XV. Propoſitio Becheriana de locuplete ſumma capitalis fructu.* §. *XVI. Non in animos admiſſa.* §. *XVII. Et tamen non penitus contemnenda.* §. *XVIII. Variis modis licet vno fundamento tentanda.* §. *XIX. Sed priuatorum magis, quam Magnatum votis, apta.* §. *XX. Et quamobrem.* §. *XXI. Cautiones irritæ.* §. *XXII. Exemplum computi priuato fructuoſi.* §. *XXIII. Rem mereri ſolidius examen,* §. *XXIV. Eoque reſpondente, Praxin.*

§. I.

INter alia veſtigia antiqui commercii, quod populis *Europæis* & Citerioribus *Aſiaticis*, cum *Seribus* antiquorum, moderna appellatione *Chinenſibus*, interceſſiſſe apparet, non vltimo loco forte numerari debet aliqua pars *Medicinæ* illorum; Quæ partim *caloris natiui* & *humidi radicalis* conceptibus ſuperſtructa: Partim *Herophiliana pulſuum* micrologiæ conformata videtur. At vero, ſicuti impoſſibile non eſt, eiusmodi ſpeculationes, hiſce populis etiam ex propria phantaſia ſubnatas eſſe; Tanquam communi omnium eiusmodi opinionum fonte: Adeo, vt non æque neceſſarium videatur, ortum harum rerum *Europæis* noſtris, aut ſecundum quosdam

dam *Ægyptiis*, ita vindicare, vt ab his demum ad illos dimanauerint: Ita videtur certe, argumentum, etiam ex aliis eiusmodi artificiis, ſpeculationibus, & inuentionibus illorum populorum peti poſſe, quod talia commenta apud illos forte priores, pariter formata ſint: Aut ad minimum, a quibus ad alios dimanauerint, non æque veriſimiliter concludi, quin ne coniici quidem poſſe.

§. II. Argumenta vero præcipua, non a populis *citerioribus* ad *Chinenſes* transportatorum talium ſtudiorum aut Inuentorum, præbere poſſunt illa inſignia apud nos ſerius inventa, at iam a pluribus ſeculis illi genti familiaria artificia, *impreſſionis graphicæ*, & *pulueris pyrii*; Quin imo ipſius etiam *chartæ*.

§. III. Certe vero, ſi hic loci coniecturis, proferendis atque colorandis indulgere liceret, maiore fortaſſis veriſimilitudine ſuſpicari fas eſſet, ab iſtis gentibus & in *Aſiam* citeriorem, & in *Europam* translata fuiſſe *chartæ* ad minimum imitamina; Vel *occaſionem* ad minimum tali imitationi præbuiſſe *chartas* e *Serum* regione huc aliquando translatas, & ab aliquo curioſiore ſagacius examinatas. Poſſent hoc veriſimile reddere, non ſolum valde antiquæ continuationes commerciorum, quibus *Arabes*, *Perſæ* atque *Parthi*, imo *Indi* intra & extra Gangem, ex iſtis vſque mundi

di

di extremitatibus ſemper aliqua ad Europæos vſque exportauerunt: Licet ſummo ſtudio iam pridem diſſimulatis locis atque modis, vnde illa mercimonia peti aut oriri ſolerent: Adeo vt iam ipſius *Herodoti* tempore mercatores *Arabes*, de *auri* æque, atque *aromatum*, cum ſummo periculo inſtituendis collectionibus, amplam mentiendi licentiam ſibi ſumſerint: Sed poſſet etiam his opinionibus ſuffragari illud, quod iam a multis retro ſeculis, excurſiones *religioſorum*, in diſſita quoque terrarum loca inſtitutæ, aliqua ex illis ad nos exportauerint: Cuius rei exemplum præbet *ſeminium* ipſorum *Serici* Autorum *Bombycum*, quod *Monachi* duo ex intimioribus orientis penetralibus ſecum translatum, *Iuſtiniano* Imperatori primo exhibuiſſe, memorantur.

§. IV. Sed non fert noſtra intentio talibus prolixius inſiſtere: Sed ex illis hoc tantum pro noſtro præſente ſcopo allegare, Quod *Chinenſes*, conſtanti noſtratium, de illis aliqua commemorantium, relatione, dicatur *duplicis* artificii non ſolum auidiſſimi, ſed etiam ſtudioſiſſimi exiſtere, nempe *Transmutationes metallorum* viliorum in perfectiſſima; Et *Vitæ* per Medicum aut Pharmaceuticum aliquod ſubſidium, vltra vulgatum terminum ad ſeros prorſus annos, non ſolum *pro-*

ro-

Digitized by Google

rogandæ, ſed *renouandæ*, prorſus nouo *vigore*, & *alacritate*, inſtruendæ atque reſarciendæ.

§. V. Huius certe rei apud nullos alios populos talia reperire licet documenta, imo ne quidem indicia, præter *Aegyptios* (ſi quidem iſti *Hermetis* documento aut monumento aliqua haberi meretur fides) aut *Arabes*, & poſt hoſce, imo ab hiſce, ſi fides aliqua habenda eſt narratiunculis, tandem apud *Europaeos*.

§. VI. Illud vero forte facilius conuenerit, quod apud *Europaeos* non admodum priſca ſit harum rerum inueſtigatio. Quamlibet enim illa, quæ ſub nomine cuiusdam *Iſaaci Hollandi* circumferuntur, & ſub *Baſilii Valentini* titulo venditantur, imo *Raymundi Lullii* fuiſſe, non dubitantur, *Triſmoſino*, quem *Paracelſi* Magiſtrum fuiſſe perhibent, antiquiora eſſe poſſint; *ſeculis* tamen prorſus hos præceſſiſſe, nullo idoneo argumento adſtrui poſſet. Cum e contra iidem illi, qui de *Chinenſibus* & alia memorant, de hac etiam huius gentis intentione, vt de plerisque aliis illius rebus, hoc conſtanter aſſeverant, quod ab *antiquiſſimis* temporibus huic rei animum applicuiſſe, illamque ſectati eſſe perhibeantur.

§. VII. Differentia interim inſignis hic intercedit illa, quod non ſolum de *Africa* & *Ara-*

Arabia iactet atque recenſeat, ſed de ſe ipſa maximopere prædicet, variiſque monumentis atque documentis confirmet, noſtra *Europa*, quod non nuda *ſpeculatione* aut *ſpe* in hac materia nitatur, ſed veritatem *effectus* atque euentus hinc inde *experta* ſit. Sicut eius rei paſſim hiſtorica exempla adducuntur tam a *Zwolffero* & *Bechero*, quam *Morhoffio*, & illo Barone *Schrœdero*, qui paruum illud Schediaſma, Nothwendigen Unterricht von Goldmachen edidit, aliiſque. Cum de *Chinenſibus* tale quiddam, & quod exempla deprehenſi aliquando ſuæ ſpei effectus allegare poſſint, non æque referantur: Niſi quidem hic ſuſpicari quis vellet, quod Pontificii religioſi, qui fere potiora de hac gente nobis retulerunt, ex ſuæ religionis ſanctionibus his rebus aduerſantes, aliqua horum commemorare metuant.

§. VIII. Interim illud propemodum certum eſt, de noſtra Europa, quod imprimis a *Paracelſi* demum temporibus, & fama illa, & pertinax auiditas de hac arte, non ſolum certa, ſed etiam non ita difficillime impetranda, maxime percrebuerit. Niſi quidem hic etiam Romanæ religionis aliquam rationem habendam eſſe, coniicere placuerit; Quando illi, vt ſuæ transmutationi nihil detrahatur, contra transmutationes phyſicas, cum

cum & ſine rationibus, infallibilitate nempe, tam Ariſtotelica, quam romano-apoſtolica firmiſſime decreuerunt, & aliter loqui, imo credere, nedum tentare & experiri, ſub hæreſeos anathemate interdixerunt.

§. IX. Admiratione vero non indignum eſt, quod opinio de veritate non tantum, ſed etiam promptitudine huius negotii, inter innumerabiles, partim impoſturas, & ſceleſtas auidorum hominum defraudationes, partim ſollicitos & anxios hinc inde adhibitos labores, conſumtum tempus, profuſos ſumptus, peſſundatam valetudinem, neglectam rem familiarem, proſtitutam exiſtimationem, & harum rerum tam numeroſa hinc inde occurrentia exempla, ita retenta ſit, vt nihilominus, non ſolum nihil infracto deſiderio, ſed profecto, ſi verum eloqui libeat, maiore indies impetu, maior etiam hominum numerus, huic propoſito animum adiiciat, & indefeſſo ſtudio ac labore inſudare aggrediatur.

§. X. Non iam placet latius in hanc materiam diffundi, & quid in illa non magis liceat, quam forte deceat, ſperare aut ſectari, argumentis aut documentis diſquirere. Illud ſolum nobis propoſuimus, de veriore, fortaſſis, adeoque in hoc genere etiam ſimpliciore quodam artificii genere, pauca proferre,

ferre, quomodo nimirum aliqui ſpem faciant atque foueant, aliqua *ignobiliorum* metallorum, ſiue *maturatione*, ſiue maturiorum partium intimiore *ſegregatione*, operæ pretium hic facere.

§. XI. Nempe illi quidem qui nihil niſi magna affectant, malunt de *perfecto Magiſterio* vt loquuntur, magnifice ſentire atque ſermocinari. Omnia alia tentamina aut experimenta, quibus aliquod *exiguum* ſpecimen geneſeos meliorum metallorum e vilioribus, apparere videatur, aſpernantes, & nihil niſi ſtupendam illam conuerſionem abſolutam vnius rei in aliud, commendatione ſua atque inueſtigatione dignum reputantes. Aliqui vero, & imprimis quidem ad rem attentiores mallent paruo contenti eſſe, & vel exiguis portionibus operam nauare, modo tantum inde emolumenti percipere valerent, vt honeſtum aliquem laboris ſui fructum inde aſſequi ipſis liceret. Priores appellant *Vniuerſaliſtas*; Poſteriores, *particulariſtas*.

§. XII. Hi vero poſteriores quoque, nempe a partialis transmutationis ſtudio denominati, abeunt iterum in diuerſum. Dum alii quidem illud artificium *ex parte* transmutandi, non tam *philoſophice* aut *phyſice* intelligere operæ pretium ducunt, quam in comparatione ad grande illud *Chryſoſophicum* promiſ-

Digitized by Google

ſum referendo, *modeſtiſſime* precari, vt ſibi ex illa *Megaſophica* opulentia, vel *milleſima*, ſolum pars contingat. Nempe, cum iſti perfecti Magiſtri, vna parte ſuæ medicinæ vt loquuntur, *decies mille* partes vilioris metalli, in nobilisſimum *aurum* conuertere, & nuda quidem atque expeditiſſima harum rerum commixtione, polliceantur: Hi vel tam leue artificium ſibi exoptent, quo pari *breui atque promto* labore, ſaltem talem medicinam aſſequantur, quæ *vna* ſui parte, *decem* partes metalli in nobiliſſimam illam dignitatem euehere poſſet.

§. XIII. Quicquid autem hi *modeſtiæ* atque *continentiæ* ſibi imputet, teſtantur tamen conſtantes plerorumque querelæ, quod ne quidem huic indulgendum eſſe ducant propitia fata: Adeoque ſpe ſua decidant hi quoque horum artificiorum ſectatores. Quod quidem animaduertentes adhuc alii, damnata laruata iſtorum auiditate, de eiusmodi adhuc enchiriſibus ſpeculantur, quæ, quantalibet etiam opera atque *labore*, impenſas huic rei adhibendas, ſaltem honeſto aliquo fructu ac vſura compenſarent, & præter illud, quod opulentiores e numeroſo ſuo fundo, in otio percipere atque obtinere poſſunt, ea proportione ſuperent, vt etiam laborum, quos ſub hoc negotio deuorandos in ſe ſuſcipiunt,

piunt, aliquod præmium, præter vulgarem illum vſuræ fructum, ſperare liceat, imo impetrare.

§. XIV. Enimuero ſi horum deſiderium, cum antecedentium auiditate comparetur, vix quisquam fuerit, quin maioris æquitatis teſtimonium ipſis perhibeat, & talibus illorum votis fauere non dedignetur. Hoc ſicvt hominum moratiorum animis inſculptum eſſe videtur, ex naturali, vt loquuntur, æquitate; Ita non de nihilo eſt, attendere illam quoque, in ordine rerum naturalium inſitam, tali propoſito plus fauendi aptitudinem, vt reuera talibus quidem ſcopis, plus vna methodo reſpondere videatur.

§. XV. Non loquar iam de multiformibus illis tentaminibus, ſiue, vt vulgus appellat, proceſſibus, qui apud *Fallopium*, *Keslerum*, & partim cum his, partim poſt hos, *Glauberum*, oberrarunt; imo iam *Triſmoſini*, iam *Paracelſi*, iam *Korndorfferi* &c. nominibus hinc inde vagantur. Ipſum *Becherum* allegare ſuffecerit; qui non exiguam vagorum talium Proceſſuum partem collegit, & *Concordantia* ſuæ *chymicæ*, ſiue *oſtraciſmo chymico* inſeruit. Neque tamen hoc ſolum; ſed certiore quoque ſpe lactare mundum ſuſcepit in *Supplementis* Phyſicæ ſuæ Subterraneæ, & imprimis *Minera ſua Arenaria*: quod, modis

 atque

atque methodis infallibilibus, & facile parabilibus, res eo deduci poſſit; vt fundus, ſiue vt vulgo loquuntur, *capitale* aliquod pecuniarum, *labore* tamen vtique ac *induſtriæ* adhibita, annuo ſpatio *altero tanto* auctum haberi, adeoque *fructu* certe diuite, vſurpari poſſit.

§. XVI. Mira certe res, quod huius indolis Propoſitio non altius perueſtigata atque perpenſa ſit; Imprimis adhibita illa conueniente cautela, quantum de promiſſo tali fructu, pro *ſumptibus* neceſſariis *detrahendo*, tamen pro *vſu*, & honeſto laborum *fructu*, ſeruari atque percipi adhuc poſſit.

§. XVII. Non iam illud agam, vt ego huius propoſitionis atque promiſſi, præſtationem, κατὰ πόδα in me ſuſcipiam; Quamvis illud dicere non erubeſcam, quod, vt in aliis rebus fidem huius Autoris ſaluare non dubitaui, ita etiam huic eius aſſerto, ea conditione, ſubſcribere non dubitem, vt licet examuſſim, neque de exquiſita eius methodo certus ſim, neque proinde quid illa proprie præſtare poſſit, definire queam: Nihiloſecius, *in genere*, de hac eius *aſſertione*, &, prout in genere illam propoſuit, *methodo* quoque, illud teſtari non verear, quod ad minimum *in genere*, alicuius *vtilitatis* ſpe, illa non careat: Sed, ſi non æque ad exquiſitum Autoris *calculum* reſpondeat, tamen

ali-

Digitized by Google

aliquid præſtare valeat, quod aliquod *operæ pretium* ſtatuere poſſet.

§. XVIII. Imo, ſicut hac ab Autore inſinuata methodo, aliquid *fructus* colligi poſſe certum eſt; Ita ſane illam diuerſis etiam ſchematibus inſtrui ac inſtitui poſſe nihilo minus eſt certum: Quamuis non negauerim, quod omnes huiusmodi viæ, ex vno fundamento profluant: Imo etiam eo ipſo haud multo diſpares effectus exhibeant.

§. XIX. Interim hoc de talibus artificiis conſideratu dignum eſſe duco, quod illis equidem *priuatus* aliquis, ita honeſte ſibi conſulere poſſet, vt alio quocunque artificio aut opificio vulgari; Quod autem *Statui* cuidam, aut *Magnati*, huius indolis artificio, dignum aliquod emolumentum præſtari valeret, nolim polliceri; Cum non ſolum circa *æqualem* perpetuo euentum, multa varietas euenire poſſit: Sed etiam quantacunque tandem ἀκριβείᾳ vniuerſum negotium tractetur, magis *priuati* cuiusdam *vſibus*, quam Magnatis *ſumptibus*, comparandus *fructus*, & nihil aliud, inde expectari poſſet.

§. XX. Reuera vero non dubito, eſſe etiam adhuc hinc inde, compendia talia, quæ, ſi recte adminiſtrarentur, etiam *fructum* conſideratu aliquanto digniorem ferre poſſent. Sed eo *operoſo labore*, atque *diffu-*

ſo apparatu, imo aliquarum neceſſariarum rerum multiplici, ac veluti *prodiga conſumptione*, ſi res ad *opulentiorem* aliquem *prouentum* inſtrui deberet, vt non ſolum diffuſa illa *operariorum*, *apparatuum*, atque *laborum*, prolixitas, *publicis* dignitatibus minus congruere videri poſſet: Sed etiam totum negotium minime tractari, quin *vniuerſa operationis ratio mature in publicum emanet:* Quod ipſum etiam, an ratum haberi poſſet, non immerito dubitare fas eſſet.

§. XXI. Quamuis enim illi, qui in talibus caſibus prompta ſapientia pollent, paratum forte conſilium haberent, *ſubditos* ab imitatione aut vſu eiusmodi artificii prohibere: Vix quiſquam tamen credo minus præcipitis conſilii, cuicunque Dominationi conducere iudicauerit, *ſubditos* quidem a rei, quæ ipſos quantumcunque locupletare poſſet, arcere: In *peregrinos* autem vt illa emanet, non ſolum impedire non poſſe, ſed ipſum primum anſam & ſucceſſum huic rei ſuppeditare.

§. XXII. Nimirum, ſicuti pro homine *priuato* v. g. honeſtum ſane emolumentum eſſe poſſet, ſi ille *mille* imperialibus otioſis, ipſa *ſumma* capitali, in domo ſua, ſecurius, quam in aliena fide, conſtituta, detractis neceſſariis ſumptibus, aut, ſi laboribus neceſ-

ſariis

ſariis ipſemet vacaret, ex his etiam, aliqua portione fructibus inde ſperandis accedente, *annuo ſpatio*, *centum quinquaginta*, imo forte *ducentos* imperiales, *fructus* loco obtinere valeret: Adeoque loco *vſuræ* a proximo petendæ, ſine cuiusquam iniuria aut inuidia, honeſtiſſima acquirendi ratione cenſum augere poſſet: Ita pro *Statibus* aut *Magnatibus*, qui ſtabiles argenti ſummas, & otioſa capitalia non ſemper ita in vſu habent, certe etiam eiusmodi tractatio, neſcio an vel factu facilis, vel fructu ſatis vtilis, vel dictu ſatis magnifica atque honorifica eſſe poſſet.

§. XXIII. Ne tamen, populari apologo, boum gregem antequam vel vitulus natus ſit, æſtimare videri poſſim, illud ante omnia peritiore ſcrutinio dignum iudicarem, an vtique aliqua in vniuerſa tali re ſubſit veritas, & quomodo conſiderari mereatur.

§. XXIV. Certe enim, ſi quid *ſolidi* & *honeſti* emolumenti, licet ipſa *quantitate mediocri*, inde experiri liceret, *priuatis* quidem tale, ſibi, & familiari rei proſpiciendi *compendium*, ſuadendum potius quam inhibendum, exiſtimarem; Quandoquidem non ſolum *ſubditorum* atque ciuium res omni honeſto modo meliores eſſe, cuiuscunque *dominationis* legitimæ, quam maxime intereſt: Sed nullus etiam *honeſtior* eſſe poſſit modus, ſine cuius-

iusquam circumuentione, damno aut iniuria, *facultatum* ſuarum eximium *fructum* obtinendi, quam talis, quo cum variarum rerum neceſſariarum *coemptione*, adeoque *ſumptuum*, qui alias non fierent, in alios ciues & regionis ſubditos erogatione, immenſum quantum amplius publicis commodis conferri poſſet, quam ſi qualemcunque ſuam paratam pecuniam, vni aut alteri crederet, exiguam penſionem inde ſperare, de ipſa ſumma periclitari, reſtitutionem denique variis incommodis & ingratiis recuperare, neceſſarium ſit; accedente his omnibus, præcipua illa *ἀταξία*, quod quantumcunque effatu digna ſumma, pauperi quidem ſubuenire, neque res eius poſtulent, neque tuæ ſpes permittant: Diuitibus autem & rerum ſuarum abundantia laborantibus, illa offerre, ſæpenumero illa cautela dignum ſit:

Μὴ κακὸν εὐπράξεις, σπείρειν ἴσον ἐς ἐνὶ πόντῳ.

OBSERVATIO XIII.
PAGANINI GAVDENTII LIBER DE PHILOSOPHIA APVD ROMANOS.

SVMMA OBSERVATIONIS POSTERIORIS.

D*E Antonino Pio, Flau. Boetho, Eudemo, Sergio Paullo, Alexandro Damaſceno, Apuleio,*

Hypatia

Hypatia aliisque feminis philoſophis, & Iuſtino §. I. Marcus Antoninus, Arrianus & Galenus ob philoſophiam recenſentur. Refutatur vna Suidæ narratio de Arnuphi §. II. De cenis Laurentianis & Dipnoſophiſtis, Vlpiano Tyrio, Maſurio, Cynulco, Daphno, Rufino, eorumque ſcriptore Athenæo agit §. III. Commodi odium in philoſophos, item de Maximo Tyrio & Alcinoo quædam referuntur §. IV. Septimius Seuerus, eiusque vxor Iulia, Alexander Aphrodiſienſis, Oppianus memorantur §. V. De ſtudio philoſophiæ Mammææ atque Alexandri Seueri §. VI. De Gordiano ſeniore & iuniore, Sereno Sammonico patre & filio, Plotino, Amelio Gentiliano, Longino, & Porphyrio §. VII. Themiſtius Romæ & alibi docuit §. VIII. Sopater a Conſtantino eſt occiſus. Proæreſius tempore Conſtantis vixit. §. IX. Seruius & Macrobius, incertæ ætatis auctores, multa habent philoſophica. §. X. De ſtudio publico philoſophiæ in vrbe ſub Chriſtianis imperatoribus §. XI. Boethius philoſophus a Theodorico rege tandem ſupremo ſupplicio eſt adfectus. §. XII. De Sidonio Apollinari, Theodorico, Fauſtis, & quatenus Romæ ſtudia viguerint poſt barbaricas irruptiones, diſputatur §. XIII. De Sylueſtro II. pontifice, philoſopho eximio. Reiicitur fabula de eius magia. §. XIV. De primo domeſtico, de Homero, de habitu Cynicorum & victu Stoicorum. An & quatenus Cynici & Stoici eandem habuerint originem. §. XV. Iuſtini diſputa-

T 5 *tiones*

tiones, Galeni ſententiæ quædam proferuntur: item origo hæreſium §. *XVI. Diſſertatio de conſenſu Platonis & Ariſtotelis* §. *XVII. Varia de bibliothecis Romanis, Themiſtio, Seruio, Boethio, & de fine philoſophiæ traduntur* §. *XVIII.*

§. I.

NOua tempora nouas res ſecum afferunt. In prima huius argumenti obſeruatione, clara quædam philoſophorum nomina ex antiquitate in lucem protulimus: quos vero philoſophos omnes non ex certis ſumtibus, ſed eorum liberalitate, qui eorum vtebantur doctrina, ſuſtentatos eſſe comperimus. Primus autem pius ille imperator Antoninus, mirabili comitate præditus, & ſuis moribus ad finem vsque vitæ perfectum exprimens philoſophum, philoſophis per omnes prouincias, vbi erant, vt ſunt inprimis Aſia & Græcia, honores & ſalaria detulit. Pluribus verbis ſingula hæc tradunt Capitolinus & Xiphilinus. Floruit ſub eius imperio Flauius Boethus conſul, cuius ſtudium anatomicum præ ceteris laudat Galenus libr. I. c. 1. de Adminiſtr. Anatom. Huic ſubiungimus Eudemum Peripateticum, cuius idem Galenus meminit, & Sergium Paullum cos. qui diſciplinis philoſophicis per omnia præcipuus exſtitit. Alexander Damaſcenus Romæ aliquandiu egit, poſthac

hac transgreſſus Athenas ad profeſſionem Peripateticæ philoſophiæ, ſi Galeno fides habenda eſt. Vixit ſine dubio poſt Hadrianum, adhuc ante Chriſtianos imperatores, Apuleius Madaurenſis, philoſophus Platonicus, quia imperatorem, ſub quo vixit, Diuum appellat. Capite c i x. dictum Apuleii, qui refert, etiam feminas philoſophiæ operam dediſſe, exemplo Hypatiæ, quæ publice Alexandriæ docuit, & quã θεᾶν ſæpenumero appellat Syneſius in epiſtolis comprobat. Hæc tandem a plebe Chriſtiana odio ſuperſtitionis & philoſophiæ gentilis, obruta eſt lapidibus, quũ ex Gymnaſio domum reuerteretur. Non tantum Pythagoras, Plato, Plotinus feminas diſcipulas in philoſophia habuerunt, ſed etiam ipſi Cynici. Iuſtinus ante fuit Platonicus quam, innocentia Chriſtianorum deprehenſa, Chriſtum amplecteretur. Poſtea Creſcentem habuit aduerſarium, qui erat Cynicus. De Iuſtino agit Photius in Biblioth. Hieron. de Scriptor. Eccleſ. Niceph. Calliſt. & ipſe Iuſtinus.

II. Marcus Antoninus, a pueritia philoſophiæ deditus, ab Iuliano in Cæſaribus Stoici nomine memoratur. Commodum, Apollonium Chalcidenum Stoicum, Claudium Seuerum Peripateticum, Sextum Chæronenſem Plutarchi nepotem, & inprimis Iuni-

um Ruſticum Stoicæ diſciplinæ peritiſſimum audiuit. Et pallium ſumſit, duodecimum annum ingreſſus, vt relatum legimus in Marcellino. Solus propemodum imperator philoſophiam, quæ quibusdam otii eſſe ac deſidiæ videtur, in forum atque in rempublicam atque in ipſam aciem pæne deduxit. Herodianus libr. I. ſic de eo ſcribit: *Solus imperator ſapientiæ ſtudium, non verbis, aut decretorum ſcientia, ſed grauitate morum, vitæque continentia vſurpauit.* Idem declarat Capitolinus, qui etiam de expeditionibus Antonini militaribus nonnihil ſcriptum reliquit. Floruerunt quidem eo tempore multi ſapientes: plerumque enim homines vitam principis ſolent æmulari. At fama ſane fuit, quod ſub philoſophorum ſpecie quidam rempublicam vexarent, & priuatos: Quod tamen ille, teſtibus Modeſtino libr. I. de Pœn. Vlpiano libr. VII. de Off. Procos., non diſtulit emendare. Arrianus, Nicomediæ natus, qui propter ſermonis elegantiam dici meruit nouus Xenophon, Epicteti Enchiridion compoſuit. Mirandam rem, pluuiam ſiti laborantibus effuſam precibus legionis fulminatricis, perperam adſcribit Suidas Arnuphi Aegyptio philoſopho. Galeni opera non parum auctam Romæ philoſophiam, ex ipſius libello de propriis libris conſtat. Multa enim philoſophica operibus

ſuis

ſuis paſſim inſeruit; quamuis ipſe medicinam profiteretur.

§. III. Primi apud Romanos, Lucullus & Cato Vticenſis cænas philoſophis inſtituerunt. Reſtituit eum morem, & perquam magnifice imitatus eſt in eadem vrbe Laurentius, cui multum laudis tribuit Suidas. Athenæus dipnoſophiſtarum ſcriptor Naucratita dicitur fuiſſe, vixiſſeque temporibus Marci imperatoris. Princeps dipnoſophiſtarum apud Athenæum eſt Vlpianus Tyrius, qui omnes vexabat perpetuis quæſtionibus. Citucitu nominabant eum, quia nihil cibi in conuiuio guſtare ſolitus, quin interrogaret, vbinam eius cibi nomen exſtaret, dicendo πȣ̃ κεῖται, vel ὅπȣ κεῖται. Alius eſt Domitius Vlpianus, qui fortaſſe ex eius familia fuit, ICtus ſumma auctoritate prǣditus apud Alexandrum Seuerum. Item alius Vlpianus Emeſenus Sophiſta, qui ſcripſit de patria Emeſa, & aliis, Programmata, artem Rhetoricam. Alius Antiochenus itidem ſophiſta. Alius denique Vlpianus fuit frater Iſidori philoſophi, ingenio promtiſſimo ad diſciplinas Mathematicas. Alii inſuper nominantur dipnoſophiſtæ, Maſurius iuriſconſultus, qui floruit ſub Marco, (diſcernendus ab Maſurio Sabino, cuius mentionem facit Perſius,) Cynulcus Cynicus, qui tanquam dipnoſophiſta in-

interfuit cænis Laurentianis. Præter Galenum medicum dipnoſophiſtarum numerum auxerunt Daphnus Epheſius, qui non erat purus medicus, ſed Academicorum præcepta & opiniones probe perceperat, & Rufinus Nicæus.

§. IV. Marcus quidem imperator Commodum magna cura educauit, accitis vndiq; viris doctrina claris, maximaque poſita mercede, vt mores pro ſe quisque filii, ingeniumque, teſte Herodiano libr. I. excolerent. Sed filius mortuo parente vitiis deditus, neminem non ab limine velut inſidiatorem ſubmouebat, quemcunque aut probitas, aut diſciplina vlla etiam mediocris illuſtraret. Tamen in Suida legimus, ſub Commodo vixiſſe Marcum Tyrium, qui non ſemel adiit Romam, Romaque diſcesſit. Gaudentius narrat, quod veteres manuſcripti libri eum Platonicum appellent: at videri, magnæ libertati indulgere, vt Carneadem aliquem referre videatur. Subiungit auctor Alcinoum, cuius reperitur introductio ad doctrinam Platonis. Aetas Alcinoi incerta eſt, nec apud Suidam aliquid de eo relatum legimus.

§. V. Quamuis Septimius Seuerus Afer genere, ferox & vitæ duræ, laboribusque inſuetus fuerit, Pannonicis imperans militibus; Matheſin tamen, litterasque non neglexit.

Ipſe

Ipſe futurorum præſagia adnotauit, & digeſſit in libris, quos de vita ſua conſcripſit. Spartianus ſic de eo ſcribit : *Philoſophiæ, ac dicendi ſtudiis ſatis deditus, doctrinæ quoque nimis cupidus, vitam ſuam priuatam publicamque compoſuit.* Idem teſtatur, Seuerum Latinis Græcisque litteris eruditisſimum fuiſſe. Plura Herod. lib. II. Hiſt. habet. Et vxor imperatoris Iulia ſtudio & fauore ſibi philoſophos adiunxit. Philoſtratus de vita Apollinii Tyanæi, eam Rhetoricæ facultatis ſtudioſam nominat. Idem in vita Philiſci Sophiſtæ, Iuliam Philoſophos ac Geometras habuiſſe, declarat. Septimii Seueri & Basſiani Caracallæ temporibus inſignis philoſophus, Alexander Aphrodiſienſis floruit, quem Suidas, & Porphyrius in vita Plotini memorant. Ipſe Alexander in Epiſtola, quam dedit ad modo dictos imperatores, quum eis offerret librum de Fato, de ſe: *cuius*, inquit, *philoſophiæ* (Ariſtotelicæ) *præfectus ſum, veſtro teſtimonio doctor illius pronuntiatus.* Quum Seuero non occurriſſet pater Oppiani poetæ, eum in inſulam quandam relegauit. Oppianus filius poema (propter quod in numerum philoſophorum refertur) compoſuit de Piſcibus, quod mortuo Seuero obtulit Caracallæ, qui eum ingenti pecunia donauit, patremque ab exſilio reuocauit.

§. VI.

§. VI. Mammæa, femina omnibus, quæ vnquam filios, vel ſeipſas philoſophiæ tradiderunt, præferenda, mater Alexandri, quem adoptauerat Heliogabalus, filium per philoſophos curabat formari. Sic enim ſcribit Herodianus: *ſubmiſſis clam doctoribus omnium diſciplinarum, græcisque eum pariter, latinisque litteris inſtituens.* At Heliogabalus omnes eius doctores ex aula iuſſit exire, illuſtres quosdam, partim morte, partim exſilio multauit, dicens, per eos corrumpi filium, quod ad vitæ integritatem ac modeſtiam componeretur. Mammæam fuiſſe mulierem pientiſſimam, mirabilique deſiderio videndi Origenem (cum quo ad ſe vocato etiam collocuta eſt) flagraſſe, mirum in modum laudat Euſebius libr. VI. c. 21. De Alexandro Severo Lampridius ait, eum in conuiuium adhibuiſſe doctos homines, Platonemque, ac Ciceronem de Officiis atque Repl. legiſſe. Habuit præceptorem in prima adoleſcentia Stilionem philoſophum, & in Lararium ſuum poſuit *animas ſanctiores, inque iis Apollonium,* quem gentiles plus, quam hominem, venerabantur.

§. VII. De Gordiano ſeniore Capitolinus affirmat, quod vita venerabilis cum Platone, Ariſtotele, ceterisque veteribus ſemper egerit, Hic Gordianus præceptorem dedit

nepoti

nepoti Q. Serenum Sammonicum. Fuit autem, referente Suida, Gordianus minor *in ſtudiis grauiſſimæ opinionis, memoriæ ſingularis. Sereno Sammonico, qui patri eius amiciſſimus fuit, nimis acceptus & carus vsque adeo, vt omnes libros Sereni Sammonici patris ſui, qui recenſebantur ad LX. & duo millia, Gordiano minori moriens reliqueret, quod cum ad cælum tulit.* Spartianus in Caracalla tradit, Sammonicum patrem inter alios plures, qui in balneis & cænis occiſi ſunt, morte adfectum, eiusque libros plurimos ad doctrinam exſtare. Idem in Geta hæc de eius libris dicit: *Sereni Sammonici libros familiariſſimos habuit, quos ille ad Antoninum ſcripſit.* Sammonici etiam meminit Macrob. libr. III. Sat. c. 16. Hodie tamen nihil Sammonici exſtat, præter medicinæ præcepta. Gordianum ad bellum Perſicum proficiſcentem comitatus eſt Plotinus, quo interemto Antiochiam ſe contulit, indeque Romam ſub Philippo, vt refert Porphyrius in eius vita. Romæ degens atque docens, Platonis natalem celebraſſe fertur. Cuiusmodi philoſophorum memoriam & alios, quemadmodum Athenis, Romæ celebraſſe, ſcriptor Romanæ philoſophiæ autumat. Nihil autem ſcripſit in vrbe, ad colloquium, cui Ammonii præceptoris ſententias inſerebat, admittens nonnullos. Amicis ſuis, in

primis Amelio permittebat interrogare. Hunc Suidas Apamenſem philoſophum, diſcipulum Plotini, præceptorem Porphyrii nominat. Amelius etiam vocatus eſt Gentilianus, teſte Porphyrio in vita Plotini, & Longino apud eundem Porphyrium. Longinus, quamuis non videatur Romæ fuiſſe, tamen, quia ab Aureliano imperatore Romano interfectus eſt, ab auctore noſtro hic recenſetur. Flau. Vopiſcus in Aureliano: *Graue inter eos, qui cæſi ſunt, de Longino philoſopho fuiſſe perhibetur, quo illa magiſtro vſa eſſe ad Græcas litteras dicitur.* Zoſimus in Aureliano, Suidas & Eunapius in vita Porphyrii Longinum ceteris eius ætatis præferunt, ſaltem virum iudicant doctiſſimum. Bis Romam ſe contulit Porphyrius. De prima profectione ipſe in vita Plotini, de altera quædam in medium profert Eunapius in vita Porph. Videtur præceptorem quodammodo ſuperaſſe; quandoquidem Plotinus involuta ratione ſcribebat: Porphyrius contra dilucide, clare & aperte quæuis explicabat. Vita eius, vt vult Eunapius, amplexa eſt imperium Galieni, Taciti, Aureliani atque Probi.

§. VIII. Videri quidem volunt philoſophi honorum, & diuitiarum contemtores; at tamen plerique ſectati ſunt magnos prin-

ci-

cipes. Hinc poſt migrationem Conſtantini, Romæ philoſophia pæne deſiit florere. Themiſtius ibi aliquandiu docuit, Carus fuit Conſtantio, Iouiano, Valenti, Theodoſio, Valentiniano, Arcadio; licet ipſe gentilis eſſet, illi autem omnes Chriſtiani. Statua ei decreta eſt. Theodoſius inſtitutionem Arcadii ei commiſit. Quinimo antiſtites Chriſtiani, inter quos Gregorius, Themiſtium ſua amicitia non indignum iudicaverunt. Inſigni doctrina Nicomediæ, Antiochiæ, Galatiæ, ac Romæ cuiuis iniecit admirationem ſui. Rediit poſthac Conſtantinopolim, vbi per viginti annos iam ante fuerat. Patrem, & præceptorem in philoſophia habuit Eugenium, egregium itidem philoſophum. S Greg. Nazianz. Ep. cxxxix. ei Eudoxum iuuenem commendans, *μέγαν*, & Ep. CXL. *βασιλέα τῶν λόγων* appellat. Sozomenus libr. VI. ait, oratione Themiſtii ad humanitatem perductum Valentem, qui orthodoxos eo tempore vexabat. Photius teſtatur, eum inter ſenatores a Conſtantio relatum: nec omittit Expoſitiones in Platonem ab eo editas; quæ tamen perierunt.

§. IX. De Sopatro refert Sozomenus libr. I. Hiſt. Eccl. c. 5. quod Plotinianæ ſcholæ fuerit. Hæc ſchola & Alexandriæ, & Romæ dicitur fuiſſe. Iamblicho, qui clariſſi-

Digitized by Google

mus fuit in Platonica philoſophia, vſus eſt præceptore. Eunapius in Aedeſio Sopatrum ceteris eloquentiorem dicit. Idem, & Suidas referunt, quod imperatori Conſtantino, ſine dubio adhuc gentili, familiaris fuerit. Addit Suidas, Conſtantinum interemiſſe Sopatrum, vt confirmaret omnibusque probaret, ſe non amplius addictum eſſe paganorum religioni. Quum in Galliam vocaſſet Conſtans Proæreſium, animumque aduerteret, neſcire Gallos ſatis pro dignitate admirari Proæreſium, miſit eum Romam, quæ illius doctrinam melius agnouit, eumque eſt admirata. Vide Eunapium. Romani erexerunt Proæreſio ſtatuam æneam, pari prorſus magnitudine, (erat enim magnæ ſtaturæ) cum inſcriptione: REGINA RERVM ROMA REGI ELOQVENTIAE.

§. X. Seruii Mauri Honorati ætas eſt incerta. Auctori noſtro videtur poſt Domitianum vixiſſe, quia proferat teſtimonia ex Statio, tanquam ſcriptore claſſico. Etſi Grammatici munere in Virgilio explicando functus eſt; ambigere tamen haud poſſumus de eius philoſophia, quam credibile eſt Romanos docuiſſe adoleſcentes. Specimina philoſophiæ Seruianæ, quæ complectitur varias philoſophorum veterum ſententias & opiniones capite CLXXIII, & quæ ſequuntur, Gauden-

dentius proponit. Et Macrobius incertæ eſt ætatis. Sub Chriſtianis imperatoribus eum vixiſſe, declarant verba, quæ alicubi de hominum cadaueribus profert, quod non amplius ſuis temporibus ſint combuſta. Qui mos, ſine dubio Chriſtianorum religione inualeſcente, deſiit. Macrobium Romæ floruiſſe, non dubitat auctor; quippe vir conſularis, latine ſcripſit. Inter philoſophos illum refert Gaudentius, quia non pauca ex philoſophiæ adytis depromta habet libr. VII. Saturnal:, in quo Diſarius medicus penitus agit philoſophum, naturæque arcana reuelat.

§. XI. Aliquanto ante diximus, Themiſtium Romæ ſub Chriſtianis imperatoribus philoſophiam docuiſſe. Addenda iis, quæ dicta ſunt, Theodoſii & Valentiani ſanctio, quæ eſt in Cod. de ſtudiis liberalibus vrbis Romæ & Conſtantinopolis, quam ſanctionem appellant ipſi *diuinæ ſanctionis afflatus* & *cæleſtia ſtatuta.* Sic autem loquuntur: *profundioris quoque ſcientiæ, atque doctrinæ memoratis magiſtris ſociamus auctores, vnum igitur adiungi ceteris volumus, qui philoſophia arcana rimetur.* Ita quum olim penitus contemnendam putarent Chriſtiani philoſophiam, vigente adhuc gentili ſuperſtitione; poſtquam inualuit Chriſtia-

ſtiana religio imperatorum auſpiciis, recepta eſt philoſophia.

§. XII. Quæ auctor noſter capite CLXXXVI. de Boethio Romano conſule, & ſocero eius Symmacho tradit, paucis immutatis vel adiectis, hic apono. Boethius probitate, facundia & doctrina excelluit. Addunt viri docti, ipſum fuiſſe vltimum omnium, qui ex antiquis Romanis aliquid litterarum monumentis conſecrarint: primum omnium, qui Ariſtotelicam diſciplinam latinis litteris illuſtrare cœperint. Natus eſt non ita multis poſt annis, quam ab Alarico Roma caperetur, floruitque Theodorici regis temporibus. Exſtat Theodorici (qui ciuilitatis & doctrinarum, quamuis Gothus, fuit amantiſſimus, ſi Arianum errorem ſeponas) ad Boethium epiſtola, quæ, & Ptolomæi Syntaxin, & Archimedis Mechanicam ab eo latinitate donatam, affirmat. Certe iniuriam facit Theodorico, qui vitam Boethii conſcripſit, dum putat, eum deteſtatum tyrannidem Theodorici, tanquam barbari hominis, ſolatium conatum capere. Nam cur ſcripſiſſet epiſtolam ad Boethium Theodoricus, qua oſtenderet, ſibi placere eius laborem in illuſtrandis ſcientiis, ſi auerſatus fuiſſet doctrinarum ſtudia. De regis Theodorici propenſione ad priſtinam elegantiam

nos

nos docere poſſunt Caſſiodori Epiſtolæ, & Ennodii Paneg. Errant, qui putant, omnia, quæ philoſophiam illuſtrant, ante ſcripta, quam cuſtodiæ ſit traditus. Ipſum Romæ conſulem creatum, quum Prædicamentis manum admouiſſet, ſatis quidem conſtat. At libros de Conſolatione Philoſophiæ in exilio contexuit. Ticinum vero in exſilium a Theodorico rege expulſus eſt, ob neſcio quam ſuſpicionis & delationis cauſſam. De ſuis ſtudiis philoſophicis ita ſcribit Boethius: *Etſi nos curæ officii conſularis impediunt, quominus in his ſtudiis omne otium plenamque operam conſumimus, pertinere tamen videtur ad aliquam reipublicæ curam, elucubratæ rei doctrina ciues inſtruere. nec male de ciuibus meis merear, ſi quum priſca hominum virtus vrbium ceterarum ad hanc vnam rempl. imperium transtulerit: ego ad id ſaltem quod reliquum eſt Græcæ ſapientiæ artibus, mores noſtræ ciuitatis inſtruxero. quare ne hoc quidem ipſum conſulis vacat officio, quum Romani moris ſemper fuerit, quod vbicunque gentium pulcherrimum eſſet, atque laudabile, id magis ac magis imitatione honeſtare.* Tandem, creſcente Theodorici tyrannide, ab eodem Boethius, vna cum ſocero ſuo Symmacho, viro erudıtiſſimo, & collega in conſulatu, morte eſt adfectus.

§. XIII. Sidonius Apollinaris in orando & componendo promptus, & facilis ad extemporalitatem vsque fuit. Gregor. Turon. Hiſt. Franc. libr. II. *Sidonius tanta facundia erat, vt plerumque ex improuiſo, qua voluiſſet nulla obſiſtente mora componeret.* Quod philoſophiæ operam dederit Sidonius, teſtatur a Savarone editum Epitaphium:

HAEC INTER TAMEN ET PHILOSOPHANDO
SCRIPSIT PERPETVIS HABENDA SAECLIS.

Coluit amicitiam cum Claudio Mamerco, inſigni philoſopho, cuius epiſtolam ad ſe ſcriptam inſeruit libr. IV. Ep. 2. in qua Claudianus rogat, ſecum communicari libros a Sidonio contextos. Et alios inſuper philoſophiæ cauſſa magni fecit. Sicut in quouis, quæ laude digna, ſunt laudanda, vitiaque in eo deteſtanda: ita nunc abominantes ſcelus Theodorici, qui Boethio vitam eripuit, laudare cogimur eius fauorem in ſapientiæ ſtudioſos, ab eo dignitatibus exornatos, Vide Caſſiod. libr. I. Var. Ep. 12. 45. II, 3. 39. 40. III. 24. & alibi: item Panegyricum Ennodii. De Fauſto iuniore, conſulari viro, Ennodius libr. I. Ep. 5. hæc ſcribit: *In principio vitæ diſciplinis optimis inſtitutus, videtur meruiſſe quod adeptus eſt. Naturæ in decus ſcholas & litterarum ſtudia conſecutus, paternæ perfectionis æmulator. Quicquid Attica, quicquid Romana præcipuum habet lin-*

lingua cognouit. Hinc videmus exſtincto Romanorum imperio, non omnem eruditionem vna deletam eſſe; nec defuiſſe, quibus etiam poſt irruptiones barbaricas, ſolida doctrina cordi fuerit.

§. XIV. Barbariem ſæculo nono, decimo, vndecimo, in Italiam irruentem multis verbis conqueritur Baronius. Mirum ergo non eſt, diuulgatam fuiſſe fabulam de magia Sylveſtri II. qui præceptor fuit Ottonis III. imperatoris, cuius fauore pontificatum obtinuit circiter annum ɪↄccccxcviii. Nam præter Theologiam, Matheſin & Philoſophiam didicerat. Facile autem huiusmodi fabula potuit in vulgus manare, quia inſcitia illorum temporum Aſtronomiam, & reconditam rerum notitiam contemnebat, imo ſuſpectam maxime habebat. Dicitur Sylueſter abacum & figuras barbaricas, logiſtis frequentes & vſitatas, a Saracenis accepiſſe, & per omnem Europam diſſeminaſſe. De Sylueſtro Malmesburgenſis: *abacum certe*, ait, *primus a Saracenis rapiens, regulas dedit, quæ a ſudantibus abaciſtis vix intelliguntur.* Apud eundem fabula modo dicta reperitur. Papirius Maſſonius miratur, confictam illam fabulam mortalium aures ita penetraſſe, vt euelli ex plurimorum mentibus non poſſit. Philoſophiæ

 Syl-

Sylveſterianæ teſtimonium eſt ſequens elogium, quod ei locauit Sergius in Laterano:

Obtulit hoc Cæſar tertius Otho ſibi.
Tempus vterque comit chara virtute ſophia

Hactenus de initio & progreſſu philoſophiæ apud Romanos.

§. XV. Præcipua ex iis, quæ non tam hiſtoriam, quam dogmata philoſophorum illuſtrant, quemadmodum in principio, non quidem huius, ſed prioris obſeruationis nos promiſimus, nunc ſunt adiicienda. Cap. xxxix. præter Catonis diſputationem cum Cicerone habitam, proferuntur quædam de primo domeſtico, quod eſt illud, ad quod animal ſtatim a natura fertur, vt Alexander Aphrodiſæus lib. II. c. 40. exiſtimat. Quidam Stoici aiunt, primum domeſticum eſſe animal ipſum ſibi. Epicureis primum domeſticum viſa eſt voluptas, Megaricis vacatio lapſus & erroris, Ariſtoteli vnusquisque ſibi, quum nullos præ nobis amemus. Capite liii. diſputat ſummam philoſophiam Homeri, quem tanti fecerunt Græci, Romanique philoſophi & oratores, quanti nos biblia. Cap. lxix. qua ratione, h. e. quum barbam vellerent &c., vulgus Cynicos irritaret & vexaret. Cap. lxx. de baculo, pera & barba Cynicorum, & tenui victu iuuenum,

num, dantium operam Stoicæ philoſophiæ. Cap. LXXI. de Stoa Athenienſi, vnde Stoici dicti. Cap. LXXII. An & quatenus Cynici, & Stoici habuerint eandem originem. Cynicum inſtitutum ad Diogenem ſic refertur, vt tamen Zeno non excludatur. Nam Crates diſcipulus fuit Diogenis, præceptorque Zenonis Citiei, qui ſuam diſciplinam ex Platone, Socrate & Cratete, quibusdam, immutatis vel additis, compoſuit. Deſcribuntur adhuc præterea mores Cynicorum. In fine capitis Gaudentius vult refutare Iulianum imperatorem, qui dixit, monachos vita æquiparare Cynicos.

§. XVI. Capite CVI. & ſubſequentibus de Apuleio, & quibuſdam dictis Apuleii diſputatur. Cap. CXI., & quæ ſequuntur, de Iuſtini diſputationibus contra Creſcentem, Cynicum, Ariſtotelem, Platonem, ac nonnullis Iuſtini ſcriptis, vt ſaltem in operibus Iuſtini exſtantibus ſermo eſt. Cap. CXXXVII. &c. de variis Galeni ſententiis quædam proferuntur. Cap. CXLVIII. ob dipnoſophiſticam materiam commendatur Martialis, & quædam ex ipſo repetuntur & illuſtrantur. Capp. CXLIX. CL. CLI. duæ diſputationes dipnoſophiſticæ eruditorum oculis ſubiiciuntur. Cap. CLXV. examinatur, & confutatur paradoxum Porphyrii, docentis hominem eſu car-

carnium pollui. Agitur etiam de hæreſi Encratitarum, qui videntur errorem hauſiſſe a ſecta Pythagoræorum, quorum dogma conatus eſt defendere Porphyrius. Recte diſputat Tertullianus, plerasque hæreſes a ſectis philoſophorum ad Chriſtianos manasſe, hoc eſt, multos, quum catholici eſſent defeciſſe a catholica veritate, dum incaute philoſophos gentiles ſectati ſint.

§. XVII. Cap. CXLVI. confutat Gaudentius diſſertatione aliqua ſententiam Porphyrii, de conſenſu Platonis & Ariſtotelis. Num. I. auctores memorat, qui antiquis temporibus, & qui ſua ætate, diſcordes aut concordes fuiſſe Platonem & Ariſtotelem, putarint. Num. II. quæ concordiam Platonis & Ariſtotelis tueri videntur. Expendit auctoritatem Ammonii & Porphyrii, &, pro concordia Themiſtium, Simplicium, Philoponum facere, affirmat: nec facile poſſe ſolui, quæ pro concordia proferunaur a Foxio, quem præcedente numero laudauit. Concordia porro eſt vrgenda, ne Ariſtoteles videatur impius, & ingratus in Platonem magiſtrum. Num. III. quæ diſcordiam Platonis & Ariſtotelis manifeſtam reddunt. Extollit Gaudentius Alexandrum Aphrodiſienſem, qui ſolus olim recte expoſuit Ariſtotelem. Ariſtoteles enim palam fatetur, ſe a Pla-

Platone magiſtro ſuo diſſidere. Hanc diſcordiam inter Platonem & Ariſtotelem, exemplis docet auctor, qui ſignificat, plurimos ſtare a diſcordia, valde paucos a concordia modo laudatorum philoſophorum. Ex eo præter ea diſcordiam demonſtrat, quod qui Ariſtotelem ſibi eligant, Platonem contemnant: quoniam fieri non poſſit, ſi conſentirent, quin Ariſtoteles & Plato ſimul colantur. Num. IV. exponit ac diſſoluit ea, quæ pro concordia Platonis & Ariſtotelis videbantur facere. Philoſophorum proprium, eſt diſſidere. Dubitant ii, qui ſcire volunt, Ammonium voluiſſe conciliare Ariſtotelem, & Platonem gentilis ſuperſtitionis cauſſa. Foxius non probat conſenſum Platonis & Ariſtotelis. Non offenditur pietas Chriſtiana, etiamſi Ariſtoteles ab ipſa diſſentiat. Tandem oſtendit, Ariſtotelem libere philoſophando non fuiſſe ingratum in præceptorem.

§. XVIII. Capite CLXVIII. refert, P. Victorem vndetriginta recenſere bibliothecas, quæ Romæ fuerint. Perierunt illæ, partim Gothis vrbem diripientibus, partim quum, pontifices libros, qui de gentili agebant doctrina, metu quodam eliminarent. c. CLXX. ex Iuliani epiſtola quadam proponitur ſententia Themiſtii, qui actuoſam philoſophiam con-

contemplanti præferebat. In eadem epiſtola Iulianus imperator legumlatores, & politicos appellat philoſophos. A capite CLXXIII. ad CLXXXII. varia ex Seruio producuntur. Pag. 488. & 515. in fine auctor noſter durius iudicium videtur ferre de Origene, quem putat, imitando gentiles, conatum fuiſſe, veritatem diuinæ hiſtoriæ ad meram allegoriam transferre. Cap. CLXXXII. vsque ad CLXXXV. Macrobii doctrinam exponit Gaudentius. Capite CXC. &c. diſputat de Boethio eiusque placitis, Notandum eſt inprimis argumentum cap. CXCI. in quo oſtendit, prædicamenta, quæ interpretatur Boethius, tradita fuiſſe ante Ariſtotelem ab Archita Pythagoræo. Cap. CXCVII. de diuiſione philoſophiæ, & operibus Ariſtotelis plure depromuntur ex Ammonio, & reiicitur paradoxum Fr. Patritii, qui libros Ariſtotelis auſus eſt ſuſpectos reddere, tanquam non ſint Ariſtotelis; & Nizzolii, qui contendit, eſſe tantum epitomas & compendia a Nicomacho Ariſtotelis filio ex patris ſcriptis excerpta atque contracta. Summam denique capitis CC. addo, quæ eſt, finem philoſophiæ eſſe, Deum imitari. Boeth. de Conſol. philoſ. libr. IV. proſa III. *Quum ipſum bonum beatitudo ſit, bonos omnes, eo ipſo quod boni ſunt, fieri beatos conuenit. Eſt igitur*

præ-

præmium bonorum, Deos fieri. Ammonius ad Introd. Porphyrii: *Philoſophia* (vt tradit Plato) *homini cum Deo ſimilitudo eſt, quantum homo adſequi poteſt. Philoſophus dat operam, vt Deo quam ſimillimus euadat.* Marcus imperator in cæſaribus apud Iulianum; ϰ̀ ὁ ἑρμῆς βλέψας πρὸς τὸν Μάρκον, εἶπεν τί κάλλιϛον ἐδόκει τȢ̃ βίȣ τέλος εἶναι. Τὸ μιμεῖσθαι, ἔφη, τȣ̀ς θεȣ́ς. *reſpiciens Mercurius Marcum, quis, inquit, tibi viſus eſt eſſe vitæ præſtantiſſimus finis? reſpondit: imitari Deos.* Viderunt quidem ſaniores philoſophi aliqua ex parte, vitam ſanctam, atque integram eſſe optimum in hac vita: ſed naturæ viribus illam adſequi non potuerunt. Nos potius rogamus Deum benigniſſimum, vt largiatur nobis vires diuinas, quo poſſimus vitam Chriſto dignam & æqualem, ac parem diuinis oraculis agere, atque ita viuere, vt omnis ratio verbis ſacris conſonet.

OBSERVATIO XIV.

De

TITVLO SEMPER AVGVSTI.

SVMMARIA.

§. I. H*Abuerunt olim reges ſua nomina ſingularia.* §. II. *Auguſti titulus originem habet*

habet ab Auguſto Imperatore. §. III. Auguſtus an ab auctu dicatur? §. IV. potior ratio ab augurio. §. V. Auguſtus idem ac ſanctus, vbi Latzius notatur. §. VI. Idem nomen poſtea venerationis cauſſa omnibus Imperatoribus datum. §. VII. Titulus Semper Auguſti quando cœperit. §. VIII. Magis hic titulus inualuit ſeculo quarto. §. IX. Carolus M. quo titulo fuerit vſus. §. X. An Impp. ex linea Carolingica hoc titulo vſi? §. XI. Eodem titulo vſi fuere Imperatores ex linea Saxonum & Francorum. §. XII. Solenne hoc factum a temporibus Friderici I. §. XIII. Quæ ratio tituli Germanici allezeit Mehrer des Reichs?

§. I.

PEculiare erat antiquioribus populis, vt reges quos in annalibus ſuis numerabant, ſingulari quodam nomine appellarent, cui fauſti quidpiam ineſſe credebant. Noti ſunt Aegyptiorum vel antiqui Pharaones vel Ptolomæi ſequiores, Parthorum Arſacidæ, Syrorum Seleucidæ, Ponticorum Mithridates, Edeſſenorum Abgari, Armeniorum Tigranes, Bithyniorum Nicomedes, Cappadocum Arioleutzanes, alii aliarum gentium. Scilicet, vel nominibus fauſti quidpiam ineſſe arbitrabantur, quare boni ominis cauſſa ſucceſſoribus eadem

dem imponebant nomina, quæ anteceſſorum fuerant, qui incrementa dederunt.

§. II. In Romanorum Imperio Auguſti titulus datus eſt omnibus Monarchis. Originem hoc debere Auguſto Imperatori ſatis eſt notum. De hoc enim Florus lib. IV. c. XII. *tractatum etiam in ſenatu, an quia* [Octauius] *condidiſſet imperium, Romulus vocaretur; ſed ſanctius & reuerentius viſum eſt nomen Auguſti, vt ſcilicet iam tum, dum colit terras, ipſo nomine & titulo conſecraretur.* Quod confirmat Appianus de bellis ciuilibus lib. I. atque addit, hoc ipſo titulo poteſtatem Caio Cæſare maiorem, magis venerabilem & opinione omnium magis ſanctam accepiſſe.

§. III. Adpellationis rationem hanc tradit Suetonius in vita Auguſti cap. VII. quod *loca quoque religioſa & in quibus augurato quid conſecratur Auguſta dicantur, ab auctu vel ab auium geſtu guſtuue: ſicut etiam Ennius docet ſcribens:*

auguſto augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt.

Duplicem etymon facit Suetonius, vel ab auctu, vel ab auium geſtu. Illius rationem reddunt Grammattici, quod hoſtiæ dum mola ſalſa reſpergerentur, augeri dicebantur, & quaſi conſecrabantur, ſeu ſacræ fiebant. Fateor tamen me nunquam hoc ſen-

ſu augeri hoſtias legiſſe, ſed dum mola ſalſa reſpergebantur, dicebantur immolari. Augere vero hoſtias dicebatur, cum plures litandi cauſſa vnam poſt alteram immolarent, quod patet ex verbis Suetonii Aug. cap. xcvi. *circa Peruſiam ſacrificio non litante, cum augeri hoſtias imperaſſet.* Si ergo ab auctu diceretur auguſtus, ea ratione id fieret, quia ea, quæ conſecrantur, augentur.

§. IV. Potior tamen videtur etymi ratio ab augurio vel auium geſtu ducta. Adprobat hanc Voſſius in etymologico vbi ait: *nam erit ab augurio auguſtus quomodo [vt in coniectan. ſcripſit Scaliger] ab vnco eſt vnguſtus, a fide fiduſtus, a veru verbuſtum, vt caro verbuſta apud Plautum, & ſi Varronem ſequimur, a corio coruſta & per συγκοπὴν cruſta.* Scilicet moris erat apud Romanos, vt antequam extruerentur templa prius inaugurarentur, ita vt ſpatium templo dicarent augures, quod dicebatur inaugurare. Inde dicebantur loca augurato conſtituta, loca ſancta vel Auguſta. Quod non ſolum Suetonius firmat, ſed etiam Ouidius I. Faſtorum v. 609. canit:

ſancta vocant Auguſta patres: auguſta vocantur
templa, ſacerdotum rite dicata manu.

§. V. Auguſtus itaque idem erat ac ſanctus

ctus vti ipſe explicat Dio Caſſius lib. LIII. p.m. 506. ἀλλὰ Ἄυγουστος, ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὤν, ἐπεκαλήθη. πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα καὶ τὰ ἱερώτατα, ἀύγουστα προσαγορεύεται. *Auguſtus quaſi hominis natura amplior ipſe cognominatus eſt. Auguſta enim ea, quæ honore digniſſima & ſanctiſſima ſunt, dicuntur.* Quare etiam Cicero Sanctum Auguſtumque coniungit Tuſculan. quæſt. lib. V. c. XIII. & Liuius L. V. c. VIII. Romulum habitu ſe auguſtiorem feciſſe tradit, quod ſe venerabilem inſignibus imperii feciſſet. Quare ob nominis venerationem idem diis quoque fuit additum, quod teſtantur tot lapides quorum aliquos a Latzio adducti Comment. Reip.Rom. lib. III. cap. XII. vt Veronenſis iſte:

SATVRNO. AVG. SACRVM. M. CASSIVS. FIRMVS
V. S. L. M.

& in alio Auguſtæ Vindelicorum;

MERCVRIO AVG. SACRVM
M. BASINIVS
VITALIS V. S
L. M.

Putat quidem Latzius, ipſos augures ſibi deorum nomina indidiſſe & iuuari ſe putasſe ad certiorem diuinandi ſcientiam. Sed Latzius ſermonem lapidarium non intellige-

bat, in quo ſæpius lapſus. Hic erraſſe Latzium ſatis oſtendit vox *ſacrum*, quæ diis tribuebatur non aliis.

§. VI. Hæc nominis veneratio Auguſtique felicitas faciebant, vt idem poſtea adderetur omnibus Imperatoribus. Hoc autem nomen ſolum a S. P. Q. R. imponebatur. Licet enim poſt mortem Neronis imperium fere eſſet militare, ita vt quem milites legiſſent, conſtitueretur Imperator, is tamen Imperator tantum erat, quem dein Senatus Romanus cohoneſtabat Auguſtum. Exemplum in Pertinace habet Iulius Capitolinus cap. V. quem in caſtris electum Imperatorem, confirmauit Auguſtum Senatus. De Peſcennio Nigro teſtatur Aelius Spartianus cap. II. quod ab exercitibus Syriacis, quos regebat, dictus fuerit Imperator, a populo acclamatus Auguſtus. Exempla alia paſſim reperiuntur. Atque hæc prærogatiua nominis erat, vt ſeculo tertio notabilis eſſet differentia inter titulum Cæſaris & Auguſti. Nec etiam Reges alii facile titulo Auguſti vtebantur. Probauit enim celeberrimus Schurtzfleiſchius de titulo Auguſti §. XVI. Reges exteros Imperatoris nomen raro, Auguſti rariſſime, nec proprie, Imperatoris vero Auguſti nomen, nunquam vſurpaſſe.

§. VII.

§. VII. Nec tamen ſolo Auguſti nomine inſigniuntur Imperatores, ſed a multo tempore dicuntur Semper Auguſti. Sunt qui Accurſio attribuunt, quaſi is primus inuenerit. Boeclerus in notitia Imperii libro IV. cap. I. Fridericum I. voculum ſemper addidiſſe Auguſto nomini auctor eſt, imitatione Græcorum qui ſuum imperatorem ἀεὶ σεβαςὸν dixerint, vel ex opinione Conringii, ex conſilio Doctorum iuris Romani tum in Italia refloreſcentis. Sed longe eam reperimus antiquiorem. Primus, quem ita adpellatum reperimus, eſt Septimius Severus, in lapide Romano quem habet Gruterus p. CCLXXI. n. 4. vbi dicitur PROPAGATOR ORBIS AC ROMANAE REI. VICTOR AC TRIVMFATOR SEMPER AVG. Non ſolum in bellis ſuis felix erat, ſed ratio inde quoque videtur fuiſſe orta, quod poſt bellum Parthicum filium eius Baſſianum Antoninum, qui Cæſar adpellatus iam fuerat, annum decimum quartum agentem participem imperii & Auguſtum, inuito licet patre, dicerent milites. Spartianus in vita Seueri cap. XVI. & XVIII. Quare vt nihilominus aliqua differentia maneret, pater Seuerus poſtea dictus: Semper Auguſtus. Poſt hunc Diocletianus & Maximia-

Digitized by Google

ximianus in ſequenti lapide dicuntur Semper Auguſti p. cclxxix. n. 2.

IMPP. CAESS. VALER
IO. DIOCLETIANO. ET
AVRELIO. VALERIO
MAXIMIANO. PIISS. FE
LICIB. SEMPER AVGG.

§. VIII. Magis hic titulus inualuit adhuc ſeculo quarto, Conſtantius quippe Conſtantini M. filius, in litteris ad Saporem Perſarum regem dicitur, *Victor terra marique Conſtantius Semper Aug*. Theodoſius Iunior in Nouellis ſuis ſæpius hoc titulo vſus fuit. Sic etiam Symmachus II. ep. xxx. Theodoſium vocat *inuictiſſimum principem ſemper Auguſtum*. In plerisque etiam inſcriptionibus libri decimi talem titulum Imperatoribus fuiſſe tributum videmus. Iuſtinianus in conſtitutionibus ſuis. ſæpiſſime hunc titulum præ ſe fert, *Imp. Iuſtinianus, Pius, Felix, inclytus, victor ac triumphator ſemper Auguſtus*, vti ſtatim videmus in Conſtitutione de Iuſtinianeo codice confirmando.

§. IX. Temporibus Carolingicis varia tituli Imperatorii erat ratio, In renouatione teſtamenti Abbonis Patricii per Carolum Magnum facta, quam habet Mabillonius de re diplomatica libr. vi. n. lxii. talem titulum habet: *Carolus Imperator Auguſtus piiſſimus*

mus, a Deo coronatus, magnus, pacificus Imperator Romanum gubernans Imperium, qui & per miſericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum. Quem etiam titulum præferunt reliqua diplomata a Mabillono adducta. Eundem habemus titulum in epiſtola Caroli M. ad Odilbertum archiepiſcopum, apud Mabillonum analect. tomo I. p. 21. In plerisque Capitularibus a Balutzio collectis dicitur *Romanorum regens Imperium. Serenisſimus Auguſtus.* In charta vero diuiſionis ſeu teſtamenti Caroli M. quam habet Balutzius tom. I. Capitularium p. 439. & Pithœus in annalibus Francorum p. 283. dicitur: *Imperator Cæſar Carolus, Rex Francorum inuictiſſimus & Romani Rector Imperii, Pius, felix ac triumphator ſemper Auguſtus.* Hoc vnicum vero eſt diploma, quod vel apud Balutzium & Mabillonum vidèmus, in quo talem titulum habeat.

§. X. Ludouicus Pius in plerisque dicitur *H Ludouicus diuina ordinante prouidentia, Imperator Auguſtus*: *vel H Ludouicus Imperator Chriſtianiſſimus ac piisſimus.* In epiſtola vero ad Magnum, Archiepiſcopum Senonenſem *Glorioſisſimus H Ludouicus ſuperno munere victor ſemper Auguſtus* apud Balutzium tomo I. pag. 553. nec adhuc conſtitutionem alibi reperi vbi imperatores lineæ Carolingicæ dicti fuerint Semper Auguſti.

§. XI. Otto I. in conſtitutionibus ſuis hoc titulo iterum vſus fuit, quod videmus in conſtitutione de locatione & priuilegio Cameræ Imperialis Magdeburgenſis de anno 947. apud Goldaſtum conſtitut. Imper. tomo I. p. 213. Ottones & Heinrici reliqui modo Auguſtos, modo ſemper Auguſtos ſe dicunt. Henricus IV. in diplomatibus ſuis modo ſe regem, modo Imperatorem Auguſtum, modo ſemper Auguſtum ſe dicit, quod vltimum patet ex eiusdem reſcripto de receptione Clementis, Papæ, & reiectione Hildebrandi apud Goldaſtum tomo I. p. 243.

§. XII. A Friderici I. temporibus ſolenne fuit ſingulis, vt ſi non ſemper, ſæpius tamen hoc nomine ſemper Auguſti vterentur, quod teſtantur eorum diplomata. Ab iſto enim tempore titulus imperatoris talis: *diuina fauente Clementia Romanorum Imp. ſemper Auguſtus*, quem etiam in Aurea Bulla ſeruauit Carolus IV. Superiori vero & noſtro ſeculo inualuit, vt ſolum dicerentur Imperatores ſemper Auguſti.

§. XIII. Videmus exinde qua ratione a Rudolphi Habsburgici temporibus, quibus Germanicum idioma in imperio inualuit, Imperatores dicerentur *allezeit Mehrer des Reichs*. Scilicet, titulum ſemper Auguſti, quem ab augendo ſic dictum putabant, ita trans-

transferebant. Quam male autem id fiat ex anterioribus patet. Antiqua diplomata paullo aliter exprimunt, quod patet ex diplomate Caroli IV. monaſterio Doberlucenſi conceſſo anno 1373. quod primum eſt inter diplomata quæ in Codice MSto bibliothecæ Salanæ de eodem monaſterio extant, vbi dicitur *Karolus der virde von göttlicher Mildekeit Romiſchir Keyſer alletzyt eyn Merer des Rychis und Kunig zu Beheim.* Quod ſi rem accuratius penſitare velimus, Imperator Semper Auguſtus eadem ratione dicitur ac Sacrum Romanum Imperium, & ſanctum potius notat quam augentem, & melius transferretur *allezeit geheiligter Kayſer.* Quidquid tamen ſit, rem ſemel in Imperio receptam vane mutare non licebit.

OBSERVATIO XV.

De

VITA, MORTE, AC SCRIPTIS HVGONIS GROTII.

SVMMARIA.

§. I. *Grotii Natiuitas ac parentes.* §. *II. Ipſius ac Heinſii ingenium præcox.* §. *III. Grotius, adhuc puer, diſputat ac Notas in M. Capellam edit.* §. *IV. In Galliam abit, ibique Doctor*

ctor creatur. §. V. Aduocatorum Fiſci ordini adſcribitur. §. VI. ſyndicatus Roterodamenſis munus obtinet, ac in Angliam mittitur. §. VII. Redux vt reus criminis læſæ Mai. capitur. §. VIII. ad perpetuos carceres damnatur. §. IX. Fugam inde meditatur. §. X. eandemque capeſſit. §. XI. Hinc gratulationes eruditorum, ac præprimis Rutgerſii. §. XII. In Galliam proficiſcitur, ibique defenſionem ſcribit. §. XIII. In patriam redit, ſed exilio mulctatur. §. XIV. Fit Legatus Sueciæ eoque charactare Lutetiam repetit. §. XV. e Gallia Redux muneri reſignat. §. XVI. Iter in Belgiam parans naufragium patitur. §. XVII. Roſtochii morbo corripitur. Auberus notatur. §. XVIII. moritur. §. XIX. Epitaphium ipſius ac locus ſepulturæ adducitur. §. XX. ſcripta philoſophica recenſentur. §. XXI. it. iuridica. §. XXII. nec non theologica. §. XXIII. Eadem materia continuatur. §. XXIV. opera inedita referuntur.

§. I.

INter clara Batauorum lumina eminet præprimis ſeculi ſui phœnix Hugo Grotius. Natus eſt hic vir in Vrbe Delphis Batauorum Anno cIↃ Iↄ LXXXIII. die 10. Menſis Aprilis, tunc temporis reſurrectioni Dominicæ ſacro. Patre gauiſus eſt Iohanne de Groot ex ſplendida per aliquot ſecu-

ſecula familia Grotiorum oriundo, Vrbis Delphenſis Conſule ac Academiæ curatore: celebri ex multis epiſtolis Lipſii ad ipſum datis, nec non ex verſibus illuſtris Iani Douſæ, poetæ excellentiſſimi, nomini ipſius dicatis. Auum habuit Hugonem de Groot, qui ex illuſtri Cornettiorum gente prognatus, primus, *Guilhelmo Bateſio in Vitis ſelectorum aliquot Virorum* p. 421. teſte, Grotianum nomen in familiam ſuam transtulit, & literaturæ latinæ, græcæ ac hebraicæ fuit peritiſſimus. Patruus ipſius Cornelius Grotius, ſi *Ludouico Morerio p. 91. Tom. II. Dictionarii hiſtorici* fides habenda, Iura in Academia Lugduno-Bataua magno cum applauſu profeſſus eſt.

§. II. Laudatus pater Iohannes Grotius in puero præter morem excellens ingenium eminentesque ſpiritus deprehendens, in eo excolendo tantam diligentiam adhibuit, vt iam annum vix ætatis nonum attingens, vti ex *Vitis profeſſorum Leidenſium ab Andrea Clouequio 1613. Lugd. B. 4. editis diſcimus*, verſus funderet, adeoque, adhuc ſuperaret immortale gentis ſuæ Decus Danielem Heinſium, qui vndecimo ætatis demum anno, quod tamen non exiguus præcocis ingenii fructus, verſus fudit, vti ipſe in eleganti de puero elegia de ſe teſtatur hoc diſticho apud

apud *Saldenum de libris Lib. II. Cap. III. p. 367.* extante:

Qui nondum undecimum vidi tranſire Decembrem,
Hæc ego de puero carmina canto puer.

§. III. Quam celeriter autem artem poeticam aſſecutus eſt; tam cito etiam reliqua humanitatis ſtudia exhauſit, hincq; dignus iudicatus, qui ante duodecimum ætatis annum in Academiam Lugduno-Batauam mitteretur. Quam vix attingens tam ſtrenuam philoſophiæ, theologiæ ac iurisprudentiæ navabat operam, vt publice aliquoties de iisdem diſputare non vereretur. Præprimis ductu magni Scaligeri ibi excoluit philologiam, idque tanta felicitate, vt iam anno ætatis decimo quinto, *Iohanne Imperiali in Muſæo Hiſtorico p. m. 203. ac Guilhelmo Saldeno l. c. p. 368.* conſentientibus, egregium Martiani Capellæ opus notis ſuis illuſtratum, & ab innumeris mendis emaculatum in lucem emiſerit.

§. IV. Eodem anno in comitatum illuſtriſſimi Viri Iohannis van Oldenbarneuelt, Reipublicæ Hollandicæ Aſſeſſoris, & Ordinum Hollandiæ Legati ad Henricum Magnum Galliæ Regem proficiſcentis ſeſe dedit. Ibi non ſolum Iuris Doctor creatus eſt, verum etiam a Rege torque aurea, effigieque

que regia donatus. Ex gallia redux patris, verentis ne amœnioribus ſtudiis irretiretur ipſius animus, cura anno cIɔ Iɔ xcix. Hagienſium Aduocatorum ordini adſcriptus eſt: a quo tempore etiam ſtrenue cauſas egit, ita tamen vt non obliuiſceretur humanioris literaturæ, per quam Iano Douſæ, aliisque magni nominis viris, innoteſcebat.

§. V. Anno poſtea cIɔ Iɔ cvii, vt *Auctor vitarum Prof. Leidenſium* perhibet, omnium Hollandiæ ordinum ſuffragiis electus eſt ad Fiſci aduocationem, difficillimum in Belgio munus, quod præter cauſas proprie Fiſcales, criminum cauſas etiam continet. In hoc munere ita ſeſe geſſit, vt annuum ipſi ſtipendium, præter morem, non ſolum ſit auctum, ſed & vltro, vt Laudatus *Bateſius* l. c. memorat, locus in ſuperiore iudicum conſeſſu ſit promiſſus. Hoc officium ſuſtinens, cum animaduerteret Rempublicam intus concuti a quibusdam res nouas periculoſe molientibus, boni ciuis ratus pro virili occurrere, & ſtatum præſentem omnibus commendare, librum edidit *de Antiquitate Reipublicæ Batauicæ*. Vid. *Wittenius in Memoria Grotiana p. 555*.

§. VI. Cum autem per ſex annos officio ſuo in hoc munere ſatisfeciſſet; A. cIɔIɔcxiii. Elia Oldenbarneueldio Iohannis Oldenbar-

neueldi fratre defuncto, ei in Syndicatu Civitatis Roderodamenſis ſucceſſit. Cumque hoc tempore nouæ lites de dominio maritimo ac Commerciis Indicis inter Brittannos ac Belgas exſurrexiſſent; ad easdem componendas a Proceribus Belgii in Angliam miſſus eſt: vbi non ſolum ab omnibus eruditis, præcipue Iſaaco Caſaubono, verum etiam ab ipſo Britanniæ Rege Iacobo, tunc temporis literatiſſimo Principe, magno fauore exceptus ac dimiſſus eſt.

§. VII. Ab itinere redux ſtatum patriæ non paululum immutatum deprehendebat. Nam gliſcentes ac creſcentes indies de dogmatibus Iacobi Arminii profeſſoris Theologiæ Leidenſis, controuerſiæ, Belgii Proceres in duas partes diuiſerant: Mauritio Arauſionenſium Principe cum aliis a partibus Gomariſtarum, ſeu contra-Remonſtrantium ſtante, Oldenbarneueltio vero ac Hogerbotio ſyndico Roterodamenſi cauſas Arminianorum tuentibus. Hiſce cum Grotius acceſſiſſet, cum iisdem ſimul in ſuſpicionem conſpirationis aduerſus Mauritium Principem tentatæ venit: hinc, vt *Iohannes Vytenboegartius, in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Emanuel Meteranus Tom. II. Hiſtoriæ Belgicæ ad an. 1619. Iegerus part. I. Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. I. Cap. XIII. ac Auctor Theatri Europæi Tom. I, p. 286.* referunt, captus

captus Grotius, Oldenbarneueltius vero iam ſeptuagenario maior, capite plexus. vid. omnino *die Hiſtorie van het Leven en Sterven van Heer Iohan van Oldenbarneuelt Amſtel. 1648.* edita.

§. VIII. Poſtquam Grotius Hagæ Comitum arcta cuſtodia fuiſſet detentus, Iudicio ſeſe ſiſtere coactus eſt, in quo tanquam Maieſtatis reus ad perpetuos carceres damnatus, eiusque bona omnia publicata ſunt. Carcer ipſi deſtinatus erat in caſtello Lupeſteinio, belgice Loueſtein, ſito in ditione Hollandica inter flumina Moſam & Vahalim.

§. IX. Cum itaque in hoc carcere per ſesquiannos multa mala, ignominiasque a cuſtodibus patienter ſuſtuliſſet, earum ſatur, libertatisque amore captus, fugam meditabatur. Meditanti autem cum modus eam perficiendi non ſuccurreret; vxor ſua Maria Reigersbergia hunc ſuppeditauit, vt nempe ciſtæ, quæ transportandis libris iam aliquoties inſeruierat, incluſus, cum eadem e carcere transferretur. Dies fugæ deſtinatus erat *Emanuele Meterano in contin. Hiſt. Belgicæ* teſte, XXIII. Martii A. cIↃ IↃc xxI, quem feliciorem reddebat abſentia Centurionis, cuius cuſtodiæ Grotius erat creditus. Quæ abſentia cum ad aures Grotianæ Caiæ delata eſſet, hæc confeſtim ab vxore petebat, vt li-

libertatem nanciſceretur ciſtam libris onuſtam iterum e carcere deducere, ne ipſius maritus illis nimium inhærendo melancholiam ſibi contraheret.

§. X. Cum vero petitis Grotianæ, vxor Centurionis annuiſſet; illa Grotium, librorum loco, ciſtæ includebat, eamque ancillæ ope ex ergaſtulo deportare conabatur. Verum dum pondus ancillæ vires ſuperaret, militis cuiusdam operam efflagitare cogebantur, qui ingenti ciſtæ pondere nimium gravatus dicebat: *Hæc ciſta tam onuſta eſt, ac ſi Arminianus in ea latitat.* Ad quæ Grotii vxor reſpondebat: *Nec mirum: ſunt enim Arminianorum libri.* Et quamuis miles hac reſponſione non contentus, reſerationem ab vxore Centurionis peteret; repulſam tamen ab eadem, vt *Cl. Wittenius l. c. p. 557.* notat, referens, coactus eſt occluſam ciſtam in navem transportare, qua feliciter Grotius Gorichemum, proximum caſtello oppidum vectus eſt, inque domum delatus Davidis Dætzelarii. Ibi ſumpto cœmentarii cuiusdam habitu primo Walouicum, ac inde Antuerpiam, vti *Emanuel Meteranus in Contin. Hiſt. Belgicæ*, ac ipſe *Grotius cap. XVIII. Apologetici* ſui narrat, peruenit: vbi ſtatim feſtinanti calamo ad illuſtres Belgii Fœderati ordines ſequentes lineolas exarabat: *Li-*

ber-

bertatem quæſiui & inueni: Feci autem quod omnes creaturæ facere conſueuerunt. Impoſterum nihil aduerſus vos tentabo, Valete!

§. XI. Ex Belgio Lutetiam petebat: vbi, poſtquam a Rege beneuole exceptus, annuoque donatiuo honoratus eſſet, multis gratulationibus ob feliciter recuperatam libertatem multi eruditi eum proſecuti ſunt. Inter quas ob elegantiam ac comparationem inter Grotium ac Moſem inſtitutam notari meretur hæc, quam ipſi Ianus Rutgerſius miſit:

Quam bene conueniunt ſimili duo Numina fato,
Iſacidum Doctor, Grotiadesque meus?
Euaſit latitans anguſta Grotius arca:
Seruatus texo ſiminis ille fuit.
Huic Vahalis placidas ſubſtrauit fluminis vndas:
Hoc Nilus Moſe feceras ante tibi.
Excipit hunc Celtes, illum Regina Canapi;
Et reus hic patria eſt; & fuit ille ſua.
Par quoque Principium, ſimilis fortuna ſequetur:
Nam populo leges hic dabit; ille dedit.

Idem Rutgerſius ſequens tetraſtichon, ciſtæ inſcribendum adiecit:

Hæc ea, quæ Domini ſolita eſt portare libellos,
Grotiadæ fuerat pondere facta grauis.
Mutatum neque ſenſit onus. Quod enim illa ferebat,
Id quoq;, ſed SPIRANS, BIBLIOTHECA fuit.

§. XII. Inter Galliæ eruditos præprimis Grotius fauorem illuſtris Claudii Peireſcii ſenatoris Aquenſis, literarumque bonarum optimi fautoris, ſibi conciliauit, qui etiam Grotium vti *Auctor Bibliothecæ Vniuerſalis gallice conſcriptæ Tom. I. An.1683. p. 3.* teſtatur, ſæpiſſime Pariſiis viſitauit, ipſique ſuaſor extitit, vt libros de Iure Belli ac Pacis conſignaret. Cui operi antequam manum admoueret, conſultum ſibi videbatur, defenſionem ſuam parare, quam etiam breui poſt, ſub titulo *Apologetici* emittebat. Qui liber, cum in manus Procerum Hollandiæ perueniſſet, iique viderent in eodem arcana ſua detecta, eundem publice proſcripſere. Qua proſcriptione tamen, vt *Auctor vitæ ipſius T. I. oper. Theolog. præmiſſæ* ſcribit, nihil aliud actum eſt, quam vt Grotii fama inde illuſtrior ſit reddita, ac typographorum, eos libros vendentium, duplicatum lucrum.

§. XIII. Quum vero Grotius per vndecim annos in Gallia permanſiſſet, variisque editis libris, inter quos illi de *Iure Belli ac Pacis*, præcipuam laudem merentur, famam ſuam per vniuerſum litteratum orbem extendiſſet, multaque ſplendida officia a Duce Holſatiæ, Rege Poloniæ, ac Chriſtiano IV. Daniæ Rege ſibi oblata, vt ex *Gerhardi Ioh. Voſſii Epiſt. CCVIII. ac CCX. Tom. I. Epiſt. p. 246. 248.* extant:

tant: diſcimus, modeſte declinaſſet; patriam, eius, dulciſſimæque coniugis amore ductus, repetiit. Verum, vix eandem ſalutarat, cum illi, qui ante vndecim annos perpetuo illum carceri addixerant, cœteris deiectis ad honores ſummos peruenerant, eius præſentiam contra ſuum Intereſſe exiſtimantes, de exilio perpetuo quo Grotius mulctandus eſſet, iterum conſilia inirent. Et licet ipſi luculentum adfuerit patrocinium ordinis Equeſtris, ac Ciuitatum, Roterodamenſis, Delphenſis, ac Amſtelodamenſis; nihilominus tamen maior pars præualuit, eundemque perpetuo exilio, vti *Voſſius l. c. Ep. CLVIII. p. 210.* docet, damnauit.

§. XIV. Coactus ita de nouo illuſtris exul patriam relinquere, Hamburgum ſe contulit, quam vix ſalutarat, cum poſt obitum Guſtaui Magni Sueciæ Regis, a filia ipſius Chriſtina vt Conſiliarius regius expeteretur, & ad Galliarum Regem Ludouicum XIII. vt Legatus *Franciſco Swertio in Athenis Belgicis conſentiente*, mitteretur; frementibus interea in Batauo agro Grotii aduerſariis, qui omnes neruos intendebant, quo ipſum vt patria pulſum infamemque Galliæ Regi inuiſum redderent, ſed fruſtra: functus quippe hoc munere per vndecim annos, quibus e-

lapſis in Sueciam iterum proficiſcebatur, legationis ſuæ cauſas redditurus.

§. XV. Rationibus igitur legationis ſuæ apud Reginam expoſitis, pro immerito favore gratias egit, ſimulque dimiſſionem a demandato ſibi officio petiit. Ad quæ tamen, ſi Bateſio l. c. fides habenda, Regina ambigue reſpondit, vt non obſcure pateret, mentem Reginæ eſſe, Grotium diutius apud ſe detinere, propiusque ſuis conſiliis admouere. Quæ cum ſentiret Grotius, inuidiamque maiorem, (cuius ſcintillas quasdam iam tum in animis quorundam procerum Regni Suedici deprehenderat,) timens, non deſtitit coram Regina, quoties ad illam accederet, dimiſſionem ſuam petere. Quam etiam, vt quidam volunt, non ſine magno labore, impetrauit. Narrat quippe *Ludouicus Crocius in Epiſtola ad G. Ioh. Voſſium ſcripta, ac T. II. Epiſt. Voſſii p. 282.* ext; multos tunc temporis crediďiſſe, Grotium, ob fauentem pontificiorum dogmatibus animum, e gratia Chriſtinæ excidiſſe.

§. XVI. Grotius ita dimiſſus, ac reditum in patriam ſuaſu amicorum ac coniugis parans, cœlo ſereno ac fauentibus ventis Mari Baltico ſeſe commiſit. Sed breuis fuit hæc aeris ſerenitas. Sequente nempe die tanta tempeſtatis ſuboriebatur violentia, vt nauigium

gium concuſſum ac laceratum ad Caſſubiæ littora transiiceretur, Grotiusque exanimis pene mare relinqueret. Qui inde, licet languor corpus animumque occupaſſet, ruſtico vehiculo iter per octiduum continuabat, tandemque Roſtochium perueniebat.

§. XVII. Verum hic gradum ſiſtere cogebatur. Defatagitati ac fracti quippe ſpiritus, ſuadebant ipſi, vt Medicum, Doctorem Stockmannum ad ſe vocaret. Qui accerſitus, pulſu venæ obſeruato, magnamque laſſitudinem, viresque conſumptas, imo ſudorem lethalem deprehendens, de eius vita actum eſſe pronunciabat. Quibus verbis motus Grotius præſentiam D. Iohannis Quiſtorpii Theologi celeberrimi expetebat. Qui etiam ipſum adibat, deque pœnitentia ſeria admonebat. Non autem moribundum Grotium, vt *Auberus*, gallus vult, variarum religionum homines, vt Lutherani, Reformati, Pontificii, Sociniani, aliique ipſum conuenere, ac quilibet eorum, eum in ſuas partes trahere allaborarunt. Retulit quippe mihi vir magni Nominis ex alterius probatæ fidei ore, quique tunc temporis Roſtochii literis operam dedit, (vt abſentiam hominum eiusmodi Roſtochii taceam,) neminem, imo ne ipſum quidem D. Quiſtorpium ſciuiſſe, moribundum, Grotium

tium eſſe, antequam ipſe, cum Quiſtorpius in ſolatium ipſi exemplum publicani in memoriam reuocaſſet, pronuntiaſſet hæc verba: *Ego ſum ille publicanus Hugo Grotius.*

§. XVIII. Hæc & alia circa mortem ipſius memoratu digna, tradit laudatus *D. Ioh. Quiſtorpius, in peculiari apud Freherum in Theatro Vir. Illuſt. p. 1104.* extante *Epiſtola*, quæ integra hæc eſt: Contendis a me, vt perſcri-
„bam, quem mundo huic valedicturus lite-
„ratarum phœnix, *Hugo Grotius*, ſe geſſerit:
„En paucis id habe. Conſcenderat ille
„Stockholmiæ nauim, qua Lubecam ferre-
„tur: Vehementibus per triduum in mari
„iactatus procellis naufragium patitur, &
„æger ad Caſſubiæ littora appellit. Inde
„perquam incommodo curru, pluuia tem-
„peſtate, per 60. & plura milliaria tandem
„Roſtochium noſtrum deuoluitur. Diuertit
„ad Balemanniam. D. Stockmannum Medi-
„cum, aduocari curat, qui ætate, naufra-
„gio, incommodis itineris, fractas vires ad-
„vertens, vitæ terminum imminere præſa-
„git. Secundo ab ingreſſu in hanc vrbem
„die, (qui ſtyli vet. erat 18. Aug.) me hora
„nona veſpertina ad ſe vocat. Acceſſi,
„prope modum in agone virum conſtitutum
„offendi: compellaui, & me nihil maluiſſe
„affirmaui, quam vt mihi cum ipſo incolu-
„mi

mi ſermones ſociare licuiſſet. Regerit ille, „
ita Deo viſum fuit. Pergo, vt ad beatam „
emigrationem ſe componat, peccatorem „
agnoſcat, ſuper commiſſa doleat, moneo. „
Cumque inter loquendum publicani pec- „
catorem ſe fatentis & vt Deus ſui miſereretur, „
precantis meminiſſem; reſpondet: *Ego* „
ſum ille publicanus! Progredior ad Chriſtum, „
extra quem nulla eſt ſalus, illum remitto: „
ſubiicit ille: *In ſolo Chriſto omnis ſpes mea eſt* „
poſita. Ego clara voce precationem germa- „
nicam recitabam: HErr JEſu CHriſt waar „
Menſch und GOtt &c. Ille complicatis ma- „
nibus ſubmiſſa voce me inſequebatur. Cum „
finiuiſſem, quæſiui, an me intellexiſſet? „
Reſpondet: *Probe intellexi.* Pergo illa reci- „
tare ex verbo DEI, quæ iam iam morituris „
in memoriam reuocari ſolent: quæro, an „
me intelligat? Reſpondet, vocem tuam „
audio, ſed quæ ſingula dicis, difficulter „
intelligo. Cum hæc dixiſſet, plane con- „
ticuit, & ſpiritum breui poſt exhalauit, „
in puncto duodecimæ nocturnæ. Habes „
Cataſtrophen vitæ a Grotio ſummo Viro „
actæ. Cadaver Medicis poſt commiſſum eſt. „
Inteſtina lebeti aheneo impoſita, vt in „
templi apud nos primarii Mariæ virgini ſa- „
cri locum honoratiſſimum reponerentur, „
a templi præfectis facile impetraui. Molli- „

„ ter cineres cubent! Vale, dabam Roſto-
„ chii, propriedie Michaelis An. 1645.

§. XIX. Hactenus Quiſtorpius. Cadauer ipſum balſamo conditum in vrbem Delphos translatum, ibidem magna exequiarum pompa proauorum ſepulchro mandatum eſt. Epitaphium ipſi poſitum ipſe aliquot annis mortem ſuam præcedentibus compoſuit, vti ex *Epiſtola ad Fratrem ſuum Guilhelmum Grotium data, quæ Tom. II. Epiſtol. Grot. p. 915.* continetur, liquet; Eſt autem ſequens:

Grotius hic Hugo eſt, Batauum captiuus & exul,
Legatus Regni, Suedia magna Tui.

§. XX. Scripta, quæ Grotius poſteritati reliquit, ſunt in triplici differentia: vel enim ſpectant ad philologiam, philoſophiam, ac hiſtoriam, vel ad iuriſprudentiam, vel denique ad theologiam. Inter ſcripta prioris generis primum poni meretur, primus ingenii ſui fœtus, *Notæ nempe in Martiani Capellæ Satyricon ad Lugd. B. 1599. 8.* Hæc ſequuntur: *Notæ in Arati phænomena ed. 1600. 4; Adamus Exul, Tragœdia*, aliorumque eiuſdem generis carminum cumulus, *Hagæ 1601. 4. poemata Lugduni Batauorum 1639. 8, Pariſ. 1645. 12, Amſtelod. 1670. 12.* edita; *Excerpta ex Comœdiis & Tragœdiis græcis verſibus latinis reddita, Pariſ. 4. 1626; Commentarius in Iani Douſæ Chroni-*

nicon Hollandiæ Lugd. B. 1617. Lucretius cum notis ac variis Lectionibus Lugd. B. 1626. 8; Hiſtoria obſidionis Bredæ, Antwerpiæ f. eod. anno; *Obſidio Grollæ f; Notæ & emendationes in Tacitum Lugd. B. 1640, 12, Venetiis 1645, Amſtel. 1649. 12. & 1673. 8; De antiquitate Reipublicæ Batavicæ, Lugd. B. 1610. 4;* in quo libro tamen amore patriæ abreptus, eidem plura quam par eſt, tribuit, deque antiquo eius ſtatu non pauca immiſcuit. Hoſce excipiunt: *de origine rerum Americanarum Amſtel. 8. 1643.; Annales Belgici, ſeu Hiſtoria Belli Belgici Amſtel. 1655, 1657, 1658. fol. Notæ in Hiſtoricos Gothorum, Vandalorum & Longobardorum Amſtel. 1655. 8; Diſſertatio de ſtudiis inſtituendis ib. 1645. 12.* præprimis notari meretur liber, quem in gratiam ſocietatis indicæ ſcripſit, cui titulus: *Mare liberum*, ac edit. *Lugd. B. 1609. Amſtel. 1632. 8. & 1633. 12,* cui libro inſurrexit ipſius æmulus Ioh. Seldenus in *Mari Clauſo Londini 1636.* vulgato; contra quem tamen accerrimus Grotii Defenſor Theodorus Graswinckelius *1653. 8. vindicias Maris liberi* luci exponebat, refutandas eodem anno a Seldeno *vindiciis Maris Clauſi, Londini 4.* Huc referendæ ſunt etiam *Epiſtolæ Grotii II. Tom.* iunctim *1686. fol.* editæ, in quibus, vt incomparabilis *Morhofius lib. I. pol. cap. XXIV. p. 294.* iudicat, multa philologica, politica, theologica, aliaque

maxime notatu digna, ac de libris iudicia continentur. *Epiſtolæ* eiusdem *ad Gallos* varie editæ ſunt: vltima editio prodiit curante Geſſenio *1674. 12. Lipſiæ.*

§. XXI. Inter opera iuridica eminent: *de Inleydinge tot de Hollandſche Rechtsgelehrtheit, Delph. 1655. 4, Harlemi 1639, Amſtelod. 1637, 1667. 4, Hagæ Comitum 1631. 4; Florum Sparſio ad Ius Iuſtinianeum Amſtel. 12. 1643, Pariſ. 1643. 4.* Huc etiam trahi poterunt elegantiſſimi libri III. *de iure Belli ac Pacis*, quos inſtigante Peireſcio dicauit nomini Ludouici XIII. Gall. Regis: prodiere *Pariſiis 1625. 4, Francofurti 1626, Amſtelod. 1632, 1642, 1646, 1651, 1660, 1663, 1667, 1670, 1701. 8. & ibid. 1696. fol.* cum not. var. ac G. van der Muelen. Illuſtrarunt libros hoſce notis ſuis varii: nempe, Ioh. a Felden, Ioh. Henr. Boeclerus, qui tamen tantum librum I. ac cap. 7. lib. II. abſoluit, Caſpar Zieglerus, Ioh. Adamus Oſiander, Henricus Henninges, & neſcio quo fato Valentinus Velthemius, Georgius Kulpiſius, Chriſtfriedus Wachtlerus, Ioh. Georgius Simonis, Obrechtus, Teſmarus, ac cum Iohanne Friederico Gronouio noviſſime Guilhelmus van der Muelen. Huc etiam pertinet liber *de æquitate, indulgentia & facilitate*, quem Nicolaus Blancardus ex codice deſcripſit, ac ante aliquot annos edidit.

§. XXII.

§. XXII. Theologicorum operum numerus philoſophicorum ac iuridicorum numerum longe excedit ; edita autem ſunt iunctim amſtelod. 1679. fol. tribus Tomis. Quorum I. complectitur *Annotata in Pentateuchum*, *libros Hiſtoricos*, *Prophetas & Apocrypha*, antea *Pariſiis fol. 1650.* & Tomum II. faciunt *Notæ in IV. Euangeliſtas*, alias *Amſtelod. 1641. 4. ed*; *Notæ in Acta, omnes Epiſtolas ac Apocalipſin.* Tomus III. continet librum *de veritate Religionis Chriſtianæ*; antea *Lugd. B. 1633, 1640, Amſtel. 1662, 1674. 12, Pariſiis 1650. f. ibid. 1640, Oxonii 1660, & Amſtel. 1696. 8.* latine editum, ac in Anglicam, Germanicam, Belgicam, Gallicam, Arabicamque linguam verſum; *pietatem ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ*, quam contra Sibrandum Lubbertum Theologiæ prof. ſcribentem, *ab ordinibus Hollandiæ non errores ſed hæreſes in Eccleſiam induci*, in cauſa Arminianorum ſcripſit. Quum vero Lubbertus hanc pietatem nouo ſcripto aggrederetur, refutauit eundem iterum Grotius in libro, etiam in hoc Tomo extante, cui rubrica: *Bona Fides Lubbrandi.* Nec Lubbrandus ſolus ſe huic pietati oppoſuit. Fecit enim idem Iohannes Bogermannus in *Annotationibus ad pietatem ordinum Hollandiæ ed. Amſtel. 1614. 4*, cui cum Grotius *in pietate vindicata* reſponderet, Bogermannus iterum, tecto

tecto licet nomine, 1618. Leidæ aliam refutationem ad Grotii reſponſionem emittebat.

§. XXIII. Extant porro in hoc Tomo ſequentes: *Decretum ordinum Hollandiæ ac Weſtfriſiæ pro pace Eccleſiarum*, a Grotio auctoritate Scripturæ S. Conciliorum ac patrum firmatum, vna cum eiusdem *defenſione*; liber *de Imperio ſummarum Poteſtatum circa ſacra* edit: *etiam Pariſiis 1637, 1648, Hagæ 1652. & 1661. 8. Defenſio Fidei Catholicæ de ſatisfactione Chriſti aduerſus Fauſtum Socinum ed. Lugd. B. 1617. 8*, ac defenſa a Gerhardo Iohanne Voſſio in peculiari Reſponſo ad Iudicium H. R. pro libro Hugonis Grotii; *Conciliatio diſſidentium de re prædeſtinaria ac gratia opinionum*; *Diſquiſitio an pelagiana ſint ea dogmata, quæ nunc ſub eius nomine traducuntur*; *Philoſophorum veterum ſententiæ de fato, & quæ in noſtra ſunt poteſtate*; *Commentatio ad Loca quædam* (nempe ad Cap. II. Ep. II. ad Theſſ. Cap. II. Ep. Iohannis com. 18, & Cap. XVI. Apocal.) *N. T. quæ agunt de Antichriſto*, vna cum *appendice ad eadem*. In quibus annotationibus tamen nimium papizat vt Samuel Mareſius in *Concordia Diſcorde & Anti-Chriſto Reuelato in Hugonis Grotii appendice ad interpr. Loc. N. T. de Antichr. duobus libris Amſtelod. 1642. 8.* editis, erudite probat. Sequitur in eodem

Tomo

Tomo *Diſſertatio de Cœna adminiſtratione vbi paſtores non ſunt*, edit. etiam ſeparatim *Amſtelod. 1646. 8*; nec non tract. de quæſtione : *An ſemper communicandum per ſymbola* ; *Explicatio trium vtiliſſimorum locorum* (Cap. I. Ep. ad Epheſ. Cap. II. com. 15. Ep. Jacobi Cap. III. 1. Ep. ad Ioh.) *de Fide ac Operibus*, *Amſtelod. 1640. 8*; *via ad pacem Eccleſiaſticam*, quæ etiam lucem vidit *Amſtelod. 1642. 8*, in qua iterum pontificiis addictum animum non parum prodit, hinc cum in eam Andreas Riuetus *Animaduerſiones* vulgaſſet, in easdem Grotius alias *animaduerſiones*, quæ itidem in hoc Tomo conſpiciuntur, editæque primum *Amſtel. 1642. 8.* conſcripſit ; quæ cum Riuetus de nouo in quodam *Examine* diluiſſet, contra hoc Examen Grotius iterum *1645. 8. Amſtelodami Diſcuſſionem* emiſit, quæ etiam huic Tomo inſerta eſt, vna cum tractatu *de ſummo ſacerdotio* ; *de dogmatis ritibus & gubernatione Eccleſiæ Chriſtianæ* ; *& de dogmatis, quæ Reipublicæ noxia ſunt, aut dicuntur.*

§. XXIV. Inter opera ipſius inedita referuntur in Vitis Profeſſorum Leidenſium, *Commentationes in leges quasdam difficiliores*, l. Mater ff. de inofficioſo teſtamento. l. frater a fratre ff. De cond. ind. l. Eius qui ff. de rebus cred. l. Lecta eodem tit. l. gallus ff. de lib. & poſth. l. Filius C. Familiæ Herciscundæ

dæ & alias quasdam iuris partes. Porro huc pertinet, *Comparatio Rerum Publicarum, Athenienſis, Romanæ Veteris, & Batauicæ; Notæ in Hymnos Orphei; Illuſtratio Hiſtoriæ Moſaicæ ex ſcriptis Ethnicorum; Annales Belli Belgici a digreſſu Philippi II. Regis in Hiſpaniam libris XXIII.* Quæ ſcripta omnia a Chriſtina Sueciæ Regina, vt ex ipſius epiſtola ad viduam Grotii ſcripta ac apud *Bateſium* ext. patet, a vidua Grotii magno pretio ſunt empta, ac in Bibliothecam Holmienſem translata. An vero ſpes aliqua literatis ſuperſit eadem luci expoſita aliquando videre, an vero in nupero Holmienſi incendio flammis cum aliis libris conſumpta ſint? determinare non poſſumus. Reſtarent quædam de Religione Grotii dicenda. Verum cum tempus nobis nondum permiſerit, omnia Grotii ſcripta percurrendo ex iis eandem eruere, de eadem in alia Obſeruatione, Deo clementer annuente, fuſius agemus.

OBSERVATIO XVI.

De

IVRE CAESARIS IN EPISCOPOS ET EPISCOPATVS GERMANIAE.

SVMMARIA.

§. I. II. *Creditum hactenus fuit, Imperatores poſt renunciationem ab Henrico V. factam*

ctam Calixto Papæ, perdidiſſe ius in Epiſcopos Germ. §. III. Tabulæ renunciatoriæ Henrici non præiudicant ſucceſſoribus ipſius. §. IV. Lis inter Imperatorem & Papam tunc de 3. fuit capitibus. §. V. Imperatores ſemper elegerunt Epiſcopos, inde vero id iuris conceſſum quodammodo Capitulis Germ. §. VI. Fuit tamen electio ſemper inſtituenda dirigente & comprobante Cæſare. §. VII. cum hic ſit Aduocatus & Patronus Eccleſiarum Germ. §. VIII. IX. Hinc nec Imperator tenetur indiſtincte admittere Coadiutores Epiſcopatuum, a Papa licet confirmatorum in ſpem futuræ ſucceſſionis. §. X. Inueſtitura Papæ per baculum & annulum hodie cum regimine ſeculari nil commercii habet. §. XI. Eſt ea ſaltem ſacramentum ordinis. §. XII. Papæ quondam dominatum affectantes in partes ſuas pertrahere ſtudebant nobiles. §. XIII Concedenda tamen erat Imperatoribus inueſtitura per ſceptrum. §. XIV. Qua adminiſtratio regiminis ſecularis confertur, & Epiſcopi vaſalli Imperatoris ac Imperii fiunt. §. XV. Agnoſcunt ideo Epiſcopi iudicia Imperii, & banno notari poſſunt §. XVI. Quare per pacta Calixtina parum amiſſum videtur, & facile quidam Epiſcopatus per pacem Oſnabr. ſeculi iure donati.

§. I.

Decantatiſſima circumfertur querela, ac ſi Imperatores Romani, vbi iuri *inueſtiendi epiſcopos per annulum & baculum*

lum renuntiarunt, eamque facultatem in epiſcopos Romanos transtulerunt, maximam partem maieſtatis ſuæ amiſiſſent, quin totum ius regium quod in conſtitutione epiſcoporum tam Francis antiquis, quam Germanis olim competiit, & adhuc de iure competit, pedibus proculcaſſent. Sic enim ipſe *Onuphrius Panuinius in vita Gregorii Septimi*, ait: *Imperatores Romanos amiſſis prælatorum inveſtituris, maiorem Imperii ſui meliorem fortioremque partem deperdidiſſe, & maximarum calamitatum ſeminarium feciſſe* &c. & congeſſit in hanc rem *Henricus Meibomius, pecul. diſſ. de iure Inueſtit. Epiſcop.* quæ extat *T. 3. Rer. Germ. p. 107. ſeqq. & Herm. Conring. Exercit. acad. de Conſtitut. Epiſcop. th. 44. ſeqq.* omnia fundamenta & rationes quibus hæcce quam præſupponunt iactura extolli & deplorari apta ſit.

§. II. Res ipſa continetur in Tabulis inter *Henricum* Imperatorem & *Calixtum* Pontificem Anno 1122. eapropter confectis, & quas exhibet, *Schilter l. l. P. T. 2. tit. 13. Meibomius d. l. p. 179.*

§. III. Tabulæ hæ renuntiatoriæ an inter *concordata Nationis Germaniæ*, cum vi tantum & ſeditione nonnullorum Epiſcoporum Germaniæ ſint extortæ, nec ab omnibus Statibus Germaniæ approbatæ, referri poſſint, nunc non diſputo, telam hancce texuere iam

iam *Dn. Schilter de Libert. Eccleſ. Germ. L. 4. c. 5. Strauch. Diſſ. Exot. 4. th. 21. Textor Iur. Publ. Cæſar. tit. XI. Conring. animaduerſ. in Bull. Innoc. X. c. 7.* eſtque iam expeditum iura Imperii, quæ ad imperium ſpectant, & quorum exercitium electo Imperatori eousque dum regimini præeſt, commiſſum, in *præiudicium ſucceſſorum* nunquam poſſe *perpetuo* abdicari, ſed manere vnam eandemque maieſtatem, quæ ſicuti Ottonibus & Henricis competiit, ita adhuc noſtris Imperantibus, niſi in quantum Capitulationibus & Legibus Imperii eſt reſtricta, integra ſupereſt, hodiernisq; regentibus non poſſe præiudicare, quod anteceſſores ſuis iuribus non ſemper & omni tempore *vſi* fuerint, *M. Anton. de Domin. de Rep. Eccleſ. Lib. c. 8.* & imprimis L. 9. *Textor. d. l. c. XI. Rhet. I. I. P. L. I. t. q. d. 62.*

§. IV. Id potius ſuſtinere audeo non eſſe illis pactis Calixtinis tantam iacturam Cæſareis iuribus illatam ac vulgo circumfertur, quin potius ſtantibus quoque illis pactis, ampliora adhuc ſupereſſe iura Imperatoribus circa Epiſcopos & Epiſcopatus Germaniæ, ac vulgo creditur, puto. Si enim integram litem, quam Cæſar & Papa illis pactis ſopiri voluerunt accurate perpendimus, illa ſuper tribus capitulis præcipue agebatur, (1) *circa electionem epiſcoporum, eiusque modum,* (2) *cir-*

ca inueſtituram cum annulo & baculo, (3) *circa regalia & prædia temporalia quæ epiſcopatibus acquiſita, eorumque inueſtituram.*

§. V. De omnibus ſeparatim agamus, vt deinde colligere poſſimus, quid vtrique parti conceſſum vel non conceſſum fuerit: Et primo de *Electione* agamus *ipſa*. Non vero ſolum Cæſares Romani ſed & alii Principes & Reges qui τὸ κύριον in Republica habebant, ab initio libere epiſcopos inſtituebant, ceu de Gallia *Duarenus de Sacris Eccleſ. Miniſtr. L. 5. c. 11. p. m. 312.* & de aliis *Conring. de Conſtit. Epiſcop. th. 3. 4. ſeqq.* prolixe demonſtrant. Idem & quidem ampliori iure de regibus Germanis dicendum. Sic enim *Arnoldus Continuat. Chronic. Sclauic. L. 3. c. 17.* Imperatorem in hæc verba loquentem inducit: *Sciatis, quia dum pro voluntate Imperatoris iſta diſpenſarentur, plures iuſti ſunt inventi ſacerdotes, quam hoc tempore, quum per electionem inthronizantur;* & *Cranzius in Metropol. L. 2. c. 29. Ne mireris, lector, ab Imperatore conſtitututum epiſcopum. Ferebant hoc illa tempora, quando etiam ſummorum Pontificum conſtituendorum deſtituendorumque habebant arbitrium, quod temporum neceſſitas ferebat; Non erat capitulis vt nunc electio libera, non erat confirmatio apoſtolica neceſſaria, quem princeps elegerat, is erat Pontifex, conſecrandus a vicinis*

epi-

Digitized by Google

epiſcopis ; Erat longa ſuper hoc iure concertatio inter ſacerdotium & regnum ; Hoc duo Henrici, pater & filius, hoc idem duo Friderici auus & nepos defendere ac tueri quærebant ; ſed vicit gladius Eccleſiæ, perfecitque vt ius ſuum Eccleſiis relinquerent Imperatores &c. Igitur ab vna parte Imperatores prætendebant liberam facultatem conſtituendi, & deſtituendi epiſcopos, absque cleri & populi conſenſu, ab altera parte ob metum, quem dicebant, ſimoniæ, Pontifices cum ſuis aſſeclis clero nempe Germano, vrgebant liberam ſeu canonicam, electionem epiſcoporum, remoto Imperatore; Ergo ſecundum naturam transactionis iure aliquo dato, aliquo retento, fuit inter partes transactum; Electionem quodammodo conceſſerunt Imperatores Romani non tam Pontificibus, quam capitulis Germaniæ, ceu demonſtrant verba famoſe illius transactionis. „Et concedo in omnibus Eccleſiis, quæ vel in regno vel imperio meo „ſunt, canonicam fieri electionem, & NB. „liberam conſecrationem, Non tamen vt „dixi *abſolute* in Germania *circa modum electionis* IVRE REGIO ET PATRONATVS, ſe abdicauit Imperator Fridericus hacce transactione, ſed ſalua ſibi cæteroquin iura Regia & Patronatus reſeruauit ; Illa itaque iura cum conſiſtant in *expreſſo conſenſu & ap-*

 pro-

probatione ſummi Principis in perſonam electam; ſalua ea remanſerunt penes Germaniæ Imperatores, & ab hiſce quoque hactenus exercentur. Verba ſic ſonant: „Ego Calixtus „ſeruus ſeruorum Dei dilecto Filio Henrico „Dei gratia Romanorum Imperatori Augu„ſto concedo electiones Epiſcoporum & Ab„batum Teutonici Regni qui ad regnum per„tinent NB. *in præſentia tua fieri*, abſque ſimo„nia, & absque vlla violentia, vt ſi quæ in„ter partes diſcordia emerſerit, Metropoli„tani & *Prouincialium Conſilio* & iudicio, ſa„niori parti ASSENSVM & AVXILIVM „præbeas.

§. VI. Subſtantialiter itaque circa electionem Epiſcopi germani *præſentia & auctoritas Cæſaris vel ipſius Legati* requiritur, non vt aſſideat, ſed vt ipſam electionem dirigat, & comprobet: *Poſtulat* enim *hoc pietas chriſtiani Principis Imperatoris, qui caput totius orbis chriſtiani, vt de re tam graui imprimis in imperio Romano ſollicitus ſit, quo ad publicam & ſuorum ſubditorum ſalutem promouendam idoneus præficiatur epiſcopus*, inquit, *Ictus Gallus anonymus in Exam. Concil. Trid. p. 130.* conf. *Conring. de Conſtit. Epiſcop.* th. 47. & imprimis *Marcus Anton. de Dominis de Rep. Eccleſiaſt. L. 6. c. 7.* quod Imperatorum Intereſſe agnouit & olim *Onuphrius Panuinius in hiſtoria Vit. Gregor. III.*

edit.

edit. Grezerianæ fol. 262. dum Imperatoris mentem circa haſce electiones detegit, in ſequentibus verbis. *Accedit quod maxime Cæſarem angebat, quod ſi Epiſcopi Germaniæ & Italiæ cum ab Imperatore electi & inueſtiti eſſent, vix in officio contineri poterant, ne contra ipſum varias & frequentes ſeditiones molirentur, quid deinceps facturi eſſent ſi omnino ex Imperatoris poteſtate eruti & liberati eſſent, & in cuiusuis Eccleſiæ vel Capituli poteſtate eſſet nobiliſſimi & potentiſſimi Epiſcopatus antiſtitem quempiam Imperatori hoſtem acerrimum eligere, qui maximæ deinde Imperii ruinæ cauſa eſſet.* Hanc inſolentem cleri poſtulationem nullo modo Henricus tolerabat, Id quod & vrſit *Dn. Hertius in Orat. quam de controuerſia de Electione Archiepiſcop. Colon. anno 1689. habuit*, & *quæ inter opuſcula eius p. 465. extat*, quando ait: *Ecquis vero credat Imperatores ita penitus iure ſuo deceſſiſſe, vt electos quosvis, etiam ſibi inimicos ſuſciperent, & regalibus donarent, eos præſertim qui dignitates Imperii præcipuas gerunt; arcaniſque eius incumbunt? id ſane affirmabit nemo qui cum animo cogitauerit ex ſolenni Ictorum verbo, abdicationes ſtrictius eſſe interpretandas, vt ſcilicet quam minimum lædant ius abdicantis.*

§. VII. Non itaque ſolum vt Princeps & magiſtratus ſupremus electioni Epiſcoporum adhuc præſidet Imperator per legatos *Textor*

 J. Publ.

J. Publ. Cæſar. t. XI. §. 84. ſed etiam vt *Aduocatus* & *Iure Patronatus*. Cum enim non ſolum vigore *Capitulationis Leopoldinæ art. I.* aduocatus totus Eccleſiæ Catholicæ audiat, ſed & plerique Epiſcopatus Germaniæ ex liberalitate Regum Germanorum creuerint, inque illis ipſis ius patronatus illis adhuc competat, neceſſario ſequitur Imperatoris Germaniæ conſenſum tanquam *Patroni* in conſtitutione epiſcoporum Germaniæ adhuc eſſe neceſſarium; In hoc enim conſiſtere iura patronatus præcipue, vt circa electionem vel conſentiat vel diſſentiat, & ſua Nominatione illam demum approbet, iuris eſt tritiſſimi. Quod vero Reges Germani ius Patronatus habeant in Epiſcopatibus Germaniæ, indubitatæ eſt veritatis. Duos teſtes tantum adducam, vnum *Leopoldum de Babenburg Tr. de Zelo vet. Princip. Germ.* c. 8. vbi fatetur, *Reges & Imperatores non tam virtute dicti priuilegii papalis ſcilicet, quam ex hoc quod erant vt plurimum patroni ſeu dotatores Eccleſiarum cathedralium, & maiorum monaſteriorum Germaniæ, inueſtituras Epiſcopatuum facere conſueuerunt*; alterum *Conringium diſſ. de Conſtit. Epiſcop.* th. 48. vbi pluribus hoc thema pertractat,

§. VIII. Quæ cum ita ſint, facile colligere poſſumus, nec Cæſarem teneri ad agnoſcen-

ſcendum coadiutorem Epiſcopo Germano datum, licet a Papa confirmatus, vti dicunt, ſit, ſi ſentiat, vel Eccleſiæ vel Reip. talis Coadiutoris admiſſione damnum imminere. Si enim, ceu *Petrus Gregor. Tholoſanus*, de *Benefic. Eccleſ. c. 24.* vt illum allegat *Schilter. not. ad Concord. Nat. Germ. th. 9*, aſſerit, poſt electionem factam ex rationabili & euidenti cauſa de digniori & vtiliori perſona papa poteſt providere, quid obſtat quo minus ex eadem cauſa Imperator, cui maiora & ampliora iura circa epiſcopatus Germaniæ competunt, illum non admittat ad Epiſcopatum regendum in Germania, quem ob duplicem perſonam quam gerit ille poſtulatus, ciuem non idoneum ſentit Germaniæ?

§. IX. Quamuis enim Coadiutorem dare cum futura ſucceſſione ſit vna ex maioribus cauſis *c. 1. de Cleric. agro vel deb. in 6t.*, quæ ad Pontificem Romanum ſpectant, nec facile vbi ſemel Cæſar illam Coadiutoriam approbauerit, pœnitentiæ locus videatur, cum res, vti dicunt, non amplius ſit integra, & nemini ius ſuum ſemel quæſitum nec a principe tolli poſſit, attamen cum omnes actus ciuiles ſemper intelligantur ſub hac clauſula *rebus in eodem ſtatu permanentibus*, omnesque collationes & confirmationes fiant *ſaluo iure regio & ſalua dignitate Imperii*, vtpote quæ

clauſula & in pacto Calixtino fundatur, *verb. & quæ ex his iure tibi debet faciat*, merito concludimus Cæſari licere Coadiutorem approbatum, ſi exiſtente caſu & tempore actualis vacantiæ Epiſcopatus regno Germaniæ moleſtus iudicetur, vel ſi periculoſum iudicet Cæſar tot epiſcopatus contra inſtituta veteris Eccleſiæ & canones vni conferri, illum antea poſtulatum Coadiutorem in epiſcopum non admittere. Quod & praxi Germaniæ omnino conueniens: ita enim apud *Goldaſtum T. III. Conſtitut. Imperial.* legimus exiſtimaſſe Imperatores, & olim non fuiſſe iniquum electiones reſcindi, ſi electum non ſatis aptum illi muneri inueniſſent, vt ſcilicet ſalua maneat ſalus imperii. Verba apud Goldaſtum ita ſonant: *Fratres quibus a noſtra anteceſſorum noſtrorum liberalitate conceſſum eſt, habeant licentiam eligendi paſtorem inter ſe qualemcunque voluerint, ita tamen, ſi talis inter eos inueniatur, qui vita & moribus probatus habeatur ſalua in omnibus diſpoſitione noſtra imperiali.*

§. X. Sufficiant hæc de Electione & modo eligendi. Iam ad alterum membrum dictæ Capitulationis Calixtinæ, nempe *inueſtituram cum annulo & baculo* pergamus. Hæc quippe *inueſtitura corporalis* vti *M. Ant. de Dominis l. c. §. 15.* illam nominat, lapis offenſionis perhibebatur, a qua tanto impetu arcere impera-

Digitized by Google

ratores conati ſunt Papæ, quos ab Electione nullo modo excludi poſſe confitebantur, ceu de Vrbano Papa *Ivo Epiſtola 6.* aſſerit. Non inficiandum, hanc inueſtituram cum annulo & baculo olim ab imperatoribus ceu ſignum collati muneris epiſcopalis adhibitam fuiſſe, imo conſtat, quosdam Imperatores non virgula illa ſeu baculo & annulo, ſed & alio ſigno nempe chirothecæ porrectione conſtituiſſe vel inueſtiuiſſe epiſcopos, ſic enim *Gobelinus Perſona Cosmodrom. ætat. 6.* c. 82. de Meinwerko Epiſcopo Paderborn. refert: *Meinwercus a Rege Henrico epiſcopatum per chirothecæ traditionem ſuſcepit*, quin & verbis nudis absque ſolenni inueſtitura conſtitutos fuiſſe antiquos Germaniæ epiſcopos reperire licet. *Inueſtitura* itaque *cum annulo & baculo*, vti hodie a Pontificibus Romanis expeditur, differt non ſolum ab electione, ſed ab ipſa confirmatione, & quam maxime a collatione regiminis Eccleſiaſticorum bonorum, & *eſt nihil aliud, quam ſolennis actus quo declaratur, facultatem ſpirituales functiones* die Geſtligkeith *exercendi iam eſſe Epiſcopo cum conſenſu Principis electo, & per nominationem iam confirmato, ab Eccleſia collatam* ſic vt tota illa inueſtitura cum regimine ſeculari nihil commercii habeat, ſed illud regimen ſeculare quoad regalia & bona Epiſcopatus ab inueſtitura perſceptrum pri-

vatiue dependeat. Teſtantur id ſatis clare querimoniæ ipſorum Pontificum in hanc rem conſcriptæ, quæ vnice eo collimant, ac ſi per hæc ſymbola *annuli & baculi* facultas *ſacramenta adminiſtrandi & oues paſcendi, conferretur*, vid. *Conring. de conſtit. Epiſcop. th. 35.* & *Meibomius* d. l. Spectant huc quoque proculdubio verba *M. Anton. de Domin. de Rep. Eccleſ. L. 6. th. 88.* quando ait: *alia eſt inueſtitura quæ epiſcopum perficit, alia vero quæ epiſcopum paſcit, illa ex iure diuino habetur, iſta ex iure humano, ſubtrahe ius diuinum ſpiritualiter Epiſcopus non creatur, ſubtrahe ius humanum poſſeſſiones amittit, quibus ipſe corporaliter ſuſtentatur, non enim poſſeſſiones haberet Eccleſia, niſi a Regibus donarentur, & ab ipſis non quidem DIVINIS SACRAMENTIS, ſed poſſeſſionibus terrenis inueſtirentur.*

§. XI. Quare aſſentiri non poſſum illis qui docent Inueſtituram illam cum baculo & annulo denotare *abſolute* actum Maieſtaticum, qui alias ab illo exercetur, qui τὸ κύριον in Republica habet; quin potius dico inueſtituram illam Pontificalem *improprie* dici inueſtituram, & nihil aliud eſſe quam *ſacramentum ordinis*, ceu id affirmant formulæ in *Rituali Romano* compræhenſæ, de quibus vid. *Caniſius Inſtit. I. Can. L. 2. t. 8. Speidel. Specul. voc. ordinis & Inueſtituræ:* Nec enim derogat Maieſta-

ſtati ciuili ſi illa ſacro ordini Eccleſiaſtico concedit, vt caput ordinis Eccleſiaſtici Epiſcopos & abbates inueſtiat, & facultatem ſacra obeundi conferat, modo perſona illa inueſtienda conſenſu Principes approbata & confirmata fuerit.

§. XII. Id tamen diſſimulandum non eſt *pratenſam illam ſpiritualitatẽ quam manibus laicorum conferri ſacris canonibus repugnare clamabant Pontifices*, veram non fuiſſe tanti tumultus cauſam, ſed alia ipſis mente erant abdita conſilia; nempe *dominatum papalem* vbi meditabantur, illi adſtruendo & firmando, *potentia & numerus aſſeclarum* requirebatur. Cum itaque viderent, Principes & nobiles Germaniæ vix æquo animo ferre, vt dignitates Epiſcopales & Abbatlæ *hominibus plebeiis pietate & eruditione tamen praecellentibus* ſola gratia a Cæſaribus conferrentur, Nobilitatem in ſuas partes trahere nitebantur, hinc odium erga Cæſares Nobilitati inſtillabant, & vt auram ipſius captarent, non ſecus ac Abſolon vbi patrem Dauidem de throno deiicere animus erat, aures illi benignas præbebant, querimonias eiusdem tanquam iuſtas approbabant, (de quibus videatur *Theganus de geſtis Ludewic. Imperat.* §. *43. 44. 50.* veſtigia adhuc extant in *I. P. O. art. 5.* §. *17.* ibique *Buckisb. Not. p. 160.*) omne huius rei malum in Cæſares

res deriuabant, hoc Nobilitatis germanicæ perniciem eſſe vociferabant,& quod hæc cura Eccleſiaſtica non Capiti Eccleſiæ comitteretur,ſed contra Canones illi eriperetur ingemiſcebant, *priſcos mores, priſcos mores, priſcos mores Eccleſiæ* iterata vice vrgebant. Germani ſtudiorum expertes, & in factiones procliues hanc occaſionem ſe a poteſtate Imperatoris *liberandi* ambabus quod aiunt manibus arripiebant; palam in Cæſares inſurgebant, aulam deſerebant, & ſicuti mos eſt hominum, vbi ſentiunt ſe horum vel illorum opera non amplius indigere, illos deſpiciunt. Ita & nobiles putabant vbi immediate a Cæſaribus Eccleſiaſtica beneficia non dependerent, nec eſſe cauſam, cur illos venerentur. Expreſſit id eleganter *Nicolaus Burgundus L. 1. Hiſtor. Bauar.* initio his verbis. *Nam Eccleſiaſtici proceres nullo amplius beneficii vinculo, nullo amicitiæ nexu imperatoribus obſtricti, inter corruptos ſeculi mores paulatim intumeſcere, faſtigio illudere, rerum arbitrium, publica fata in ſe transferre, principatum abdicare pro libidine, nemine aduerſante, cum ferociſſimi Procerum in partes, cæteri terrore, vecordia, poſtremum & pecunia auerterentur. Inde tot imperatores præcipitati de culmine, alii in turbas factioneſque diſtracti, Imperium vero ipſum continuis agitatum pontificum procellis, fœde nundinationibus expoſitum, donec ad vltimum externarum gentium ludi-*

Digitized by Google

ludibriis euileſcens omne decus Maieſtatis amitteret. Mox: *Nobilium animi ab imperatore auerſi, nam & locus referendæ gratiæ in aula deerat, ignauumque otium infructuoſæ militiæ præferebant, languentibus per diſcordiam legibus, quæ feuda eriperent bellum detrectantibus, Liberorum multitudo quam militia exonerare conſueuerat, priore ſpe & vtilitate propellebatur in Eccleſiam, venatura Epiſcopatus ſacerdotaleſque dignitates &c.* Hæc ille.

§. XIII. Hanc vafritiem Romanæ aulæ cum bene perſpicerent Romani Cæſares, alia via opus eſſe putabant. Cum enim ipſi Pontifices & imprimis Paſchalis pleno ore confiterentur repugnare fidei Catholicæ, quod Epiſcopi Ducatus, Marchionatus, villas, caſtra, comitatus, telonia & mercatus teneant a principibus, id Cæſarei arripiebant, hancque feudorum dimiſſionem a perſonis Clericis imprimis vero ab Epiſcopis ſerio vrgebant. Hinc lachrymæ, hinc fremitus. Aſt cum principes ſuis poſtulatis inhærerent, res non poterat aliter euenire, quam vt Pontifices Regalium & poſſeſſionum terrenarum inueſtituram & quidem mediante ſceptro Regibus Romanis vel inuitis dentibus aſſerere cogerentur. Sic enim ſonant verba dicti Pacti Calixtini: „Electus autem Regalia per ſceptrum a te recipiat „exceptis omnibus, quæ ad Romanam „

Ec-

„Eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex
„hoc iure tibi debet, faciat.

§. XIV. Videamus itaque paucis quid inveſtitura illa per ſceptrum autoritatis tribuat Cæſaribus in Epiſcopatus & Epiſcopos Germaniæ. Conferri vero hac inueſtitura per ſceptrum totam adminiſtrationem epiſcopatuum, & regiminis ſecularis, adſtruimus, quod & quondam iam confeſſus *Otto Friſingenſis de geſtis Frid. I. L. 2. c. 1.* quando ait: *Epiſcopatum conferri ab Imperatore per ſceptrum, regna per gladium, & prouincias per vexillum*, ſed & fieri hac infeudatione regalium & poſſeſſionum terrenarum, non ſolum epiſcopos Germaniæ homines ſeu vaſallos Imperatoris & Imperii, ipſi Epiſcopi iam ab antiquo confiteri neceſſe habuerunt, ceu ex illis, quæ collegit *Hertius de Feud. obl. P. I. §. 16. & imprimis §. 15.* videre licet. Epiſcopos enim ſuos epiſcopatus Regibus in feudum obtuliſſe, adeoque inæquali fœdere tantum iunctos eſſe Cæſari, vix quiſquam iuris Germanici peritus ſerio affirmabit. Porro hac inueſtitura demum fieri Principes & ciues Reip. Germanicæ exinde patet, quod non expectata inueſtitura Romana per annulum, modo per ſceptrum inveſtiti fuerint, Comitia frequentent Germaniæ, & ipſis Electionibus Imperatorum, Electores Eccleſiaſtici aſſideant, quamuis

Con-

Conſcerationes ceu functiones Eccleſiaſticas, quas ipſis demum inueſtitura cum annulo & baculo tribuit, peragere non valeant, *Hert. diſſ. de vno hom. plur. ſuſtin. perſon. th. 6.* Eitel Fr. von Heerden in der Grundfeſt des H. R. R. P. 1. c. 5.

§. XV. Duplicem itaque cum perſonam gerant Epiſcopi Germaniæ, duplicem etiam agnoſcunt iudicem, & quidem in ſecularibus Cæſarem, *Cocceius Iuriſpr. c. 17. Sect. 1. §. 37.* de quo vid. & *Merckell. ap. Klock. V. 1. Conſ. 14. n. 71.* daß im H. Reich deutſcher Nation die Biſchoffe nicht bloßlich vor geiſtliche / ſondern auch vor weltliche Stände anzuſehen / und nicht weniger denen weltlichen Chur- und Fürſten vom H. Reiche und der K. M. mit Landes / Chur- und Fürſtl. Obrigkeit / Regalien Herrligkeit und andern weltlichkeitliche belehnet ſeyn / derowegen auch wieder ihre in cauſis profanis eröffnete Urthel die Appellationes an die höhere weltliche Gerichte / und gar nicht an ihre geiſtlichen Gerichte vorgenommen werden / conf. *Conring. diſp. de iudiciis Reip. Germ. th. 73.* ex quibus & hoc porro fluit, quod epiſcopi Germaniæ, vbi legibus imperii non obtemperant Capitulationes cum Capitulis initas pedibus calcant, monitoria Cæſaris deſpiciunt, *banno contumaciæ in bona Epiſcopatus Camera & iudicium auli-*

cum

cum progredi poſſit: Rhet. d. I. P. L. 4. t. vlt. §. 17. cum hocce bannum contumaciæ a *banno delicti*, quod *in corpus delinquentis datur*, & quo quis *dignitate perſonali exuitur*, quodque non niſi cum conſenſu Electorum infligitur, *Capitul. Leopold. art. 28.* plane differat, *Cocceius d. l. c. 32. §. 12.* Ex quo porro & hoc fluit poſſe & Cæſarem Epiſcopo refraganti adminiſtrationem regalium quæ ab imperio tenet in feudum, durante contumacia adimere, nec in Comitiis per legatum admittere; Exemplum verbis *Conringii in animadv. ad Bullam Innoc. X. c. 7. §. vlt.* afferam: *Cui rei probandæ ſatis eſt exemplum bonorum Hildesheimenſis Epiſcopatus, quæ propter delictum Epiſcopi & Capituli banno imperiali a Carolo V. fuerunt proſcripta ad ſecularium bonorum inſtar, & conceſſa in feudum occupantibus.*

§. XVI. Tanta ergo autoritas cum Regibus Germaniæ, tam quoad Conſtitutionem ſeu electionem Epiſcoporum, quam quoad deſtitutionem eorum ab epiſcopatuum adminiſtratione competat, non eſt cur tantas nectant querelas noſtri de pacto Calixtino. Deceſſit aliquid abſoluto arbitrio Regnantium, imo acceſſerunt emolumenta non minima aulæ Romanæ, ſed tamen ſua iura Regia præcipua ſarta manſerunt adhuc Regibus Romanis, ſic vt non plane a veritate aberrauerit,

quam-

quamuis in omnibus illi non ſit ſubſcribendum. *M. Anton. de Dominis de Rep. Eccleſ. L.6.c.8. th.117.* dicens: *Inueſtituras per annulum & baculum libenter ſicut & Anglorum Rex conceſſit Papæ Imperator, h. e. nudas & puras illas depoſuit ceremonias baculi & annuli, electiones tamen vt ſine ipſo non fierent, voluit, & ipſius eſſet inueſtituras facere, non per annulum & baculum, ſed per ſceptrum, o iterum inſignem Papæ victoriam! electiones prius liberæ erant, & imperator ſola contentus erat inueſtitura per baculum & annulum, nunc electio fit ſerua, & non ſine imperatore, inveſtituraque nihilominus manet per ſceptrum & per baculum, imminutus duntaxat labor imperatoris, vt ſceptro leuiori vteretur, baculum deponeret.* Hoc ſaltim addo, hanc inueſtituram per ſceptrum præcipuam cauſam fuiſſe, cur tot Archiepiſcopatus Pace Oſnabrugenſi inſalutato Pontifice Romano, tanquam feuda Imperii, ſeculariſata & Epiſcopis ademta fuerint. *Conring. animaduerſ. in Bull. Innoc. X. c.* 7. Si enim, quod *Veſpaſianus* Iudæis exprobrauit, Templo Hieroſolymitano combuſto ſacerdotibus non opus erat, nec feuda Imperii Euangelicæ religioni addictis Principibus collata epiſcopis opus habent, quibus Inueſtitura ſua cum annulo & baculo Pontifex ſacramentorum adminiſtrationem indulgeat.

OBSERVATIO XVII.

De

CLERI ROMANI CONTROVERSIA CVM CLERO GERMANICO CIRCA MVSICAM ECCLESIASTICAM.

SVMMARIA.

Cantica Bellica variorum populorum. Barditus Germanorum. §. I. Canticorum eiusmodi vſus antiquus in Sacris Germanorum Chriſtianorum §. II. Bardi dicti quaſi Venerabiles. Origo artis cantandi apud Germanos vltra tempora Ottonum repetenda. Lis Italorum & Germanorum ſub Carolo M. de præſtantia cantandi. §. III. Cantores Metenſes poſt Romanos pro optimis habiti. §. IV. Frigidora & Occidentenæ Toni Muſici. Quatuor olim Toni cogniti. Diſcantus. §. V. Germani ob cantilenas Romæ hæreſeos accuſati, ſcilicet ob nouos tonos inuentos §. VI. Melodiæ Clementis Maroti notatæ a Maimburgio quod non conueniant cum tono Gregoriano §. VII. Stultitia Romani ſeu Italizantis directorii, Muſicam Theatralem & Satyricam inuehentis in Eccleſias noſtras. §. VIII.

§. I.

ANntiquos Celtas & Germanos, cum adhuc pagani eſſent, præliis præcinuiſſe,

Bar-

Barditoq; ſuo, h. e. *ſolenni* in hanc rem confe-ᶜto *carmine*, quale in libro *Sam. 2. c. 1. §. 18. Carmen* ARCVS, reperitur, conf. *Dn. Morhoff* von Unterricht der deutſchen Poeſie *L. 2. c. 6. p. 287.* accendiſſe animos pugnantium auctor eſt *Tacitus de Moribus Germ. diſſ. 1. c. 3. §. 4. Dn. Wagenſeil. Tr.* von der Meiſter Singe Kunſt *c. 4. Meibomius V. I. Rer. Germ. p. 786. & alii:* Sed & certa melodia ad artem compoſita ſ. certis *tonis* carmina illa protuliſſe colligere licet ex Taciti verbis, quando d. l. ait: *Nec tam vocis ille quam virtutis concentus videtur, affectatur præcipue aſperitas toni, & fractum murmur obiectis ad os ſcutis, quo plenior & grauior vox repercuſſa intumeſcat*, quod explicat *Appianus in Parthicis*, in hunc modum *Craſſus iuſſit eos clamorem tollere, in quo maxime militum mœſtitia deprehenſa eſt, exilem &* DISSONVM *clamorem edentium, contra a barbaris clarus & fortis eſt redditus*, quæ carmina equidem in ſcripturam redacta fuiſſe non puto, ſed *memoriæ* tantum tradita a ſenibus fuiſſe iunioribus *Strauch. diſſ. de Moribus Germ. 1. c. 3. §. 4.* ex *Cæſare* probat, qui *magnum*, inquit, *numerum verſuum ediſcere coguntur, itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent.*

§. II. Sed & cum religioni Chriſtianæ manum darent veteres Germani ſacra carmina ad artem compoſita fudiſſe reperire licet.

Sic enim de *Francis Trithemius*; *Mos erat Maioribus noſtris vt heroum facta vel dicta memoratu digna per ſacerdotes templorum patriis commendarentur carminibus, in quibus diſcendis, cantandis & memorandis iuuenum excitarent ingenia, quæ conſuetudo multis durauit annis, nec hodie defecit, cuius rei teſtes ſunt ſacri Pæanes, de Incarnatione, morte ac reſurrectione Ieſu Chriſti &c.*

§. III. Equidem qui famoſos illos Cantores germanicos die Meiſter Sänger cum *Bardis gallicanis* antiquioribus (quorum nomen a *Veneratione* deſcendere volunt, quaſi dicas die Werden / quia *Sacerdotes* erant, ſicuti & adhuc noſtris temporibus *Venerandum Miniſterium* dicitur, *Meibomius p. 3. Rer. germ. p. 56.*) comparant, originem artis cantatoriæ ad tempora Ottonum referunt, aſt fabulam illas traditiones ſapere non absque fundamento adſtruit *Autor* der Monatl. Unterredung *de ann. 1691. p. 918.* & *Morhoff.* im Unterricht von der deutſchen Poeſie *P. 2. c. 6.* Si enim antiquiora monumenta euoluimus, reperire licebit iam Caroli M. tempore, Francos ſ. Germanos chriſtiana doctrina imbutos cantilenas ad certos *tonos* compoſitas ececiniſſe, quamuis ab Italis Romanenſibus eapropter conuitiis excepti, eisque palma dubia in hac arte reddita fuerit, Elegans locus in hanc rem reperitur apud *Autorem* qui *litem*

Ca-

Digitized by Google

Caroli M. deſcripſit, & *in Vol. Rer. Germ. a Ioh. Schilt. anno 1702. edit. fol. 45.* extat, ita autem ille. Ecce orta eſt contentio per dies fe-„ ſtos Paſchæ inter cantores Romanorum &„ Gallorum, dicebant ſe Galli melius cantare „ & pulchrius quam Romani. Dicebant ſe „ Romani doctiſſime cantilenas Eccleſiaſti-„ cas proferre ſicut docti fuerunt a ſancto „ Gregorio Papa, Gallos corrupte cantare, „ & cantilenam ſanam deſtruendo dilacera-„ re; Quæ contentio ante dominum Regem „ Carolum peruenit, Galli vero propter ſe-„ curitatem domini Regis Caroli valde ex-„ probrabant cantoribus Romanis. Romani „ vero propter auctoritatem magnæ doctrinæ „ eos ſtultos, ruſticos & indoctos veluti bru-„ ta animalia affirmabant, & doctrinam ſancti „ Gregorii præferebant ruſticitati eorum. „ Et cum altercatio de neutra parte finiret, „ ait dominus piiſſimus Rex Carolus ad ſuos „ Cantores: Dicite palam, quis purior &„ quis melior, aut fons viuus, aut riuuli eius „ longe decurrentes. Reſponderunt omnes „ vna voce, Fontem, velut caput & origi-„ nem puriorem eſſe; riuulos autem eius „ quanto longius a fonte receſſerint, tanto „ turbulentos, & ſordibus ac immunditiis „ corruptos. Et ait dominus Rex Carolus, „ reuertimini vos ad fontem ſancti Gregorii, „

„ quia manifeſte corrupiſtis cantilenam Ec-
„ cleſiaſticam; Mox petiit dominus Rex Ca-
„ rolus ab Adriano Papa cantores, qui Fran-
„ ciam corrigerent de cantu: At ille dedit
„ ei Theodorum & Benedictum Romanæ
„ Eccleſiæ doctiſſimos cantores, qui a S. Gre-
„ gorio eruditi fuerant, tribuitque Anti-
„ phonarios S. Gregorii, quos ipſe notaue-
„ rat nota Romana. Dominus vero Rex
„ Carolus reuertens in Franciam, miſit vnum
„ Cantorem in Metis ciuitate, alterum in
„ Sueſſionis ciuitate, præcipiens de omnibus
„ ciuitatibus Franciæ magiſtros ſcholæ An-
„ tiphonarios eis ad cerrigendum tradere,
„ & ab ipſis diſcere, cantare; correcti ergo
„ ſunt Antiphonarii Francorum, quos v-
„ nusquiſque pro arbitrio ſuo vitiauerat, ad-
„ dens vel minuens, & omnes Franciæ can-
„ tores didicerunt notam Romanam, quam
„ nunc vocant notam Franciſcam, excepto
„ quod tremulas vel vinnulas, ſiue colliſibi-
„ les vel ſecabiles voces in cantu non pote-
„ rant perfecte exprimere Franci naturali
„ voce barbarica, frangentes in gutture vo-
„ ces quam potius exprimentes. Maius au-
„ tem magiſterium cantandi in Metis ciui-
„ tate remanſit; Quantumque magiſterium
„ Romanum ſuperat Metenſe in arte cantile-
„ na, tanto ſuperat Mentenſis cantilena cæte-
„ ras ſcholas Gallorum &c. §. IV.

§. IV. Gallorum ſub nomine Germanos comprehendi cum doctis iam dudum annotauit *Meibomius Hiſtor. Bardew*, quæ extat *Tom. 3. Rer. Germ. p. 55.* & Metenſis vrbs vbi ſedem fixerunt hi Itali miſſionarii id comprobat: Hiſtoriam rei fuſius enarrat *Eckardus Iunior Libr. de Caſibus Monaſt. S. Gall. c. 4. p. 28. in T. 1. Rer. Alemanr. Goldaſti*, cuius verba cum rei dilucidandæ proſint, huc tranſcribimus. Ita autem ille: Karolus Imperator cognomine „ M. cum eſſet Romæ, Eccleſias Ciſalpinas vi- „ densRomanæ Eccleſiæ multis modis in can- „ tu, vt & Iohannes ſcribit, diſſonare, rogat „ Papam tunc ſecundo quidem Hadrianum, „ cum defuncti eſſent quos ante miſerat Gre- „ gorius vt idem mittat Romanos cantus gna- „ ros in Franciam; Mittuntur ſecundum pe- „ titionem Regis Petrus & Romanus, & can- „ tu & ſeptem liberalium artium paginis ad- „ modum imbuti, Metenſem Eccleſiam vt „ priores adituri, qui cum in Sectune lacu- „ que Cumano aere Romanis contrario „ quaterentur, Romanus febre correptus vix „ ad nos vſque venire potuit; Antiphonari- „ um vero ſecum, Petro renitente, vellet, „ nollet, cum duos haberet, vnum S. Gallo „ attulit: In tempore autem domino ſe iu- „ vante conualuit; Mittit Imperator celerem „ quendam qui eum ſi conualeſceret nobis- „

 cum

„ cum ſtare noſque inſtruere iuberet; Quod „ ille quidem Patrum hoſpitalitati regratiando libentiſſime fecit &c. &c. Dein vterque „ fama volante ſtudium alter alterius cum audiſſet, æmulabantur pro laude & gloria naturali gentis ſuæ more, vter alterum transſcenderet, memoriaque eſt dignum quantum „ hac æmulatione locus vterque profecerit, „ & non ſolum in cantu, ſed & in cæteris doctrinis exercuerit. Fecerat quidem Petrus „ ibi iubilos ad ſequentias, quas Metenſes vocant; Romanus vero e contra Romane nobis & amœne de ſuos iubilos modulauerat, „ quos quidem poſt Notkerus, quibus videmus verbis ligabat, *Frigidoræ* autem & *occidentenæ*, quas ſic nominant iubilos illis animatus etiam ipſe *de ſuo excogitauit*. Similia fere *Eckardus Minimus de vita Notker. c. 8. §. 9. P. 2. Rer. Alem. Gold. p. 231.* refert.

§. V. Per *Frigidoras* & *Occidentenas* tropos & modos muſicos quos *Tonos* appellant, indigitatos fuiſſe pluribus comprobat *Goldaſtus Not. & Gloſſ. in h. l. p. 113.* Quatuor itaque cum ab initio eſſent *Toni* quos Romanenſes in Alemanniam attulerunt, factum vt ab his quamplurimi noui toni eſſent adinuenti & adiecti, ceu & *Petrus Herp. Monachus Dominic. in Chron. Francof. ad ann. 1360:* annotauit, his verbis: *Muſica ampliata eſt, nam noui*

noui Cantores ſurrexere & componiſtæ, & figuriſtæ inceperunt alios modos aſſuere. Inter hos *tonos* an non *Diſcantus* quaſi Thuiſconum ſ. Germanorum cantus, appellationem a Germanis nactus, aliis diiudicandum relinquo. Videatur de cætero de hiſce variis tonis, & quam diuerſo iudicio præſertim a Monachis ſedi Romanæ addictis excepti fuerint *Goldaſtus d. l.*

§. VI. Ideoque forſan non improbabile, poſſe ex hiſce declarari traditionem, quam & dominus *Wagenſeil, Tr.* von Meiſter Sängern *p. 503.* habet, quando Germanos putat Romam vocatos, ibique hæreſeos poſtulatos, ob cantilenas ab ipſis confectas, in opprobrium Sedis Romanæ. Ego quidem non puto illos ob ipſas cantilenas, ſed ob nouos ab ipſis inuentos *tonos*, quos grauitati *Gregor. Antiphonarii* Romanenſes clamabant repugnare, inuidiam incurriſſe Romanenſiū Papicolarū. Firmant me quæ hactenus dixi, & pluribus a Goldaſto *d. l.* illuſtrantur, ſed &, quod nouis illis cantilenis Germanorum ſemper peculiaris *tonus* præſcriptus, v. g. im langen Thone/ im kurtzen Thone/ die Schnecken Weiſe ꝛc. ꝛc. vid. *Wagenſeil. d. l. p. 534.* ſic, vt ferme innumerabiles *tonos* finxerint & refinxerint noſtri Phonaſci.

§. VII, Sed & firmant me, quæ habet *Albertus Stadenſ. in Chron. ſuo. p. 234. Edit. Schilt*. Cum narrat, quod Papa in Wormatienſibus Comitiis cum ſuis Italis grauiter in Diaconum quendam exarſerit, quod non *Romano more*, ſed ex conſuetudine Germanorum lectionem Euangelii decantaſſet vocis ſonoritate, quæ res occaſionem forte dedit in nouos illos Phonaſcos inquirendi, eosque ad tribunal Papale trahendi. Inuidum quippe ſuum Zelum Pontificium circa monopolium artis Cantatoriæ, nec noſtro tempore celare potuit pater *Meambourg. Hiſtoir. du Calvin. L. 2. p. 99.* Cum enim *Clementem Marot Gallum* nigro vbique notaſſet lapillo, omneque conuitium in dogma ipſius conieciſſet, tandem & *Melodias*, quas in componendis *Pſalmis Dauidis* adhibuit, ea propter taxat, quod Romanenſium methodo Gregorianæ non correſponderent, ita enim ſonant verba; Or ce ſont la les Pſeaumes qv' on chantoit alors, auquels Beze ajouſte depuis le reſte du Pſautier, & qui furent mis en Muſique en un certain air de chanſon mol, & effeminé, qui n' a rien du tout de deuot & de Majeſtueux comme le chant de l' Egliſe Catholique regle par Saint Gregoire.

§. VIII Hoc certum, Italos Romanos hodiernos a *Gregoriana* methodo canendi iam in to-

totum abiiſſe, dolendumque ipſos Germanos non *tonos* illos *ſimplices phonaſcorum Veterum* in Eccleſiis retinuiſſe, ſed iam ipſos Italorum monopolium ipſo facto probare, dum ad illorum methodum ferme omnes cantilenas in templis forment, in tantum vt *B. Brunnemann Jur. Eccleſ. L. 1. n. 6. c. 8.* ibique Not. *Dn. Stryckius theatralem clamorem* illas cantilenas recte vocauerint. Verum ſi B. Vir in noſtra tempora incidiſſet, quo quæſo illos nomine inſigniuiſſet ROMANOS GERMANOS, qui ſpiritu & ſenſu forſan abundantes, *Satyras* easque illepidas plane & difficiles publice in templis *γνησίοις* Lutheranorum in proprium opprobrium & tædium auditorum cantari curant? *Iohannes Auentinus* equidem in *annal. Bo- ior.* refert quod iuſſu Regis cuiusdam Germani *Satyræ* compoſitæ fuerint in eos, quos ad meliorem vitam reducere volebant, ſed hæ *Satyræ* tantum noctu, quando lumina accenſa & fores clauſæ, in plateis decantatæ fuerunt, vnde & Geſang Lichter appellatas dicit *Morhoff.* in Unterrichte von der D. S. *P. 2. c. 6. p. 285.* In templis vero Satyras cantatas eſſe hiſtoriæ non probant. Sic ut potius eiusmodi ſatyræ *ad lucernas noctem illuſtrantes* ex templis relegandæ ſint, vbi famam autorum, ſi quæ eſt, illuſtrare, & *fidem*, quæ rara in

hoc

his terris eſt auis, quærere magis poſſunt, quam vt iis cultus diuinus celebretur.

OBSERVATIO XVIII.

IO. LAVNOII CONSTANTIENSIS, PARISIENSIS THEOLOGI, DE VERA CAVSA SECESSVS S. BRVNONIS IN EREMVM DISSERTATIO.

Σύνοψις.

Qvid hac diſſertatione ſibi velit Launoius, §. I. Cur a nobis recenſeatur, §. II. Eius occaſio, §. III. Tractandi hoc argumentum, quam tenet, ratio, §. IV. Probat Launoius falſitatem narrationis primo ex ſilentio illorum, qui eius mentionem facere debuiſſent, ſpeciatim ipſius Brunonis, §. V. tum aliorum, tum maxime Guiberti Abbatis de Nouigento, §. VI. VII. Reliqua, ad quæ prouocat, teſtimonia, ſummatim indicantur, §. VIII. Deinde reſpondet ad teſtimonia quæ ſecus ſentientes proferunt, ſpeciatim Io. Gerſonis, §. IX. Cuius locus quidam ſingularis expenditur, §. X. item ad teſtimonium Antonini Florentini, §. XI. & reliquorum, §. XII. Vlterius ad rationes Andreæ Sauſſai, reſpondet, ſpeciatim ad traditionem, §. XIII. ad figuras & imagines in libellis precationum §. XIV. item, ad auctoritatem magiſtrorum, & mutationem

nem, quæ in lectionibus eccleſiæ Pariſienſis pro defunctis, contigiſſe videtur §. *XV. ad picturam, quæ in monaſterio quodam conſpicitur*, §. *XVI.* & *denique, ad teſtimonium Cæſarii Heiſterbacchenſis.* §. *XVII. Probat quoque Launoius ſententiam ſuam ex ſilentio Hiſtoricorum recentiorum, qui huius res meminiſſe debuiſſent*, §. *XVIII. Polycarpum de la Riuiere malæ in ſcribendo fidei*, & *Theophilum Raynaudum, ſumma in exſcribendo credulitatis conuincit*, §. *XIX.* Επίκρισις *generalis de hac controuerſia*, §. *XX.*

§. I.

CArtuſienſium ordinem a Brunone Remenſis eccleſiæ magiſtro & cancellario, in rupe altisſima & aſperrima gratianopolitanæ diœceſeos, cui *Carthuſia* (la chartreuſe) nomen, adiuuante Hugone Gratianopolitano A. MLXXXVI. inſtitutum eſſe, recepta fert opinio, colliguntque illud ex Guigone Priori carthuſienſi in vita Hugonis cap. 3. Seceſſui Brunonis in eremum occaſionem dediſſe damnati doctoris aut canonici Pariſienſis horrendas in feretro voces, dum ſolennes exequiæ celebrarentur, & caneretur lectio: *reſponde mihi*, inclamantis prima die: *iuſto Dei iudicio accuſatus ſum*, altera die: *iuſto Dei iudicio iudicatus ſum:* tertia demum die: *iuſto Dei iudicio damnatus ſum:* multi aſſeruere, nonnulli negarunt. Ioannes

annes autem Launoius, vir doctus & cordatus, de quo plura forte dicendi alibi recurret occaſio, in præſenti libro, cuius paucis exhibere ſummam animus eſt, erudite oſtendit, neutiquam hanc fuiſſe Brunoni cauſam ſecedendi in eremum, &quicquid de magiſtri iſtius Pariſienſis anaſtaſi dicitur,fabulam eſſe,præ tereaque nihil.

§. II. Eo magis autem conſultum duxi libri huius mentionem facere, quod tam altas de canonico illo ſeu doctore Pariſienſi fabula in multorum animis egerit radices, vt paſſim a noſtratibus etiam Theologis in concionibus ad eam prouocetur. Quo ipſo hoc demum efficiunt, vt ſi qui intelligant fabulas & commenta ad metum hominibus incutiendum proferri, vbi ſerio de emendandis corrigendisque vitiis agitur, nec ea quæ certa ſunt, credant, vocentque omnia in dubium. Non indiget vero Chriſtiana religio eiusmodi hiſtoriolis, & ſi qui Moſen & diuinos vates non audiunt, ſcripturæque ſacræ comminationibus ad ſtultitiam ſuam agnoſcendam ſe induci non patiuntur, dubito, an iſtiusmodi narratiunculis transferri ab impietate ad meliorem frugem poſſint. Sed ad rem ipſam accedimus.

§. III. Occaſionem ſcriptionis Launoius a Theophilo Raynaudo ſibi ſuppeditatam eſſe, pro-

profitetur, qui in ſuo, *aduerſus ingenia fortia Antemurali* doctoris iſtius Pariſienſis anaſtaſin pro cauſa receſſus Brunonis in eremum allegauerit. Quo ipſo ſimul Breuiarii Romani correctionem, qua hæc de iſto Pariſienſi doctore narratio ſublata atque reiecta erat, defendit. Addit Io. Baptiſtam Guesnæum, cuius ingenium hoc in Antemurali, edendumque librum valde prædicauerat Raynaudus, ab illorum partibus ſtare, qui Romanum Breuiarium correxerunt, & iſtam narrationem inter fabulas reputant.

§. IV. Duo autem, vt quod cupit, obtineat, auctor ſibi euincenda ſumſit: vnum eſt, Brunonem ex rediuiuo Pariſienſi doctore, qui æternis ſe damnatum ſuppliciis aſſeruiſſe dicitur, non cepiſſe occaſionem inſtituendæ religionis ſuæ; alterum, apud antiquos omnes auctores rata non eſſe quæ de eo doctore narrantur. Vtrumque, cum vnum ex altero fluat, iunctim, inuictis teſtimoniis comprobat.

§. V. Primo prouocat ad teſtimoium ipſius Brunonis, Cartuſianorum Inſtitutoris, qui in epiſtola, quam ex Calabriæ finibus ad Rudolphum Viridem Remenſis eccleſiæ Præpoſitum ſcripſit, exponens, vbi & qua ratione e ſeculo receſſerit, occaſionem a ſe ſumptam profitetur ex quodam de falſis huius mundo oble-

oblectationibus, & veris vitæ æternæ gaudiis, Brunonem inter & Rudolphum, non Lutetiæ quidem, ſed Remis habito colloquio, canonici autem iſtius ſeu doctoris Pariſienſis ne verbo quidem meminit. Reſpondet ad hoc Andreas Sauſæius in didaſcalica de cauſa converſionis Brunonis epiſtola, potuiſſe plures adeſſe cauſas, quibus inductus Bruno, in eremum diſceſſerit. Sed aliud eſt, vt recte iudicat Launoius, plures eſſe potuiſſe conuerſionis Brunonis cauſas, aliud reipſa fuiſſe plures, & e pluribus hanc & non illam, quæ tamen eſſe potuerit. Accedit, quod diſputatio ſit de facto, eoque ſaltem dubio atque incerto. Eiusmodi factum ſi quis ſupponat, fuiſſe cauſam conuerſionis, ei non ſufficit dixiſſe, *quod hoc ita eſſe potuerit*, ſed duo luculenter & teſtimoniis fide dignis probanda ſunt, primo factum hoc certum eſſe, deinde factum hoc conuerſionis fuiſſe cauſam.

§. VI. Prouocat porro ad teſtimonium auctoris, cuius eſt fragmentum hiſtoriæ Francicæ a tempore Roberti Regis vſque ad mortem Philippi I. item ad teſtimonium Guigonis quinti cartuſiæ Prioris, vt & Guiberti Abbatis de Nouigento prope Cauciacum in Diœceſi Laudunenſi. Et de vltimo cum paulo prolixius commentetur, & nos quædam addimus. Guibertus Abbas de Nouigento tra-

ctatum

ctatum de vita ſua compoſuit, in quo accurate Cartuſianorum originem atque inſtitutum deſcribit. Is igitur refert, Manaſſen quendam poſt Geruaſii famoſiſſimi Archiepiſcopi Remenſis obitum, per ſimoniacas artes Archiepiſcopatum occupaſſe, mox tanto ſe extuliſſe faſtu, vt Regum quoque ſplendorem & magnificentiam æmularetur. Hunc militiæ deditum, ſacrarum rerum incurium, dixiſſe aliquando, refert: *Bonus eſſet Remenſis Archiepiſcopatus, ſi non miſſas inde cantari oporteret.* Huius ergo improbitate commotum Brunonem, relicta vrbe Remenſi, & abdicato ſeculo in gratianopolitanum territorium ſe contuliſſe.

§. VII. Multiplici ratione, hæc Guiberti narratio, receptæ de magiſtro pariſienſi ſententiæ, aduerſatur. Namque cum prolixe & multis verbis Brunonis conſilium & inſtitutum deſcribit, fieri non potuiſſet, quin rei huius inieciſſet mentionem, ſiquidem veri quid ei ſubeſſet. Poterat enim & debebat omnino Guiberto cognita atque perſpecta eſſe, qui ætate proxime ad Brunonem ſe acceſſiſſe teſtatur, hiſce verbis, quibus narrationem ſuam auſpicatur: *fuit non longe ab his diebus Bruno quidam in vrbe Remenſi &c.* Deinde diſerte docet & multis verbis inculcat, cauſam ſeceſſus fuiſſe improbita-

tem Archiepiſcopi Remenſis. Accedit, quod aſſerat ex vrbe Remenſi ſtatim in territorium Gratianopolitanum ſe contuliſſe Brunonem, cum ſecus ſentientes contra contendant, & neceſſario contendere debeant, eum Remis Pariſios primum profectum eſſe, cum ſupponant in hac vrbe miraculum iſtud contigiſſe. Inepte autem atque ridicule prorſus ad hoc nonnulli excipiunt: aſt tamen non negari hanc anaſtaſin a Guiberto. Plane ac ſi hiſtoricus ſtatim affirmet, quod non negat, ſeu cuius nullam iniicit, aut iniicere potuit mentionem. Imo cum quis id non commemorat, quod commemorare poterat & debebat, ſi factum fuiſſet, hoc non factum eſſe, recte inde colligitur.

§. VIII. Sequitur teſtimonium ordinis Cartuſianorum, quod Launoius deſumſit ex veteri manuſcripto codice ſtatutorum & conſuetudinum ordinis, vbi vita Brunonis & quatuor ſequentium Cartuſiæ Priorum ſummatim exhibetur: itemque teſtimonium Teulfi Aſcetarumque aliorum Mauriniacenſium in chronico monaſterii ſui ſub finem lib. II. porro teſtimonium S. Bernhardi, Petri Cluniacenſis, qui venerabilis dictus eſt, Petri Cellenſis Abbatis, Iohannis Sarisberienſis Carnotenſium Epiſcopi, Petri Bleſenſis, Gaufredi Voſienſis monaſterii Prioris, Petri Can-

Cantoris Pariſienſis , Iohannis Brontonis Abbatis Iornacenſis, auctoris qui vitam Godefridi Ambianenſis Epiſcopi ſcripſit, Iacobi de Vitriaco Cardinalis, Sigeberti Gemblacenſis, Roberti de Monte Sigeberti continuatoris, chronici Malleacenſis, Roberti de Chorceon Romanæ ſedis in Gallia legati, Monachi Antiſſiodorenſis, incerti auctoris ſub nomine Adami latitantis, Vincentii Bellouacenſis, chronici Martini Turonenſis, Hugonis Cardinalis, Humberti Burgundi quinti Prædicatorum generalis magiſtri, Ioannis Frasqueti monachi S. Germani Antiſiodorenſis, Guilielmi Nangiaci, Ioannis de S. Victore: qui omnes ea ætate vixerunt, aut iis rerum monumentis documentiſve & peritia fuere inſtructi, vt ſi quid eiuſmodi contigiſſet, neutiquam hoc eos fugere potuiſſet. Cumque omnes iſti de origine Cartuſiani ordinis verba faciant, nemo tamen vel verbo iſtius miraculi meminit, quod neutiquam prætermittere potuiſſent, ſi quidem hac potiſſimum cauſa Bruno permotus, ſolitarium illud vitæ genus amplexus fuiſſet.

§. IX. Ne quid tamen diffiteamur & ſecus ſentientibus non deſunt teſtimonia, ad quæ prouocent, ſed ea Launoius noſter ita infringit atque labefactat, vt cauſam euiciſ-

ſe plane cenſeri queat. Primus omnium, qui huius rei inieciſſe mentionem dicitur, occurrit, Ioannes Gerſon, Pariſienſis Cancellarius, ob pietatem longe celeberrimus *in tractatu de ſimplificatione cordis notula XXIII.* Sed bene obſeruat Launoius, quod iſte alium auctorem non habeat præter famam, quæ Tertulliano nomen incerti eſt. Deinde quidem *celebre* vocat hoc *exemplum*, ſed ita vocare potuit, quod aliquot abhinc annos inuectum paſſim iactabatur, ad animos hominum perterrefaciendos.

§. X. Prætermittendus vero hic neutiquam eſt inſignis ipſius Gerſonis locus, ex quo patet, quid ipſe de eiusmodi exemplis cenſeat. Extat is in tractatu, quo quæ veritates credendæ ſint, his expendit verbis: *demum in ſexto gradu, qui quartus eſt modo dicto, collocantur veritates iſtæ, quæ tantummodo faciunt ad nutriendam vel fouendam deuotionis religioſam pietatem, quæ magis inducuntur ad inflammandum affectum, quam ad inſtruendum intellectum, vti pietas deuota magis adſpicitur, quam veritas recta, vbi hoc vnum reprobatur, ſi adeſſet aſſertionis temeritas, priusquam elucidaretur alio modo per eccleſiam vel rationem rectam ipſa veritas.* Sed non poſſum hic ſuffragari Gerſoni. Ad excitandam enim pietatem affectusque commouendos nihil afferendum eſt,

eſt, cui veritas certo non conſtat. Plus enim ex eo, ſi falſitas dictorum intelligatur, periculi metuendum, quam emolumenti, ſi credatur, ſperandum eſt.

§. XI. Prouocant præterea qui ſecus ſentiunt ad Antoninum Florentiæ Archiepiſcopum qui *part. II. Hiſtor. lib. XV. c. XXII.* de Carthuſianorum origine verba faciens, doctoris iſtius Pariſienſis, iniicit mentionem. Bene autem obſeruat Launoius in priori narrationis ſuæ parte, vbi originem ordinis Cartuſiani Antoninus exponit, ad teſtes, Vincentium, atque Sigebertum, eum prouocare, aſt vbi ad alteram peruenit, narrationem ſcilicet de doctore iſto Pariſienſi, nullum eum producere teſtem, nullum documentum, quo a ſe dictis fidem faciat. Accedit quod iampridem viri eruditi & fidem & iudicium in Antonino deſiderent. *De Vincentio*, inquit, Melchior Canus *Bellouacenſi, & Diuo Antonino liberius iudico, quorum vterque non tam dedit operam, vt res veras certasq́; deſcriberet, quam ne nihil omnino præteriret, quod ſcriptum in ſchedulis quibuslibet reperiretur. Ita ad hiſtoriam vnamquamque exiſtimandam momentoque ſuo ponderandam, non artificum ſtatera, ſed ne populari quidem trutina vſi ſunt. Quamobrem boni licet ac minime fallaces viri, qui tamen nec auctores eos, a quibus ſuos exſcripſere li-*

bros, diligenter examinarunt, nec res iuſtis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud criticos graues & ſeueros auctoritate carent lib. II. de locis Theologicis cap. VI. Suffragantur Melchiori Cano & alii, qui itidem non admodum præclare de Antonini fide ſentiunt: ſed res nota eſt, nec vlteriori indiget expoſitione.

§. XII. Eodem quo Gerſon, aut Antoninus, tempore, vixiſſe videtur anonymus ſcriptor libri: *de quatuor paradiſi fluminibus*, cuius hac de re teſtimonium, ex gallico ſermone in latinum conuerſum exhibet Launoius. Sed ſimul obſeruat, auctorem iſtum non tantum in facti huius circumſtantiis a Gerſone & Antonino multum diſcrepare, ſed & in aliis ignorantiam ſuam aperte prodere. Cum ergo per ſe nullam promereatur fidem, longe quippe iam ab eo tempore remotus, quo hoc contigiſſe dicitur, eadem prorſus indignus eſt, ſi hæc quæ notauimus, inſuper accedant. Simili ratione & teſtimonium anonymi auctoris vita ſancti Brunonis, itemque eius qui vitam Dionyſii Cartuſiani ſcripſit, exploditur a Launoio refelliturque. Agmen claudit Vollaterranus qui equidem *lib. XXI. Anthropologiæ*, dum Cartuſianorum exordia deſcribit, huius rei iniicit mentionem, ſed dum generatim ad Sigebertum atque Vincentium prouocat, aut affin-

affingit iis aliquid, quod nón dixerunt, aut ad ea quæ certa ſunt teſtimonia illorum reſtringendo, nullos adfert, qui narrationi ſuæ de doctore iſtó Pariſienſi fidem concilient.

§. XIII. His ita expeditis momenta rationum quibus Andreas Sauſſæius in *Epiſtola* vt vocat, *didaſcalica* contrariam ſententiam probare conatus eſt, expendit. Primo enim Sauſſæius ad traditionem prouocat. Concedit Launoius, auitam & veram traditionem plurimi omnino eſſe faciendam: hanc vero de damnato rediuiuo narrationem veram & auitam traditionem eſſe, prorſus abnuit, quippe quæ ducentos ab inſtituto Cartuſienſium ordine & amplius annos initium habeat.

§. XIV. Altera ratio Sauſſæi, ſatis quidem leuis & ieiuna, hæc eſt, quam a figuris & imaginibus deſumſit: *Accedebant*, inquit, *figuræ & imagines, quibus funeſtum illud ſpectaculum repræſentabatur: hæ expreſſæ erant, in ſacrarum precatiuncularum (quas horas vocant) libellulis, imo etiam ex breuiariis aliquot, atque miſſalibus, non modo huius diœceſis, ſed aliarum quoque nonnullarum.* Scilicet hæc hiſtoria vera eſſe debebat, quia in precationum libellis erat depicta. Miror Launoium ſerio reſpondere ad hoc argumentum potuiſſe. Reſpondet tamen, aſſeritque, ſi imagines Brunonis tempore depi-

 ctas

ctas proferret auctor, libenter ſe eius amplexurum ſententiam : iam cum iſtæ figuræ & imagines incerto rumore aut iis auctoribus, quos iam reiecit, innitantur, nullius eas eſſe momenti merito contendit.

§. XV. Tertia ratio hæc eſt, quod in ſcholis ita retulerint magiſtri, decurtatumque ideo ſit ſecundum ritum Pariſienſem ex lectione quarta officii defunctorum illud eiusdem exordium, *reſponde mihi*, quod clerico in officio funeris hæc verba de more pronuntianti, reſponderit miſer ille defunctus : *iuſto Dei iudicio, accuſatus ſum &c.* Sed prior ratio nulla indiget refutatione. Non enim ſtatim verum eſt, quicquid referunt magiſtri in ſcholis. Quod autem hæc verba : *reſponde mihi*, ex lectione quarta officii defunctorum omiſſa ſint, ſpeciem quandam habet, omni robore deſtituitur. Namque nondum euictum eſſe, oſtendit Launoius, eo tempore vllas ex ſcriptura lectiones, præter Pſalmos in vigiliis recitatas eſſe. Imo prolixe oſtendit, nullo modo definiri poſſe, has lectiones eo tempore fuiſſe receptas. Accedit quod maximum eſt, quod multæ aliæ eccleſiæ, eandem cum Pariſienſi lectionem, verbis iſtis omiſſis, communem habeant, quas hoc exemplo rediuiui doctoris damnati, ad hoc permotas fuiſſe, dici non poteſt. Addo & hoc, quod ne veroſimile

mile quidem ſit, eccleſiam Pariſienſem ob iſtum caſum, lectiones ſuas mutaſſe: cum quid hac mutatione voluiſſet, nulla reddi, ne probabilis quidem ratio queat.

§. XVI. Sed ad picturas redit Sauſſæius, *inſuper oſtendebatur,* inquit, *nobis illa celebris pictura, quæ in monaſterii Patrum Cartuſianorum huius vrbis clauſtro eccleſiæ propinquiori etiamnum cernitur, ſeriem exprimens vitæ miſeri huius hominis &c.* Sed recte addit Launoius, hanc picturam non habere plus auctoritatis, quam libros ex quibus originem traxit. Eam deſignatum argumento ſuo tempus non excedere, ſed longo poſt interuallo ſequi. Quæ autem Sauſſæius pro confirmando, quod ex hac pictura ſumſit, argumento adduxit, tam ieiuna ſunt, vt ea etiam commemorare pigeat.

§. XVII. Quod vltimo loco argumentum profert Sauſſæius, præcipuum videtur, & primo loco collocandum. Prouocat nimirum ad teſtimonium Cæſarii Heiſterbacchenſis ordinis Ciſtercienſis Monachi, in diæceſi Colonienſi, qui florere cœpit, vt ipſe teſtatur ſub Clemente III. Sed prolixe & erudite oſtendit Launoius, Cæſarium licet ſimile quid de quodam clerico nobili rediuiuo, & ſe damnatum ſignificante, narret, non tamen loqui de doctore iſto Pariſienſi, & in tota ſua narratio-

ne multum ab Antonino diſcrepare. Tandem vero & negat Cæſarium tam accuratum eſſe ſcriptorem, vt eius hic ſtandum ſit auctoritate. Nicolaum Coëffeteum Pariſienſem Theologum & Maſsilienſem Epiſcopum in reſponſione ad myſterium iniquitatis aſſerere, hunc auctorem plenos fabulis dialogos edidiſſe, quod & iudicio Gesneri confirmari queat.

§. XVIII. Sufficere hæc poterant ad cauſam hanc perorandam. Sed Launoio diligentiſſimo, & accuratisſimo ſcriptori, non ſufficiunt. Nam cum multi in recentioribus Hiſtoricis omne cauſæ præſidium collocent, ſuarum eſſe partium credidit, & hoc illis eripere telum. Quare multos interque eos nonnullos, qui ad minimum trecentis ab hinc annis, & quod excedit, vixerunt, prodire iubet, & ex illorum de re tam mirabili ſilentio, colligit, eos de rei veritate omnino dubitaſſe, aut quicquid de ea dicitur, inter commenta retuliſſe. Namque cum originem ordinis Cartuſiani exponant, mentionem omnino huius rei facere debuiſſent, ſiquidem eiusmodi quid contigiſſet. Quos autem hic producit, & quorum recitat verba, hiſtorici ſequentes ſunt: Henricus Knython Leiceſtrenſis Canonicus, Ioannes Auentinus, Baptiſta Platina, Magnum chronicon Belgicum, Wernerus Rolewinckius Colonienſis Cartuſianus, Philippus Ber-

Bergomenſis, Ioannes Laſiardus Pariſienſis Celeſtinus, Robertus Gaguinus, Paulus Aemilius, Ioannes Tritemius, Iacobus Wimphelingius, Chriſtianus Moſſacus, Michael Bucchingerus Colmarienſis, Aimarus Fulco, Sebaſtianus Brantus, Ioannes Tillius, Papirius Maſſonus, Franciſcus Belleforeſtus, Guilielmus Paradinus, Seuerinus Binius, Baronius, Franciſcus Modius, aliique.

§. XIX. Theophilus Raynaudus, qui vt ſupra diximus, ſecus ſentientibus adſtipulatur, prouocauerat ad Polycarpum de la Riuiere, quem Cartuſianæ familiæ clarum lumen vocat. Hic autem Polycarpus, magnam ſcriptorum cohortem conduxit, quorum auctoritate veritatem narrationis de iſto doctore Pariſienſi comprobari poſſe, exiſtimauit. In vltimo itaque huius diſſertationis capite hoc agit Launoius, vt Polycarpum, malæ in ſcribendo fidei, Theophilum Raynaudum autem ſummæ in exſcribendo credulitatis convincat. Ad auctores autem, ad quos Polycarpus prouocauerat, quod attinet, diſtincte oſtendit, nonnullos mala fide a Polycarpo laudari, alios quidem bona fide proferri, ſed horum tantam non eſſe auctoritatem, vt ad hoc probandum ſufficiat.

§. XX. Ita ergo exploſa fabula eſt, commentumque reiectum. Et optandum vtique eſſet

eſſet, vt multi Launoio eſſent ſimiles, qui pari diligentia & eruditione hiſtoriam & eccleſiaſticam & ciuilem, a fabulis, & otioſorum hominum figmentis, repurgarent. Hac enim ratione ſcepticiſmo occurritur, & ſeparatis falſis, dubiis, incertis, certa & vera eo maiore firmitate admittuntur, ſuoque ſplendore nitent. Neque tamen hæc eo interpretanda ſunt, ac ſi non quandoque miracula iuſſu Numinis fiant. Ecquis enim potentiæ diuinæ limites & modum ſtatuerit? Saltem circumſpectione & cautione hic opus eſt: & primo quidem cogitandum, etiam ſine miraculis improbitati ſuas pœnas certiſſimas & grauiſſimas, pietati ſua conſtare præmia. Deinde neutiquam miracula ſunt reiicienda, nec tamen quæuis temere credenda: hoc enim ſi facias, vix impedire poteris, quin certa tandem & dubia eodem loco habeantur, quod quam non careat periculo, quiuis vel me non monente intelligit: illud ſi admittas, palam iniurius eris in diuinam & potentiam & ſapientiam.

OBS.

OBSERVATIO XIX.

DE DIVISIONIS ET DIFFISSIONIS DIFFERENTIA.

SYNOPSIS.

De indiuiduo plus vltra actum §. I. *cenſura ſua non turbent, qui talia non intelligunt, aut optime intelligunt.* §. II. *Præſuppoſita de indiuiduo.* §. III. *Et proportione inſtrumenti diuiſorii ſeu diffiſſorii.* §. IV. *His contrariantur tam Ariſtoteles, quam Carteſius.* §. V. *Ariſtotelis canon de diviſibilitate quanti.* §. VI. *Euoluitur.* §. VII. *& vis argumenti, non contra diuiſibilitatem, ſed contra figuram ſpecificam, directa fuiſſe oſtenditur.* §. VIII. *Et argumentum eius inde formatum.* §. IX. *Ita ſenſit Ariſtoteles; Et Carteſius,* §. X. *Diuerſæ ſententiæ proponuntur.* §. XI. *Et ab experientia facti, contra opinionem potentiæ, argumentum formatur.* §. XII. *Differentia diuiſionis & diffiſſionis proponitur.* §. XIII. *Altera illa ſententia, non modo veras naturalium productionum cauſas & effectus obfuſcat; Sed vanas opiniones inſuper parit de variis potentiis phyſicis, contra veritatem.* §. XIV. *Specimen huius rei profertur.* §. XV. *Pulchra Philoſophia, ſed callida.* §. XVI. *Cuius conditiones nunquam vel pro exigua quantitate talis productionis obtingere poſſe ſperari queant.* §. XVII. *Indoles diviſionis & diffiſſionis exponitur.* §. XVIII. *Et neceſſitas inſtrumentorum diuiſoriorum ſupponitur.* §. XIX.

XIX. Qui hæc neſciunt, fruſtra prompti ſunt ad reddendas rerum rationes. §. XX. Dum res ex rationibus colligere abſolute non valent, §. XXI. Sed admodum abſtracte loquuntur de concretis, §. XXII. Certa figura, certus ſitus &c. omnibus rebus æqualiter quadrant. §. XXIII. XXIV. Triplex modus diſſiſſionis. §. XXV. & quinam horum Natura maxime ſolennis ſit §. XXVI. proxime pluribus diſcutietur. §. XXVII.

§. I.

IN præced. Voll. mentio facta eſt, de *Indiuiduo Phyſico*, ſive corpore ita *minimo*, vt vel *abſolute* non *poſſit* in minora plura diſſolui; Vel non *debeat* diſſolui, niſi *ſpecies* eius, quam nunc habet, vna tolli aut violari debeat: *Primi* generis innuimus eſſe corpuſcula vere *ſimplicia*: *Poſterioris*, *Mixta* atq; *Compoſita*. Placet his aliqua in ſubſidium ſubiungere, ad meliorem perceptionem.

§. II. Præmonemus autem, vt *duo* hominum genera, ſi poſſunt, a cenſura noſtri inſtituti abſtineant; Primo illi, qui talia iam intelligunt; Hi recordabuntur ſupereſſe, qui non intelligant, neque tamen etiam intelligere dedignentur: Secundo illi, qui Principiis cognoſcendi, quibus hic vtendum eſt, deſtituuntur, *geometrico-mechanicis communibus*, & ſanæ rationis, rem ex re *colligendi*, ſubſidiis. Sane vero merito verendum eſt, vt hi huic noſtro poſtulato auſcultent, ſed potius antiquam ſu-

am

am cantilenam occinant, explicationes tales ipſa re explicanda difficiliores eſſe: Cui querimoniæ optime fecerint, ſi vnicum illud pronomen ad de re meminerint: *Sibi* obſcura hæc eſſe, ita omnia recte habebunt.

§. III. Corporum nempe phyſicorum inanimatorum, abſolute atque ſimpliciter *Mixtorum* atque *Compoſitorum*, *numerice* ſumptorum, tantam eſſe *exiguitatem*, vt in hoc ſui ſtatu, omnes *ſenſus* humanos ſubterfugiant, ante omnia bene notum eſſe debet. Sub hac tamen ſumma *exiguitate*, habere illa adhuc *numericam multiplicitatem*, id eſt numeroſiſſimarum *ſpecierum* talia corpuſcula, *ſingula*, conſtare adhuc e numero *pluribus*, ita tamen firmiter cohærentibus, vt pro conſtituenda atque ſervanda hac *ſpecie*, ex hac *vnione* diuelli non debeant: Imo numeroſam talem *cohæſionem*, non ſemper neceſſario requirere, vt *omnia* corpuſcula ita cohærentia, abſolute *diuerſæ* ſpeciei exiſtant: Sed poſſint etiam *eiusdem* generis, ad firmam complicationem iuſta proportione inſtructi, exiſtere. Hæc, inquam, nota eſſe debent ex ſuperiore Volum.

§. IV. Quibus rebus merito adiiciendum fuit, quod pro *diuiſione* Phyſica, verius *diffiſſione* huius generis corpuſculorum, requiratur exquiſita proportio *inſtrumenti* diuiſorii &c.

§. V. His omnibus cum varie obſiſtere videatur, tam antiqua illa *Ariſtotelis* argumentatio

tio contra *Democritum*, quam *Recentiorum* quorundam, *Carteſium*, licet non ſemper bona fide, ſequentium; Videtur propterea tanto dignius eſſe negotium, cui explicando opera adhibeatur.

§. VI. Videtur quidem *Ariſtoteles*, potius contrariari illi qualicunque, nedum ita promptæ, *diuiſibilitati*; dū hoc ipſo argumento, velut ab *impoſſibili* ducto, *Democrito* refragatur: Si *forma* corporum naturalium *ſpecifica*, conſiſteret in ſola ſpecifica *quantitate*, ſeu *magnitudine* atque *figura* determinata, velut in infinitum mutabiles futuras eſſe has formas: Quia corpus, quatenus eſt *quantum* ſimpliciter, in infinitum ſit *diuiſibile*: Nihilominus ſi modo res vel leuiter recte inſpicitur, apparet, quod reuera *Ariſtoteles* hanc theſin ita poſitiue, imo *canonice*, tanquam canonem atque regulam probationis, adferat, neque contra ipſam, ſed potius *per ipſam* inferre, in animo habuerit.

§. VII. Videlicet, ea proprie erat eius *hypotheſis*, materiam, quatenus corporum ſpecies conſtituit, aut *circumdari*, ac *veluti concludi* illa ſua *forma*, vt non poſſit in infinitum *diuidi*: Aut, ſi vel maxime *diuideretur*, ita forma illa ſpecifica penetratam eſſe, vt in *immenſa diuiſione*, ſingula adhuc talia *minimorum minima*, iſtius *ſpeciei* eſſentiam habeant atq; conſeruent. Sane vero nos, qui interpretum Ariſtotelis characterem non affectamus,

non

non laborabimus excutere, vtri harum hypotheſium magis fauiſſe videatur: Credideꝛimus tamen *poſteriori:* aſſerimus autem de vtriſque, quod *inanes* ſint.

§. VIII. Quemadmodum autem hac ratione illud inferre voluit, quod eſſentia ſeu *ſpecifica differentia* ſpecierum corporearum, non in illarum exteriore *ambitu*, quem nempe *figura* definit, ſed in penitiſſima totius materiæ *alteratione* atque *penetratione* conſiſtat; Ita nequaquam *ſuſtulit* illam in immenſum patentem *diuiſibilitatem:* ſed potius illa, tanquam medio termino, vſus eſt, pro demonſtranda inſufficientia *figuræ*, in conſtituenda ſpecierum corporearum eſſentia.

§. IX. Vnde quidem illa proprie eſt vis huius argumentationis: *Si eſſentia ſpecierum corporearum conſiſteret in* figura certa; *ſequeretur corpora non poſſe* diuidi *in varias dimenſiones varias proinde alias* figuras *inferentes: Sed corpora* poſſunt *ita* diuidi: Ergo *non conſiſtit illorum eſſentia in tali determinata* figura. Ex quo patet Ariſtotelem hanc hypotheſin potius *pro certa atque firma* aſſumſiſſe, quam vt illam in medio relinqueret.

§. X. Non iam vacat aut placet varia alia incommoda, hanc eius phantaſiam, in ipſo vſu & applicatione huius hypotheſeos ad hoc argumentum, prementia, euoluere; v.g. quod

nitatur falſo illo *præiudicio*, quaſi ſpecies corporum ita *immutabiles* ſint, vt non poſſint, aut debeant ab vna claſſe in aliam tranſire: Quod *extenſionem* pro eo ſumens, quod habeat partes extra partes iam *actu* phyſice, *diſcretas*, eo ipſo amittat potentiam ſiue *habilitatem* ad vlteriores *nouas* diſcretiones, in *nouas* partes, ſecundum quaslibet dimenſiones: Aut, ſi *extenſum* accipiat, pro eo, quod habeat partes extra partes ſaltem *potentia*, i. e. *poſſit* in varias partes *diuidi*, in neceſſariam diſtinctionem *diuiſionis* mathematicæ, & *diffisſionis* phyſicæ, impingat &c. Suffecerit itaque illum ſaltem *Autorem*, aut ſane *Patronum* huius inconuenientis aſſertionis deprehendiſſe, *quod corpora* ita *in immenſum* in quodlibet *dimenſum*, vtique *dirimi* poſſint. Eadem eſt illa *Carteſii* opinio, de illo *detritu* corpuſculorum mutuo, quo omnia minima ſenſim in adhuc minora, & ita denique *in infinitum*, (quod fruſtra ſub *indefinito* laruat) comminui, non magis poſſint, quam ſoleant.

§. XI. Huius ſententiæ diuerſum, videtur mihi longe probabilius, ex eo argumento, quod nulla allegari poſſit *experientia*, quod vſquam ipſe *motus* immediate atque *abſolute*, vllum corpus *penetrare*, & *phyſice diffindere* poſſit aut ſoleat: Sed vnice corporis, in quo tunc forte viget, proportione, aliquid *diuiſi-*

vum

vum, ſeu actum illum *diffiſſionis*, perpetret. Secundo, quod a quocunque, etiam corporum fortiter *motorum*, incurſu, non proinde ſtatim ſequatur *penetratio*, ſeu *diffiſſio*; Sed ſolum proportionata *commotio*, tale quoque corpus corripiens, & *agitans*. Cum ad *penetrationem* ſeu *diffiſſionem*, vtique requireretur, *diuidendi* corporis potius *detentio*, *reſiſtentia* quædam, ſeu *quietis* quidam gradus: Quandoquidem quod incurſui cedit, & cum incurrente *fertur* & *progreditur*, ab hoc *penetrari* non poteſt.

§. XII. Ita quidem, & cum nullis *experimentis* ſtabiliri poſſit, quicquam his argumentis recte ſatisfaciens; Nec etiam *a poſteriori* vllo modo commonſtrari valeat, quod tales *diuiſiones* ita in indefinitum, alicubi in natura reuera *dentur atque fiant*: Longe magis conſentaneum proinde *rationi* videtur, quod etiam nihil horum fieri *poſſit*, ſed omnino aliquis *vltimus gradus definitæ* magnitudinis ſubſit, vltra quem nulla *diuiſio* procedere poſſit: Et quod ille *ſtatus* ſit, illorum *ſimpliciſſimorum*, & reuera *vnicorum* corpuſculorum, e quibus deinde, *combinationibus* potius quam *diuiſionibus*, omnia numeroſa illa *genera* atque *ſpecies*, *mixtorum* & *compoſitorum* imo *ſtructorum* corporeorum, producantur.

§. XIII. Differt itaque *diuiſio* mathematica

ſiue *diſtinctio*, *diſcretio*, *dimenſio* atque diuerſa *menſuratio*, qua corpus etiam *minimum*, varie *dimetiri* poſſe, intellectus noſter ſibi videtur: Ab *actuali*, *phyſica diffiſſione*, *locali* dimotione, corpuſculi, quantumcunque *phyſice* exigui, *penetratione*, & *partium productarum* in quamlibet diſtantiam *diſtractione*. Et differunt hæc certe inter ſe tantundem, quantum nuda *fictio* mentis, a *veritate*, efficacia, imo ipſo effectu atque actu, *corporis*.

§. XIV. Peſſundat autem altera illa, ita ſemel ſuſcepta ſuppoſitio & opinio, non ſolum neceſſarias illas ſolidas & ſolertes *obſeruationes* atque perueſtigationes, rerum *phyſicarum*, quæ vere fiunt; Et *modi* vnius illius veri, quo vtique fiunt: Sed ſubſtituit etiam in harum rerum locum, volaticas illas innumerabiles *poſſibilitates*, quibus eadem vnica res, velut *innumeris* modis atque rationibus, euenire *poſſit*; Aut contra, totidem modis atque methodis frivole *interuerti* atque *impediri* poſſit, ne fiat.

§. XV. Specimen huius rei ſane luculentum atque prorſus egregium, occurrit in præfiguratione illa talis cuiusdam acuti ſpeculatoris, quam *Becherus* alicubi allegat: Nempe de quæſtione: *an transmutatio metallorum viliorum in aurum*, inter *res numerari debeat*, *quæ fieri poſſint*, *nec ne?* Interponit iſte ſuum ar-

arbitrium, *quod omnino fieri poſſe videatur:* Quia *particulæ* illæ innumerarum ſpecierum atque figurarum, aliquando *in eum ordinem* cadere poſſint, quo illud *concretum*, ex particulis *ſpecialem* quendam *ſitum* inter ſe mutuo nactis, conſtans, quod *aurum* dicitur, exhibeant atque præbeant. Adiicit tamen *difficultatem*, talis poſitus *arte* obtinendi, aut *ſponte* euenturi; Quam adumbrat (niſi quidem ſiniſtre interpretari quis ſuſcipiat vocabulum *adumbrationis*, nam tales haſce fabulas pro argumentis & *demonſtrationibus* haberi malunt:) ea ſimilitudine, quod talis poſitus particularum, qui *aurum* conſtituat, tali demum ratione euenire poſſit, ac ſi lapillorum ingenti numero ex alto deiectorum ingens numerus (nempe prout typus vel verſalis (Fractur-Schrifft) vel minutiſſimus (*corpus* vocant typothetæ) eſſet) eo ordine in Pauimentum conciderent, vt integrum verſum (cur non etiam longiſſimum?) ex aliquo *Pſalmo* exprimerent.

§. XVI. Nonne vero hoc eſt ſolide philoſophari? Non *negare* quidem, ne forte aliqua demonſtratione vinceretur, adeoque, nefas, alicuius rei ſub ſole *inſcius* videretur Philoſophus: Quia tamen vtique inaudire potuit quiritationes miſerorum Alchimiſtarum, quod hæc negotia ipſis obſtinatiſſime

refragentur: Adiiciendam cenſuit *conditionem* illam, quæ extra cerebrum petulanter fingens, nemini ſano homini revera poſſibilis agnoſcatur, ſed inter *conditiones impoſſibiles* numeranda, potius *vim negandi* habens, indigitet, quantum Philoſophus talibus demonſtrationibus diffidat, dum eas, callide pro imperitis, ita laruat, vt quod vna manu, ſine omni fundamento, largitur, altera, iterum ſine fundamento, eripiat.

§. XVII. Quem tu, Lector non prorſus ἀμαθὴς aut philaſophe, conceptum habere putes tales homines de *numero vno* corpuſculo *aureo*, & numero *multis*, quæ *viſibile* granulum conſtituunt? Quando iam expectare licuerit, vt huius philoſophi conceſſio, aliquando in rerum natura ſeſe exerat, ſecundum quam illa inauditæ felicitatis fortuna, imo *caſus* (nam *cadere* debet) philoſophici iactus, eueniat, quo non *vna* ſeries corpuſculorum, ita dextre, absque vllo ὁδήγȣ in illum *ordinem* decidant, vt ille verſiculus: *Metallum denſiſſimum ponderoſiſſimum, ductiliſſimum, indiſſolubile, flauum, nitidum, rarum*, &c. legi poſſit aut intelligi: Sed vt obtingant *tot myriades* talium, ita iugiter & ſimul iuxta ſe invicem tam fortunate *coincidentium* caſuum, quot talia corpuſcula pro *drachma* forte auri conſtituenda, requiruntur: qua filum argenteum

teum, in aliquot mille vlnas ductile obtegi ſeu inaurari poſſit: Cuius quodlibet ſuperficiale punctum viſibile, conſtet ex multis adhuc, tam *ordinate atque operoſe lapſis*, ſeu ex *infinita* illa *diviſione*, in hanc non ſolum finitam, ſed plane *definitam combinationem*, imo *coaptationem* congreſſis corpuſculis?

§. XVIII. Vt vero ad noſtram rem redeamus *diuiſio* quidem *mathematica* in quaslibet *dimenſiones* & lineas, etiam per quodlibet punctum, & per quamlibet lineam, ſolidiſſimi cuiusvis obiecti, prompte, non magis perficienda quam perſpicienda, ſuccedit vtique feliciſſime, abſque vlla *penetratione*, ſed ſufficiente ſola circa *ſuperficiem* comenſuratione, datis punctis reſpondente. *Diffiſſio* vero phyſica, exacte obſeruare neceſſe habet *commiſſuras* corpuſculorum, quas vel penetrare, vel certe *ſecundum illas*, impulſum aliquem ita inſtituere atque impingere debet, vt *motus* per lineam *a centro communi* grauitatis, corporum plurium inter ſe mutuo complicatorum, maxime *diuergentem*, vni aut alteri horum corpuſculorum incuſſus, illud, aut illa vno plura, a reliquorum *contactu* intimiore, ita *dimoueat* ſeu *detrudat*, vt actualis *localis dimotio*, inde ſequatur.

§. XIX. Sicut autem hæc ipſa ita *heterocliti motus* incuſſio ſiue introductio, non fieri

poteſt aliqua *immediata* ſuſcitatione aut impreſſione *motus nudi in abſtracto*, vt loquuntur; Sed opus omnino eſt corporeis *inſtrumentis*, quæ *motum* illum neceſſarium, *mouendis* corpuſculis *inferant* atque concilient; Imo vero, quæ inter innumera, aliis locis atque *directionibus*, incurrentia atque concurrentia, hanc incuſſionem nihilominus recte & exquiſite peragant atque abſoluant: Ita altioris ſane, & magis in *experientia*, quam vllis *opinionibus* fundatæ, ſpeculationis eſt, non tam ſtatim *intelligere*, quam prius experientia *deprehendere*, quænam corpora vt *inſtrumenta*, ad tales *motus* vere & efficaciter præſtandos apta exiſtant.

§. XX. Hic enim certe deridendos, (quis enim in ludicris rebus ſupercilium attollat) ſeſe præbent, illi non ὀξύσοφοι, ſed ὀψίσοφοι, qui poſtquam *res ipſa* illis prolixe inculcata eſt, cito omnium circumſtantiarum *rationes* penitiſſime perſpectas habent: & quidem non *proximas*, ſed *remotiſſimas*, non *vltimas*, ſed *primas*, non *efficaces* & perficientes, ſed *peruicaces*, & per longum ordinem efficientes: Nempe materiarum quidem certam *figuram*, certam *magnitudinem*, certum *numerum*, certum *ſitum*: Imo, vt perfectum oraculum edant, ipſa brevitate & in quamlibet faciem, ambigua interpretatione perplexum, certam *modum materiæ*: Et certum *niſum* atque mouendi

di *facultatem* (antiquiſſimi dicunt *appetitum & amorem naturalem*).

§. XXI. Quando vero omnes illæ, circumſtantiæ *reales*, ipſis etiam prolixisſime commemorantur atque deſcribuntur, & iubentur colligere ex ipſis *reciproce*, iam *ſubiectum* illud, ſiue materiam, in qua tales circumſtantiæ reperiri, imo ſperari, posſint? tunc ſtatim periit tota hæc Philoſophia.

§. XXII. Conueniunt ſane in hoc, tales *Philoſophi* cum Mathematicis, quod vtrique quidem felicisſime ſermocinentur *in abſtracto*; immenſum quantum prærogatiuæ interim merito ferentibus mathematicis, quod nihil disſimulando, hoc profiteantur, quod non *in concreto* philoſophentur: cum noſtri non ſolum *de concretis*, ſed etiam de mathematicis illis concretis habitudinibus, *vt in concreto* loqui ſuſcipiant atque ſuſtineant.

§. XXIII. Dum interim nihilo plus de *amaro*, & *auſtero*, quam de *acerbo* & *acri*, imo de *albo* & *nigro*, quælibet illorum prolata definitio quadret.

§. XXIV. Ita enim, ſi ex omnibus libris & ſpeculationibus *Carteſianis*, Philoſophus, enchiriſeos *materialis* & *manualis* inſcius iubeatur edicere: e quibus locis petenda ſit, & quonam hominibus noto *nomine* inſignienda, conquirenda, & concinnanda, materia *ſicca*,

friabilis, in tenerrimum *puluerem* leui tritura fatiſcens, *non inflammabilis*, ſed tamen *volatilis* ex nigro leuiter *ruffeſcentem* colorem, exhibens, vario tamen *gradu*, pro varietate operationis: notabili *pondere* conſpicua, *inſipida*, *inodora*, ſine *corroſione* quacunque: Aut, ſi ipſi velut optio detur, pro determinanda diuerſa materia, quæ *floridi*, *rubicundi* Coloris, de cetero omnibus circumſtantiis iam enumeratis inſtructa ſit: Quid ieiunus talis ſpeculator ex hiſce circumſtantiis colligere poterit: ſi etiam ipſa materia in manus ipſi offeratur, nempe *Cinabaris Antimonii*, aut *Cinabaris natiua*, aut pulchra *artificialis*, aut *realgar* factitium: Quid, inquam, Philoſophari ille poterit, e quibus *ſimplicioribus ſubiectis*, qua *operatione*, quo *motus* genere aut *inſtrumento*, tales materias, ſiue inter ſe admouendas ſeu combinandas, ſiue a ſe inuicem dimouendas, petere, connumerare, combinare, reſoluere, poſſit aut debeat? Certe conſultisſime ſequetur meum, in ſimili negotio conſilium, pro vario reſpectu duplex, quantumuis reipſa ſimplex, nempe: *Qui ſapit, cauet*, &: *Qui ſapit, tacet*.

§. XXV. Interim de non ita ſterili, ſed vero atque reali modo *diffisſionis*, æque atque nouæ *combinationis*, aliæ certe quæſtiones inſtitui mererentur; quanam methodo proprie illa fieri *conſueuerit*, e *tribus* illis, quibus

ipſam

ipſam fieri vtique *poſſe*, certum eſt: Nempe vel per modum *cunei*, in ipſam *commiſſuram* penetrantis: vel per modum nudi *incurſus*, qui vnum corpuſculum ab alio ſimpliciter depellat atque *detrudat*: Vel per modum mutuæ *cohæſionis*, vt vnum corpuſculum in eximio motu conſtitutum, alteri occurrens, hoc ipſum *implicatione* quadam *arreptum*, ſecum *emoueat*, & a reliquis *auferat*.

§. XXVI. Sane vero certiſſimum eſt, quolibet è *tribus* hiſce modis, ſeparationem ſiue dimotionem talem peragi *poſſe*. Sed in *Phyſicis*, tanquam rebus, quæ non noſtrum intellectum aut voluntatem, noſtra, inquam conſilia, expectant, ſed quibus potius intellectus noſter ſeſe applicare neceſſe habet, fruſtra eſt ſpeculatio de eo, quod fieri *poſſit*: Sed debet ibi vniuerſa conſideratio directa eſſe, ad illud quod fieri *ſolet*, nempe quemadmodum *actu* vnus effectus, vno modo, non ſaltem *aliquando* fiat, ſed etiam *conſtanter*, quoties fit, illa ratione fiat.

§. XXVII. Dicemus adhuc aliquid de hac materia, & in primis de difficultatibus diuiſionum, ſeu diffiſſionum, quæ per modum nudi incurſus fieri deberent; Et de probabiliſſima ratione, qua hæ diuiſiones magis ordinarie fieri ſolent, in ſubſequentibus.

OBS. XX.

OBSERVATIO XX.
PAPA INTER TESTES VERITATIS.

SVMMARIA.

Petrum de Luna teſtibus veritatis accenſet Flaqius §. I. qui tamen fuit Papa Benedictus XIII. §. II. contra quem Gerſon ſcripſit ideo quod excommunicauerit eos, qui a Papa appellant §. III. cum Gerſon defenderet, Concilium eſſe ſupra Papam §. IV. Benedictus perfracte reſtitit decreto concilii Conſtantionſis, §. V. neque adeo, vt vult Flacius diſputauit contra autoritatem Papæ §. VI. Balæus putat Benedictum id feciſſe antequam Papa fieret, §. VII. abſque tamen probatione veroſimili. §. VIII. Veroſimile potius, Flacium erraſſe. §. IX. Reiicitur alia coniectura Flacium defendens. §. X. Neque veroſimile, per Petrum de Luna a Flacio fuiſſe intellectum Petrum Dresdenſem, §. XI. quamuis hic a quibusdam, ſed parum veroſimiliter vocetur etiam Petrus Lunenſis. §. XII. Flacium probabiliter deceptum fuiſſe verbis male intellectis Bernardi Lutzenburgenſis, §. XIII. quod perſpicue declaratur. §. XIV.

§. I.

Petrum de Luna catalogo teſtium veritatis inſeruit Flacius *p. 934. a. edit. Baſ.* a) his verbis: *Petrus de Luna vixit ante annos 150. Diſputauit contra au-*

autoritatem Papæ & ſpiritualium. Atque ob hanc tam veram ſententiam nihilominus tanquam hæreticus ab Antichriſto damnatus eſt.

a) f. 533. ed. Argent. 1562. & p. 781. & Francof. 1666.

§. II. Mihi dubitare ſubiit, num Petrus hic de Luna, qui alias Benedictus XIII. vocatur (fuit enim Papa, & Concilii Conſtantienſis decreto vna cum aliis duobus Papis, tres enim ſimul erant, poteſtate pontificia exutus b) ita ſenſerit, quemadmodum eum ſenſiſſe vult Flacius, conſequenter dignus ſit, qui catalogo teſtium veritatis inſeratur.

b) de hoc vtique loqui Flacium conſentit ſupputatio temporis. Concilium enim illud ante annos circiter 150. celebratum fuit, antequam iſta ſcriberet Flacius.

§. III. Enimuero conſtat Petrum illum de Luna, ſeu Benedictum XIII. Autoritatis Pontificiæ adeo tenacem fuiſſe, vt eam ſtabiliverit potius, quam iuerit imminutum. Quare hanc ipſam ob cauſam Iohannes Gerſon libellis duobus in eum emiſſis, qui leguntur *Tom. I. op. Gerſ. f. m. 119. 120. 121.* tanquam hæreticum eum condemnauit, quod in conſtitutione quadam ſua, excommunicationis ſententiam in eos promulgauerit, qui a ſe vel ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, canonice intrantibus, appellare præſumpſerint.

§. IV.

§. IV. Nimirum Gerſon eorum a partibus ſtetit, qui concilium dicerent eſſe papa ſuperius, ſatisque apparet occaſione Conſtantienſis Concilii, cuius decreto acquieſcere, Benedictus ille recuſauit, natos eſſe Gerſoni duos illo libellos.

§. V. Porro cum ab hoc concilio tres Papæ, quorum quilibet ſe duobus cæteris opponebat, ſede Pontificia depulſi ſunt, præter hunc videlicet Benedictum XIII. Gregorius quoque XII. & Iohannes XXIII., conſtat ſolum hunc Benedictum incorrigibilem fuiſſe: decretoque concilii pertinacisſime reſtitiſſe, cum Gregorius quidem vltro abdicaret poteſtatem, Iohannes vero licet initio moroſior, victus tamen tandem ipſe quoque ſe titulo pontificis exui eſſet paſſus. c)

c) *vid. præter alios Vrſtiſ. Basler Chron. f.* 232. *Platina p.* 292. *Balæ. Act. Pontif. p.* 388. 389. *Speidel. not. ad Beſold. Theſ. pract. f.* 740. vbi memorabilis nec obuia pasſim hiſtoria e Formicario Nideri. *Add. Io. Maier. de ſchiſm. p.* 121.

§. VI. Quis ergo credat hunc tam ceruicoſum Papam diſputaſſe contra Autoritatem Papæ & ſpiritualium?

§. VII. Intellexit hoc Balæus, itaque *in Actis Pontif. p. 388.* ait, hoc eum feciſſe antequam eſſet in Papam electus. Sane vero non nega-

negauerim, multos Pontifices, antequam coronam illam tricipitem adipiſcerentur, longe aliter ſenſiſſe ac poſtea. Notum illud de Pio ſecundo, quod Æneas ſcripſerit, Pium damnaviſſe. Sic Innocentius VII. (qui ipſe Petri de Luna temporibus viuens ipſum ceu Antipapam oppugnauit,) cum pontificiam tyrannidem execratus fuiſſet Cardinalis, Papa factus, quod in aliis reprehenderat, ipſe ſtrenue perfecit d)

d) *vid. Richt. Chron. p. 273. Dieter. Brev. Pontif. p. 323. n. 3.* qui alias diligenter Antipapas alios memorans hunc tamen præteriit, nec ſpecialem illi dat titulum, aut caput.

§. VIII. Veruntamen teſtem velim huius rei proferri. Ac Balæus quidem non aliunde ſua quam e Flacio mutuatus eſt, cum & ipſiſſima eius verba ſua faciat, & eum *p. ſeq.* vbi de Theod. Niem. dicendum veniret, laudet nominatim ex eo loco, qui apud Flacium immediate ſequitur locum de Petro illo Lunenſi. Quis autem ediſſeret nobis, vnde iſta hauſerit Flacius?

§. IX. Scio Flacium monumentorum veterum ſcrutatorem fuiſſe diligentiſſimum, nec attuliſſe temere quicquam, quod non deprehendit alicubi ſcriptum. Sed homo fuit. Decipi potuit. Etiam bonus Homerus quandoque dormitat.

§. X.

§. X. Dicat aliquis forte, non male in Petrum iſta quadrare: Cum enim ipſum tanquam pſeudopontificem alii ſubinde Papæ contra eum electi, quibus ipſe multis vivacior fuit, oppugnarent, contra horum auctoritatem diſputandum ipſi fuiſſe, & ab his viciſſim pro hæretico fuiſſe damnatum. Verum Petrus iſte Papas illos non habuit pro Papis, ſed pro inanibus idolis: Neque de abuſu poteſtatis illorum dixiſſe quicquam ipſum probabile eſt, cum talibus ne vſum quidem vllum legitimum conceſſerit. Neque profecto ipſe Flacius in hunc ſenſum, quæ de illo Petro ſcripſit, intellecta voluit. Quis enim teſtibus veritatis immiſceat Antipapas ſibi mutuo contradicentes? Nec vero taciturus videtur fuiſſe Flacius, ſi Petrum hunc unquam vel Papam, vel Antipapam fuiſſe ipſi veniſſet in mentem. Sic *p. 955.* Æneam Syluium memorat, poſtea Papam, quem a ſeipſo cum Papa factus eſſet degeneraſſe, ſupra innuebamus.

§. XI. Quid ergo? An confudit forte Flacius Petrum hunc de Luna, cum Petro Dreſdenſe, eiusdem æui homine. Sane vero conſtat rectiſſime teſtibus veritatis accenſeri Petrum illum Dreſdenſem, de quo Flacium conſule p. 852. & a quibuſdam eum

Pe-

Petrum Lunenſem vocari auctor eſt M. Tob. Schmidt part. I. der Zwick. Chron. p. 412.

e) vixit enim tempore Ioh. Huſſ, teſte ipſo Flacio p. 852. quem combuſtum ſcimus in illo Concilio Conſtantienſi; de quo hactenus.

§. XII. Verum & hoc ego velim probari: Dreſdenſem illum fuiſſe Lunenſem vocatum. Trecenſem ſcio, Lunenſem neſcio f). Adde quod teſtimonium illud, quod iſte Dreſdenſis perhibuit veritati, vix alia de re, quam de communione ſub vtraque memoratur perhibitum: quanquam interim nonnego, auctoritati quoque pontificum, vtpote Huſſi aſſeclam, contradixiſſe.

f) An pro Trecenſis perperam ſcriptum Lunenſis? An ipſe Chronici Cygnæi autor confudit Dreſdenſem illum cum Petro de Luna?

§. XIII. Suſpicor donec certior ſe prodat coniectura, deceptum fuiſſe Flacium, dum vel raptim legit, vel non ſatis intelligit Bernardum Lutzenburgenſem *in Catalogo hæreticorum* ſic ſcribentem *p. m. 32. Petrus de Luna probatur eſſe hæreticus, ſchiſmaticus, temerarius, ſcandaloſus, ſacrilegus, notorie & publice erraſſe contra catholicam & euangelicam veritatem ſuper poteſtate & auctoritate Eccleſiæ. Et Iohanes Gerſon fecit duos libros, in quibus articuli generales & ſpeciales dicti Petri ponuntur & vipera nuncupatur.* g)

g) Secutus eſt Lutzenburgenſis in pleriſque verba Gerſonis *part I. oper. f. m.* 119. Libellus *con. tra Petrum de Luna, ad conuincendum, eum fuiſſe & eſſe notorie hæreticum, & pertinaciter erraſſe contra catholicam & euangelicam veritatem ſuper poteſtate & auctoritate Eccleſiæ. Et continet duos tractatus. In primo ponuntur generales articuli. In ſecundo ſpeciales.*

§. XIV. Ecce tacet Bernardus Petrum fuiſſe Papam; tacet & Flacius. Sed ſciuit ille, hic videtur non inquiſiuiſſe h). Refert eum Bernardus in hæreticorum, Flacius in teſtium veritatis Catalogum. Nempe multi veritatis teſtes repetendi ſunt nobis ex iis, quos pro hæreticis habuerunt papiſtæ. Itaque cum Bernardus illum ſcriberet erraſſe de poteſtate & autoritate Eccleſiæ, hoc ita videtur accepiſſe Flacius, quaſi contra papæ autoritatem diſputauiſſet, atque hoc nomine tanquam hæreticus ab Antichriſto fuiſſet damnatus. Quod autem addidit Bernardus, ipſi Gerſonem duos libros oppoſuiſſe, ex eo de tempore, quo Petrus ille vixerit, coniecturam Flacius cepit: qui & paulo poſt Gerſonem de eo ſcribit.

h) Fuit enim vtique inter illos tres papas, quibus deponendis prope orbem peragraſſe Sigismundum Imperatorem ſcribit ipſe Flacius *p.* 942. *in fine.* Fuit ille Benedictus cuius mentio apud Flacium *p.* 932. *a.* dum de Gerſone memorat.

OB-

OBSERVATIO XXI.

ALEXANDRI ALESII VITA.

SVMMARIA.

Aleſii Patria, Parentes, tempus natale. §. I. Puer adhuc aliquoties mirabiliter ſeruatus §. II. Carcere diu detentus & in periculum vitæ ob notatos Cleri Pontificii mores coniectus tandem liberatur & ex Scotia abit. §. III. --- VII. Qua occaſione inceperit in ſententiam Lutheri inclinare §. VIII. Quo anno ex Patria abierit §. IX. Poſt exitum ſcripſit Epiſtolam ad Iacobum V. in qua ſe purgauit ab imputationibus Cochlæi §. X. Non fuit ſtatim γνησίως Lutheranus §. XI. Fuit initio Coloniæ, poſtea ſe Wittebergam contulit. §. XII. Anno 1535. redit in Angliam fortunam ſuam ibi periclitaturus. §. XIII. Non tamen diu ibi manſit, cum miniſtri Anglici ei fauentes ex Regis gratia exciderint §. XIV. (Ex iſtis Hugo Latimerus ab Aleſio comparatur Polycarpo. §. XV.) Reditus Aleſii in Germaniam anno 1540. Mittitur a Ioachimo Brandenburgico ad Colloquium Wormatienſe §. XVI. Anno 1542. Diſceſſit Aleſius ab Academia Francofurtenſi ob controuerſiam de pœna ſcortationis §. XVII. Lipſiam ſe contulit, ibi a Saxone contra perſecutiones inimicorum defen-

 ſus.

ſus. XIIX. & eodem anno Profeſſor Theologiæ Lipſiæ factus §. XIX. Tentationes Aleſii redeundi in patriam §. XX. Anno 1544. offertur ei profeſſio in Academia noua Regiomontana, §. XXI. item poſtea, vt iter ad Concilium Tridentinum cum Philippo ſuſciperet §. XXII. Geſta ab Aleſio Annis a 1554. ad 1561. §. XXIII. XXIV. Compoſuit controuerſiam Northuſanam §. XXV. Ab Adiaphoriſtis tandem in partes tractus eſt §. XXVI. Quarum partium fuerit in controuerſia Sacramentaria §. XXVII. XXIIX. XXIX. Bis Rector fuit Lipſiæ §. XXX. Eius Coniugium, Liberi & Mors §. XXXI.

§. I.

Alexander Aleſius Theologiæ Doctor inter exteros Theologos commemorari a Melch. Adamo merebatur. Sed ab hoc omiſſus eſt. Non omiſit tamen eum Beza (*p. m. 119. Icon.*) inter inſtituti in Scotia Chriſtianiſmi inſtauratores, honeſto, ſed, vt ſolet, breui elogio ornare. Quæ mihi de eo ſuppeditauit hactenus lectio, annotabo hic & digeram. *Scotum* eum natione fuiſſe, tam notum eſt, vt id teſtimoniis confirmare ſuperuacaneum ſit. Si Bucholzeri *p. 668. Chronolog.* & Reuſneri *p. 636. Iſagog. Hiſt.* ſupputationem ſequimur, qui mortuum eum A. C. 1565. ætatis

tatis 75. ſcribunt, natus foret A.1490. Sed plus credendum ipſi. Scribit autem *in Matricula Lipſienſi Rectorali f. 62.* talia, quæ docent, natum eſſe *A. 1500.* & quidem, quod exiſtimat ipſe *die 23. Aprilis*, qui D. Georgio ſacer eſt. Ibidem diſcimus Edinburgenſem patria fuiſſe, & atauos Conſules habuiſſe.

§. II. Quid *ipſi puero contigerit* aliquando, ipſe his verbis narrat *Epiſtola dedicatoria Commentariorum ſuorum in Iohannem* (adde *præfationem Expoſitionis in altera ad Timoth.*) *Memini frequenter, & quoties reminiſcor toto Corpore cohorreſco, me in prærupto altiſſimi montis manibus & pedibus reptantem ac proximum præcipitio, ſubito translatum neſcio a quo, aut quomodo in alium locum; & alia vice ex eminentiori deambulacro ædium cadentem in aceruum lapidum poliendorum ad ædificium ſeruatum eſſe diuinitus. Non tribuo hanc ſalutem ſententiis ex Iohanne, quas forſan aliorum puerorum more circumferebam: ſed fidei Parentum, qui harum ſententiam mente circumferebant, & pro me orabant.*

§. III. Cum adoleuiſſet, *Eccleſiæ Metropolitanæ S. Andreæ in Scotia Canonicus factus* (*Vide ipſum in Expoſitione Pſ. 37. f. 181.*) quo quidem tempore Eccleſiæ illius Archiepiſcopus fuit Dauid Betonius, quem Cardinalem Sand Andream nominant hiſtoriæ, ſæuitia in

Euangelii illuceſcentis confeſſores, ſed & miſerabili interitu notus (*e Sleidano Lib. 17. pag. 1515. Buchanano l. 15. rerum Scoticarum p. 526. Marco Wagnero* Bericht von *Nic.* Storcken *p. 46.*) Quæ hic Aleſium *fortuna* exceperit, ipſe luculenter memorat *in Reſponſione ad Cochlæi Calumnias*. Vnde hiſtoriam huc transferemus. Enimuero A. 1529. habuit Orationem in Synodo Epiſcoporum & Sacerdotum, idque de mandato eius, quem iam nominaui, Epiſcopi San-Andreæ, totius Regni Scotorum Primatis. Cumque latine dicendum eſſet, non ad vulgus, videbatur ſibi præter officium facturus, niſi hos, qui præeſſent Eccleſiis, videlicet in loco Apoſtolico hortaretur ad pietatem, ad ſtudium doctrinæ Chriſtianæ, ad bonos mores. Diſerte etiam inſectatus eſt Mœchos ſacerdotes. Hic præpoſitus eius, cum ſciret, adulteria ſua nota eſſe omnibus, ſic interpretatus eſt conſilium Aleſii, quaſi de induſtria eum iſto loco voluiſſet aliis deridendum proponere. Hæc odii aduerſus Aleſium concepti ſemina fuerunt.

§. IV. Nec Præpoſito nouum erat depugnare pro adulteris. Nam aliquando etiam aduerſus Epiſcopum, a quo admonitus erat, vt dimitteret adulteram, bellum mouit. Et collatis ſignis dimicatum fuiſſet, niſi ſe inter vtram-

vtramque aciem, antequam dimicaretur, intuliſſent Comes de Rathus & Abbas de Arbrot, ac rem vtcunque ſedaſſent. Forte autem accidit, vt de Præpoſiti ſæuitiā totum Collegium queri conſtitueret apud Regem propter multas & graues cauſas. Quod vbi reſciuit Præpoſitus, venit cum armatis ſatellitibus in illud ipſum ſacratum conclaue Capituli. Monet hominem iratum Aleſius, ne quid indecorum per iram deſignet. Hic nactus occaſionem, cui antea propter concionem eſſet infeſtiſſimus, eum iubet ab armatis prehendi, ſtrictoque ferro confodisſet, niſi duo Canonici eum vi retinentes, ferrum a corpore iñocentis arcuiſſent. Poſtea ſe cum ad genua eius abieciſſet Aleſius, & ſupplex vitam ſibi donari rogaret, impegit pedem in pectus eius, ita, vt collapſus aliquandiu iaceret exanimis.

§. V. Deinde cum iam in carcere miſer iaceret, iterum in ipſis foribus ferrum captiuo intentauit Præpoſitus, ſed retrahunt eum ſatellites. Poſtea prehendit & cæteros Canonicos omnes. Horum amici, homines nobiles rem deferunt ad Regem. (Is fuit Iacobus V.) qui ſtatim iubet liberari omnes, clementiſſima voce confirmans, niſi locus infeſtus eſſet peſtilentia, ſeipſum venturum fuiſſe ad eximendos e carcere ſacerdotes. Alii li-

berantur, Aleſius in latrinam quandam includitur, donec Rex nominatim de eo cum Præpoſito expoſtulat. Eum is iurat ſanctè liberatum eſſe, mendacium ac periurium addens ſæuitiæ. Iam amici de vita captiui deſperare incipiebant, & quia valetudine aduerſa conflictabatur, fama increſcebat, eum mortuum eſſe in carcere. Tum demum poſt 20. diem extrahit, ſqalentem ex latrina illa (in qua inter bufones & ſerpentes vixerat: *Vide ipſum in Præfat. Expoſit. in 2. ad Timoth.*) in lucem, iubet lauari ac nitide veſtiri, mandatque, ne cui hominum narret, quomodo tractatus fuerit a Præpoſito. Deinde accerſit Magiſtratus oppidi, productumque eis oſtendit, vt famam de carcere & morte refutet. Aleſius vero, cum ſciret, eum ſibi nunquam placatum fore, Magiſtratibus illis iubentibus autoritate regia, rem omnem in magna frequentia narrat. Præpoſitus vtcunque placat Magiſtratus & confirmat Aleſium deinceps liberum fore. Sed poſt eorum diſceſſum expoſtulat cum eo, cur non celauerit iniurias, quemadmodum ipſe mandaſſet. Propter eam cauſam iubet illum rurſus cuſtodiri. Ita captiuus integrum fere annum fuit.

§. VI. Queſtus eſt & apud Epiſcopum de iniuria, ſed Præpoſitus renunciat, nihil eſſe, cur ab Epiſcopo præſidium ſperaret, quia con-

concione illa audita animaduerterit, eum favere Lutheranis, & ideo coercendum cenſeat. Interdum autem Canonici, abſente Præpoſito educebant miſerum e cuſtodia. Cumque ad extremum rediiſſet forte Præpoſitus, citius eorum opinione, videt Aleſium ſtantem ad Aram & ſacra facientem. Quare cum contemni ſuam autoritatem & ab Aleſio & a Collegio interpretaretur, iratus iubet eum ab ara auelli, & in latrinam rapi. Sed Canonici deprecantur violationem publicarum religionum, & inducias impetrant, donec ſacrum perficiatur. Poſtquam litauit abducitur ſtatim in cuſtodiam, poſtridie in latrinam abiiciendus,

§. VII. Cum autem Canonici quidam, qui audierant, iam deſignatum eſſe cuſtodem carceris Ioh. Haium, ſacrificulum, de vita eius deſperaſſent; accedunt ad eum, cum iam primæ tenebræ noctis intenderentur, docentq; certum exitium impendere, niſi fuga ſibi conſulat. Ipſe ad amicos conferre ſe volebat. Sed illi conſulunt, vt ſolum vertat potius, quia Præpoſitus ſtatim miſſurus ſit equites, qui eum vel invia opprimant, vel per vim ab amicis abſtrahant. Ita neceſſitati & aliorum conſiliis parendum ratus, clam educitur & inſtructus viatico cum inter ſe lachrymantes valedixiſſent, media iam nocte per denſiſſimas tenebras

ſolus iter ingreditur, fiducia Chriſti ſuos dolores ſuſtentans. Ea nocte, magno itinere confecto ad naues peruenit. In quibus eum quidam homo Germanus admodum amanter excepit, ſibique adiunxit, & poſtea ægrotum ſumma humanitate curauit. Poſtridie cum iam a portu ſoluiſſent, veniunt ad litus Equites miſſi a Præpoſito, qui eum quærerent. Vbi non inueniſſent, Præpoſitus vocat ad ſe ciuem quendam ex porta Dedöenſi, quem ſuſpicabatur Aleſio naues curaſſe. Venit vna ad Præpoſitum oppidi Præfectus, Eques auratus. Cum ciuis negaret, ſe fugitiuo opitulatum eſſe; Ego vero, inquit Præfectus ille ad Præpoſitum, ſi ſciſſem, Alexandrum parare abitum, ſumma voluntate ei & nauim & viaticum curaſſem, vt a ſæuitia tua liberaretur. Nam ſi meus frater eſſet, multo ante eum ex his periculis ac miſeriis, in quibus apud Te verſatus eſt, eripuiſſem.

§. VIII. Quod ſupra memoratum eſt, *Lutheranorum partium eum Epiſcopo ſuſpectum fuiſſe* non plane fuit de nihilo. Non enim tantum in illa Concione abuſus quosdam Eccleſiæ Pontificiæ reprehenderat, ſed &, cum interfuiſſet certamini, quod Regiæ ſtirpis adoleſcens, Patricius Hamilton cum ſacrificulis ad martyrium vsque ſuſcepit, non leuiter inclinare incœperat ad cauſam Lutheri. Audiuerat

rat enim reſpondentem ex ſuggeſtu pro capite Dominicaſtro cuidam (Alexandrum Cambellum nominat Buchananus *lib.14. rerum Scotic.p.480.*) Erat autem Aleſius tum doctrinæ ſententiariorum addictus, & paulo ante ex Rouenſi Lutheri aſſertiones refutaverat cum applauſu Theologorum. Verum præter exſpectationem ipſi euenit, vt ex Patricii colloquio errorem ſuum agnoſceret, nec diſſimulare potuit dolorem ſuum in ipſius cruciatu. Vidit enim in patria ſupplicium eius, & de eo *in expoſitione Pſ. XXXVII. f. 163.* multa hiſtorice commemorat, quæ tanquam lectu dignisſima germanice poſtea verſa in hiſtorias martyrum transtulit Ludouicus Rabus *P.2.l.4.f.474.& ſeqq.*

§. IX. De anno, qui Patricio martyrium attulerit, non idem video omnes ſentire, aliis 1528. memorantibus (Rabus *d.l.* Budæus *θανατολογ p.38.* Hondorfius *Prompt.p.64.*) aliis 1530. (Epitome martyrologii magni *Hanoviæ in 8vo. p 238.* Beza *in Icon.p.m.117.*) cum neque de die conſentiant, vt adeo ſtatuere non poſſim, an Aleſio ante habitam a ſe orationem, an poſtea demum ex illa cum Patricio conſuetudine lux affulgere cœperit. Quicquid ſit, id quidem affirmare poſſe videor, exilium Aleſii in *A. 1532.* incidiſſe. Nam in oratione, quam *A. 1540.* habuit Francoſurdiæ

ad

ad Oderam (quæ extat *Tom. I. Philoſophic: declamat. Philippi*) ſatetur (*p. 672.*) ſe iam annos 8 abeſſe a patria, vbi & cauſam exilii & autorem commemorat.

§. X. Certum eſt autem, Exilii ſedem initio eum Germaniam ſibi legiſſe, ac ſuſpicor, paulo poſt ſuum in has terras aduentum ſcripſiſſe Epiſtolam illam, quam *in Reſponſione ad Cochlæi calumnias p. 2. & 24.* priorem vocat, mihi nondum viſam, in eaque ſe purgaſſe Iacobo Regi. Ac de hac Epiſtola illud etiam interpretor, quod in reſponſione extat. *p. 3. Non ſcripſi de dogmate aliquo, nullam nouam aut obſcuram Controuerſiam tractaui, tantum recenſui veterem omnibus ſeculis decantatam ſententiam: Non eſſe arcendum populum a lectione Sacrorum Voluminum.* Sed Cochlæo ſatis hoc cauſæ fuit, cur eum pro Hæretico & Lutherano traduceret, pesſimisque proſcinderet modis. Huius calumniis reſponſionem eam oppoſuit Alexander, quam hactenus citaui, Epiſtolæ in modum Iacobo V. Scotorum Regi inſcriptam, ſed nulla nec loci nec anni, nec diei mentione notatam, ſiue quod eo tempore nondum tuta circa ſe ſatis omnia crederet ſcriptor, ſive quamcunque aliam ob cauſam.

§. XI. Neque tamen eo tempore ex aſſe Lutheranus fuit Aleſius. Sic enim inter alia ſcribit *p. 8. & 9. Veneror poteſtatem Eccleſiaſticam*

cam, vt qui maxime, & eius iudicium in ambiguis libenter & ſequor & ſecutus ſum. Ab Anabaptiſticis deliramentis toto animo, totoque pectore abhorreo; nullum nouum dogma placet, cuius nulla extant in Eccleſia veteri Teſtimonia; Deinde, vt non ſuſcipio Lutheri Patrocinium, ita nec omnia Monachorum ſomnia probo, quæ non ſolum contra Scripturæ ſententiam, ſed etiam contra veteris Eccleſiæ authoritatem recepta ſunt. Adhæc non poſſum probare ſæuitiam, quæ pasſim aduerſus eos exercetur, qui iudicium Scripturæ aut Patrum ſequentes, abiiciunt aut reprehendunt aliquem manifeſtum abuſum aut errorem. Sequitur poſt pauca: *Vidi Coloniæ duos optimos viros pie & recte ſentientes, & alienisſimos a fanaticis Anabaptiſtarum opinionibus exuri. Nec ego improbo leges de puniendis hæreticis, ſed cognitio accedat, ne plectantur innocentes. Deſidero & ipſe moderationem quarundam rerum in Lutheranis & ἐπιείκειαν, ad quam reuocari poſſent, ſi res rite cognoſcentur.* Porro p. 10. *Nuper Coloniæ familiariter colloquens cum quodam viro ſummæ & doctrinæ & authoritatis, cum animaduerterem, eum magno dolore affici propter Eccleſiæ perturbationem, cœpi hortari hominem, vt ſuam ſententiam quibusdam negotiis interponeret. Cum multa in hanc ſententiam diſputaſſem, ille ingemiſcens aliud nihil reſpondit, tantum iuſſit me audire Apologum.* Refertur hic fabula de Leone ſene, Vrſo, Lu-

Po

po & vulpe: poſtea ſequitur: *Hæc cum dixiſſet, & ego ἐπιμύθιον exſpectaui, ille iubet me omittere hanc diſputationem. Sed tamen ſignificare viſus eſt, prudentibus tacendum eſſe, quia veritas ſit in odio, & impudens adulatio noceat & Reipublicæ & ipſis adulatoribus.*

§. XII. Hæc ideo excerpſi, ut ſimul pateat, Aleſium, cum reſponſionem iſtam ederet, iam Coloniam vidiſſe. Quin & alibi *in eo ſcripto p. 19.* teſtatur, officium ſe debere quibusdam imperii Ciuitatibus, qui ſe venientem in Germaniam amanter exceperint. Poſtea *p. 21.* commemorat, ſe ipſum vidiſſe & a Principibus, & a Ciuitatibus liberaliſſime conferri Eleemoſynas in hoſpites, homines pios & egentes, non addictos vlli factioni. Fixit autem ſedem in Academia Wittebergenſi, de qua ipſum loquentem audiamus (*oratione ſuperius cit. p. 678. Tom. I. Declamat. Philippi*) *Primum ex patria diſcedens veni in Academiam Saxonicam, eo tempore, quo omnes articuli doctrinæ diligentiſſime diſputabantur, vbi conſuetudine eruditorum excitatus, multa maiore cura conferre dogmata cœpi.*

§. XIII. Wittebergæ dum hæret, contigit, vt Henricus IIX. Angliæ Rex, Catharinæ vxoris pertæſus, ea repudiata (de hoc diuortio Aleſius ipſe *Pſ. XXXVII f. 183.*) Annam Boleniam duceret. Cumque Clemens Papa

Papa VII. hoc diuortium ſolenni ſententia improbaſſet, offenſus Rex, vt vicem illi redderet, neque amores ſerio reiectos repetere cogeretur, omnem Romano Pontifici per Angliæ Regnum authoritatem abrogauit. Spes hinc multis ſurrexit, fore, vt Euangelium reciperet Anglia, præſertim cum conſtaret fauere nouam Reginam. Accedebant crebræ literæ, quibus Phil. Melanchthon fiebat certior, aduentum ſuum in Britanniam magnopere expeti, & futurum, vt ab ipſo Rege vocaretur. Hoc ergo rerum ſtatu illectus Aleſius in Anglia periclitari fortunam ſuam ſtatuit. Exſtat ad eum Elegia Ioh. Stigelii (*Volumine 2. Poem. eius p. 177.*) qua proſecutus eſt abeuntem in Angliam. Dedit illi & Philippus Epiſtolas duas, vnam ad Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem (*l. 3. Epp. Philippi p. 29.*) alteram ad Henricum Regem (*ibid. p. 9.*) vna cum libello quodam, quem Regi a ſe dedicatum (puto fuiſſe ſecundam editionem Locorum communium, cuius dedicatio legitur *d. l. p. 8.*) offerret. Et quoniam vtrique Epiſtolæ annus adſcriptus eſt 1535, cognoſcere hinc licet quo anno in Angliam abierit Aleſius, quem & Regi nouis literis, Calendis Decembris dicti anni ſcriptis (*l. 1. Epp. p. 25.*) commendat Philippus.

§. XIV

§. XIV. Sed hæc manſio non fuit illi valde diuturna. Quanquam enim Thomæ Cromwelii (Beza *in Icon. p. 119.*) maxima tum autoritate apud Henricum Regem pollentis beneuolentia fretus, tum priuatim, tum etiam in publico omnium Epiſcoporum conſeſſu fortiſſime veritatem aſſeruit; tamen id non eo prorſus, quem boni obptabant, ſucceſſu, factum eſt, redeunte ſcilicet ad ingenium Rege, & veterem in Euangelii Confeſſores ſæuitiam renouante (vide Aleſium ipſum *oratione ante citata p. 672.*) Et vero per id tempus noua imminebat tempeſtas, quæ poſtea Thomam Cromwelium (de quo Sleidanus *lib. 13*) & Robertum Barnum, vita, Hugonem Latimerum, & Sariberienſem Epiſcopum dignitate exuit. E quibus Hugonem ſub Imperio Mariæ A. 1555. (vide Budæum *θανατολογ. p. 84.*) adſcripſit Martyribus.

§. XV. Neque hac occaſione prætereundum videtur, quod de eo ſcribit Aleſius, (*in Pſ. 37, f. 161.*) his verbis: *Qui Doctorem Latimerum, Epiſcopum Frigornienſem nouit, Polycarpum vidit* (Polycarpo etiam eum comparat Beza *in Icon. p. 112.*) *Talis enim ille fuit, qualem pingunt hiſtoriæ Polycarpum. --- Quoties ego hunc vidi, & audiui coram Henrico IIX. Angliæ Rege. --- docentem Euangelium? Quis* Re-

Regi, Ducibus, Comitibus & toti nobilitati tam charior? --- Et tamen tanta fuit modeſtia, vt ſe ad infimos homines demitteret, & me propter ſtudium doctrinæ ſæpe in Aula, & in platea Lundinenſi per brachium apprehenſum duceret, & ſuaviſſime de multis rebus colloqueretur mecum.

§. XVI. Rebus in Anglia iterum turbatis repetiit Germaniam Aleſius, eo ipſo, vti reor, anno, quo Francofurdiæ ad Oderam (nam hic portus eum ex illa tempeſtate excepit) orationem habuit de ſcholis reſtituendis, quaſi Theologicæ Profeſſionis auſpicatoriam, vbi plura legantur. Is autem fuit poſt ſesqui mileſimum quadrageſimus. Sub fine huius anni a Marchione Brandenburgico, Ioachimo, ablegatus eſt ad colloquium Wormatienſe (Camerarius *in vita Philippi p. 187.* Sleidanus *Lib. 13.* Oſiander *Epit. Hiſtoriæ Eccleſ. cent. 16. p. 329.*) quod quidem in annum ſequentem extractum fuiſſe produnt hiſtoriæ. In eo quænam fuerint partes Aleſii (quanquam parum ibi actum eſt) e Camerario (*d. l.*) petatur & Conſiliis Theologicis Philippi (*P. I. p. 399. & ſeqq. it. p. 405.*) vbi quidem Scoti nomine Aleſium deſignari, dubium mihi non eſt.

§. XVII. Poſthæc in Francofurtienſi Academia A. 1542. certamen ipſi quoddam fuiſſe comperio de pœna ſcortationis ſimpli-

cis & adulterii (*P. I. Conſill. Theologicorum Philippi p. 523. It. Epiſtolæ Philippi ad Camerarium p. 414.*) qua in re cum ab Academia perſcriptæ eſſent literæ ad Philippum Melanchthonem inſerta diſputatione ipſa, neque vt apparet, ſine querela, de aculeis Aleſii, Philippus ita reſcripſit, vt aculeos quidem illos ſibi diſplicere teſtaretur, de cœtero ſententiam eius probaret, ſcortationem ſcilicet publicam a Magiſtratibus & poſſe & debere puniri, etſi diſcrimen ſit inter adulterii pœnas & ſcortationis. Videtur Aleſius Rectore Academiæ vſus eſſe in hoc negotio minus fauente ſibi. Itaque cum interpoſito Philippi iudicio, quod ab Aleſio faciebat, nihilominus diſputatio impediretur, id Aleſium ſic offendit, vt non exſpectato Principis aduentu ex Academia diſceſſerit.

§. XIIX. Quæ quidem eius præceps diſceſſio Philippo, mitiſſimi viro ingenii, non probabatur, quippe contra ipſius conſilium facta (*vide ipſum Ep. ad Camerarium p. 412. & ſeq.*) nihil ominus hanc eius infirmitatem tolerauit Philippus, (*ibid. p. 415.*) quem ob egregias dotes alias, quibus hanc labem penſauit, chariſſimum habuit ſemper, deditque operam, vt de noua functione proſpiceretur Aleſio, tametſi poſt migrationem illam non ad Philippum Wittebergam, ſed Lipſi-

am

am ipſe eſſet profectus, ſiue pudore impeditus, quod Philippum offendiſſet, ſiue incitatus amore Academiæ Lipſienſis. Interim dum de noua Profeſſione res nondum eſt confecta, donat eum Princeps Saxo 40. aureorum viatico per hyemem (*Philipp. ad Camerar. p. 414.*) Cum diſceſſiſſet Aleſius, quidam ex aula (Brandeburgica, vt opinor) ſcripſerunt ad Academiam Wittebergenſem de eo puniendo. Sed ſcripſit pro eo defenſionem Philippus (*quem vide ad Camerarium p. 416.*) Poſuerim hoc inter cauſas, cur Aleſius iam Lipſiæ degens, cogitauerit emittere ſcriptum aliquod dimicatorium. Sed ne quid tale ederetur, egit Philippus cum Camerario *d. l. & pag. præced.*

§. XIX. Interim hoc certum videtur Aleſio hoc adhuc anno de Profeſſione Lipſienſi, quam quidem nactus eſt Theologicam, proſpectum fuiſſe. Vbi obiter noto ſaltum quendam a Dreſſero commiſſum *P. 3. Iſag. Hiſt. p. 217.* dum Profeſſionem Lipſienſem ita memorat, quaſi ad eam ſtatim tranſiiſſet Witteberga, cum tamen interceſſerint iter Anglicum & Profeſſio Francofurtenſis. Verba Dreſſeri: *Wittebergam venit A. 1533. inde progreſſus eſt Lipſiam, vbi Scripturam Sacram multos annos docuit.* Puto autem Profeſſorem Lipſienſem eum fuiſſe, cum hæc ſcriberet

Philippus IV. Decembris A. 1542. *ad Camerar. p. 419 Addidi & alias Epiſtolas, Baumgartneri, ac Viti Noribergenſis de quodam Concionatore, amico Aleſii. Velim ergo, Te eas Epiſtolas Aleſio tradere, ac iubere eum, vt quamprimum ſcribat illi ſuo amico, quem tamen nunc arbitror in Marchia retineri.* Is, qui hic nominatur, amicus Aleſii, Muſculus fuit, vt patet e *lib. 4. Epp. Philippi p. 164.*

§. XX. Hoc eod. Anno XII. Dec. obiit Iacobus V. Rex Scotiæ (Budæus *θανατολ.* p. 62.) videbanturque ab eius obitu mutationes quædam impendere in negotio Religionis, rumoribus adeo auctæ, vt anno ſequente ad Camerarium ſcribat Philippus (*p. 428.*) mirum eſſe, ni Aleſius in Patriam reuolaturus ſit. Verum eo quidem tempore ad maturitatem non peruenit, nec viuo quidem Aleſio vnquam. Quare de Aleſio ſic Beza (*in Icon. p. 119.*) aliud eximium Scotiæ decus in patria futurus erat Alexander Aleſius, niſi Deus illum prius ex hac vita euocaſſet, quam Scotia receptis oculis, Euangelii lucem penitus amplecteretur.

§. XXI. A. 1544. ab Alberto Pruſſiæ Duce inchoata & condita eſt Academia Regiomontana (Reuſnerus *Iſag. Hiſt. p. 170.* Iuſtus *de Academiis p. 66.*) Et apparet ex Epp. Philippi *ad Camerarium* (*p. 435, 436, 438.*) iam anno

anno præcedente inter Conſilia videlicet, inſtituendæ Academiæ oblatam fuiſſe Aleſio conditionem Regio-montani Profeſſoris a Duce, ſed eo recuſante, prouinciam hanc demandatam fuiſſe Friderico Staphylo.

§. XXII. Eod. Anno Philippus Aleſio ſcripſit Propoſitiones quaſdam, quæ fortaſſe fuerunt de peccato originis *vide Epp. ad Camerar. p. 446. & 451, 455.* Neque ad alium annum pertinet cohortatio Aleſiana, quam Luthero valde placuiſſe alibi teſtatur Philippus (*ad Camerar. p. 463.*) Anno 1557. exeunte, vocatus fuit Aleſius, vt cum Philippo & Valentino Pacæo ſuſciperet iter ad Concilium Tridentinum. Sed retinuit eum febris. Subſtitutus ipſi eſt Eraſmus Sarcerius (*vide Philipp. lib. 2. Epp. p. 144.*)

§. XXIII. Anno 1554. cum Philippo, Forſtero & aliis quibusdam Theologis interfuit Conuentui Numburgico, vt fieret de Pruſſiaca præcipue Oſiandri controuerſia collocutio cum Tubingenſibus. Sed hi tamen etſi ſe iam in viam dediſſent, neque longisſime abeſſent, neſcio; quam ob rem aut famam non perrexerunt, neque in illo Conventu adfuerunt. Nihilominus diſceſſum eſt ſine vlla diſſenſione (Camerarius *in vita Philippi p. 337.* Epiſtolæ Philippi *editionis Mantiana p. 430.*) Sequente anno 1555. cum euo-

catus eſſet Philippus a Senatu Noribergenſi ad diiudicationem controuerſiæ, motæ ab Oſiandro, præ cœteris ſibi collegam aſciuit Aleſium; Comitem itineris ſe præbuit etiam Camerarius (Milius *Chronolog. Scriptorum Philippi p. 69.* Beza *in Icon. p. 119.* Camerarius *in V. P. p. 350.*) Anno 1561. Naumburgum in Thuringiam iterum vocatus, vbi Principes Auguſtanæ Confeſſionis cū ſuis Theologis conuenerant, operam & fidem in tanto conſilio nauauit (Dreſſerus *P. 3. Iſagog. pag. 217.*)

§. XXIV. Eod. Anno Dreſdæ in ſolenni Theologorum ab Electore conuocatorum conſeſſu, cui & Selneccerus interfuit, Aleſius aperte dixit, ſe in ſimplicitate Catechiſmi & Confeſſionis Lutheri de Cœna Domini manere, & damnauit diſputationes Sacramentarias contra Confeſſionem illam inſtitutas, inquiens: *Ah! quam felices ſunt Läici, qui ſimpliciter credunt verbis Chriſti! Et quam infelices ſunt Sacramentarii & alii, qui de veritate verborum Chriſti, & de modo Poſſibilitatis diſputant.* Hæc vox Aleſii placuit omnibus (Selnecc. *Recit. 2. p 20.*) qui non libenter audiunt ab Aduerſariis ad iſtud ſingulare Dei donum, rectam rationem prouocari, ſed potius fidem cœcam volunt.

§. XXV.

§. XXV. Cœterum circa hoc tempus compoſuit etiam Controuerſiam Northuſanam, cooperantibus Theologis aliis, quæ poſtea recruduit. Mentio huius compoſitionis in epiſtola Aleſii germanica ad Iacobum Siboldum & Iacobum Noricum ſcripta Lipſiæ A. 1563. die Andreæ. Cœterum in certamine Adiaphoriſtico ſtudioſum quidem eum pacis fuiſſe, patet e *Præfat. eius in 2. ad Timoth.* Quas interim ſecutus ſit partes, obſcurum eſſe non poteſt cogitanti, eum inter Lipſienſes Theologos fuiſſe. Quare & libellum ſcripſit aduerſus eos, qui Wittebergenſibus ac Lipſienſibus Theologis atrox crimen Schiſmatis obiecerunt. Huius libelli mentio apud Philippum *Tomo I. Epiſt. p. 375.* Nihilominus ex eius alio quodam libello locum quendam excerpſit Flacius (vide eum im Bericht von etlichen Articuln LL. 2.) quem ipſis adiaphoriſtis opponeret. Darinnen er (verba ſunt Flacii) die Adiaphoriſten nicht allein anderer groben Stücke halben beſchuldiget / ſondern auch / daß ſie die Lehre allein durch den Glauben der Papiſten zu einem Beuth-Pfennige geſchencket und übergeben haben.

§. XXVI. Nimirum ab Adiaphoriſtis videtur tandem pertractus eſſe in partes cum initio alteri ſententiæ faueret. Nam & Ma-

ioris dogma de Neceſſitate Bonorum operum, alibi a ſe reiectum, ſcripta diſputatione, quam habuit Lipſiæ *An. 1560. die 29. Dec.* comprobauit tandem, quam ipſi inconſtantiam exprobarunt poſtea Ducales Theologi *p. 39.* der demüthigen Supplication Schrifften eines Synodi halben / & *in Actis Colloquii Altenburgenſis f. 110.*

§. XXVII. In articulo de Cœna Domini quid ſenſerit, poteſt dubitari. Ediderunt aliquando Neoſtadienſes Reſponſionis Aleſianæ ad defenſionem articulorum Louanienſium Ruardi Tapperi partem aliquam, ante ineditam, ſuper articulo XIII. agente de Sacramento Euchariſtiæ, ſcriptam Anno 1561, in qua parte non tantum defenditur opinio Sacramentaria, ſed & adſtruitur narratio illa, iam ante ab Heidelbergenſibus A. 1565. primum propalata de Luthero, quaſi paulo ante obitum faſſus ille fuerit Philippo, in negotio Sacramentario nimium a ſe factum fuiſſe (Selnecc. *Recit. 1. p. 16.* Hoſpinianus *P. 2. Hiſtoriæ Sacramentariæ f. 201.* Pezelius *P. ult. argumentorum Philippi p. 187.*) Hanc ergo partem, Neuſtadiani commemorant, cum Aleſius Typographo Lipſienſi Ioh. Rhambaw excudendam tradidiſſet, reſciuiſſe hoc Pfeffingerum, & librum ex officina abſtuliſſe, editionemque impediuiſſe, Ioh. autem

Pful-

Pfulmannum, (qui eo tempore auditor Aleſii fuerit, miſſus poſtea ad ſeruiendum Eccleſiæ in Palatinatu Bauarico) ex Aleſii libro, quem domum deportandum ab ipſo finita prælectione publica acceperit, ea deſcripſiſſe, ex Pfulmanni autem manu hæc deſcripta eſſe teſtibus viris integerrimis, qui & Lipſiæ A. 1563. d. 6. Apr. ex ἀυτογϱάφῳ Aleſio illum hæc deſcripſiſſe, & iſta ſic acta eſſe Lipſiæ ſe ibi præſentibus ſciant & teſtentur.

§. XXVIII. Verum, vt illam de Luthero narrationem ipſo ſtatim, quo ab Heidelbergenſibus primum vulgata fuerat, anno, Doctor Ioachimus Merlinus, ſcripto (quod integrum vide apud Selnecc. im gefährlichen Entwurff p. 21. & Hiſtoriæ von der Augſp. Confeſſion und Concordia f. 504.) poſt eum & alii (Dreſſerus *in præf. hiſtoriæ Martini Lutheri*, & Hutterus *p. 128. Caluiniſtæ Aulico-Politici*) refutare intenderunt: Ita & de Aleſio, quæ attulerunt Neuſtadiani, dubiæ fidei redduntur ex iis, quæ Selnecc. (*p. 20. Recitt.*) de Aleſii Confeſſione circa Articulum de S. Cœna commemorat. Quanquam addat, ſuſpicionem aliquam in eum fortaſſe cadere poſſe, & Ioh. Balæus (ſub quo ficto nomine Simonem Steinium latere ſuſpicor) *in examine Recitationum Selnecceri (p. 42.)* ſcribat viros honeſtos & graues eſſe, qui affirment, Aleſium, vocem illam

ſuam, (quam aduerſus Reformatos emiſerit in Dreſdenſi Conuentu) poſtea deploraſſe. Iam & hoc affirmari video, interrogatum a Ludouico, Palatino Electore, M. Ioh. Pfulmannum, paſtorem Nabburgenſem, ad quem Neuſtadiani provocauerant, ſuper iſta Lutheri voce, quam ex Aleſio acceperit, conteſtatione diuini Numinis adhibita, reſpondiſſe, iniuriam ſibi fieri.

§. XXIX. Quæ ſi inter ſe comparo, id tandem dicere poſſe videor, fuiſſe etiam Aleſium inter Crypto-Caluinianos, vt tum vocabantur, & fortaſſe in anti-Tappenianis Reſponſionibus ſcripſiſſe aliquid, cuius editionem ob heterodoxiam imputatam impedierit Pfeffingerus. Illi autem ſchedæ eius Philippiſtas poſtea illam de Luthero traditionem aſſuiſſe, perſuaſos, illi facilius fidem fore apud eos, qui meminiſſent, aliquam Aleſii Chartam a γνησίως Lutherano hac parte Pfeffingero ſuppreſſam fuiſſe. Quamuis & hæ coniecturæ tales ſint, quæ facile ab altera parte vel negari vel refutari queant.

§. XXX. Rector in Academia Lipſienſi bis fuit Aleſius, & quidem de natione Saxonica per æſtiua ſemeſtria, ſemel Anno 1555. iterum Anno 1561. Fidem vtro-

vtrobique facit matricula, in qua & viſuntur depicta eius inſignia: Eine Welt-Kugel mit einem gelben Creutz im rothen Schilde / oben in der Kugel zwey Sterne / unten grüne Bäume.

§. XXXI. Vxorem habuit Catharinam, ex illuſtri quadam Angliæ familia, cognomento de Mayn oriundam (vt eam, in Anglia, cum degeret, duxiſſe credibile ſit,) ex ea quot ſuſceperit liberos, certum non habeo. Tres tamen numerare poſſum: Chriſtinam, quæ Doctori Marco Scipioni nupſit, & poſt maritum obiit Anno 1604, ætatis 59. (*Programma funebre*) Aliam filiam ab hac diuerſam (niſi enim diuerſa eſſet, oporteret anno ætatis XII. nupſiſſe) cuius tamen nec nomen, nec maritum habeo compertum, quæ Anno 1557. nupſit (vt patet *e P. 6. Epp. Philippi p. 359.*) filium denique Caſparum, extinctum in pueritia. Qui cum in æde Paulina ſepultus ſit (in der Pflägeriſchen Capell: *Caſpari Filiolo Alexander Aleſius Doctor lugens poſuit:*) credibile eſt, & Patrem non procul inde quieſcere, ſed tamen momentum eius nullum apparet. Obiit autem Alex. Aleſius Anno 1565. XVII. Martii, teſtibus Buch-

hol-

holzero (*p. 668. Chronolog.*) Budæo (*p. 106. θανατολ.*) Dreſſero (*P. 3. Iſagog. p. 217.*) & Reuſnero (*p. 636. Iſagog. hiſtor.*) ætatis An. 65. cum Profeſſor Lipſienſis fuiſſet per 22. annos.

INDEX RERVM.

A.

ABortus *I.* p. 3. funeſtus p. 4. indicia ib. cauſæ an plethora, vel abdominis anguſtia? p. 3. 5. & 11. negatur p. 8. ſeq. motus corporis incautus, aſſeritur. p. 15.

Acoris hoſtilis effectus noxii *III.* p. 75. vnde exiſtat *III.* p. 76. 77.

Alexandri Aleſii Patria *XXI.* p. 420. parentes p. 421. puer variis in caſibus ſeruatur. ib. Carcere incluſus p. 421. ex iſtis acerbiſſimis incommodis fuga ſe eripit. p. 425. in ſententiam Lutheri inclinare cæpit, p. 426. prius tamen non adeo ſincere. p. 428. Wittebergam dein, p. 430. hinc Angliam p. 431. inde Lipſiam petit 435. ibi Profeſſor factus. ibid. poſtea vocatur in Regiomontanam. 437. Geſta eius 438. ſeqq. Adiaphoriſta factus p. 439. Bis Rector Lipſiæ p. 443. Eius vxor, liberi, & mors ibid.

Animam aquis perire, Gentiles credidere. *V.* p. 116. negatur, ib. p. 132. an ignea ſit, p. 126. ſeq. 132. impediri ſub aqua quidam cenſent. p. 129. ſeqq. Animæ ſapientum tantum immortales, ſtultorum mortales p. 131. diſputatur contra eos, qui falſo aliquibus eam ſententiam tribuunt p. 132. ſeqq.

Antoninus pius Imperator, Philoſophus *XIII.* 298. Patronus Philoſophorum ac Pater ib.

Arceſila philoſophus *IX.* 243.

Armorum ius an antiquiſſimum? *VII.* p. 200. ſeqq.

Atheus quis? *VI.* p. 166. ſeq.

Athenæus *IX.* 254. peripateticus philoſ. ibid.

Athenodorus, philoſ. IX. 253.

Auguſti tituli origo. XIV. p. 321. dicitur non ab auctu. p. 321. ſed ab augurio p. 322. huius ſynonimum eſt Sanctus ib. ſeqq. Cur ſucceſſoribus Impp. imponatur, p. 324. tit. Semper Auguſti, origo p. 325. ſeqq.

B.

Barbariſmus. *VI.* 165.

Barbaricæ gentes, Latrones *VI.* p. 158. & 166. eædem Atheæ p. 166. male religioſæ 167.

Barditus Germanorum. XVII. p. 571.

Bellum vnde iuſtum dicatur. V. p. 153.

Bibliothecæ Romanæ XIII. 317. quot fuerint. ibid.

Bibliotheca Byzantinorum. Impp. IV. p. 107.

Boethius philoſophus, Conſul Rom. XIII. p. 310. eruditio eius morumque probitas, ibid. occiditur. ib.

C.

C.

Chaldæorum philoſophi *IX.* p. 252. Roma eiiciuntur ib.
Cain autor Latrocinii *VI.* p. 158.
Carneades philoſ. an vrbe eiectus? *IX.* 243.
C. Cotta, phil. Rom. cum Cicerone Academiam nuper inſtauratam, defendit *IX.* 248.
C. Velleius Rom. Philoſ. Epicureus IX. p. 249. contra Platonem diſputat. ibid.
C. Cæſar philoſ. IX. 251. Mathematicus & emendator Calendarii. ibid.
Cantica bella. XVI. p. 370.
Canticorum vſus in ſacris Chriſtianorum XVII. p. 371. origo artis cantandi in Germania p. 372. lis de eius præſtantia. p. 373.
Cantores Metenſes. p. 375.
Chartæ origo. *XII.* p. 284.
Certitudo medicæ ſcientiæ an detur? *II.* p. 23. negatur. ib. ratio ib. ſeqq. probatur p. 24. 25. exemplis.
Cicero philoſ. Rom. *IX.* 249. auditor Philonis. ib.
Circulus Philoſophicus in medicina commendatur. *III.* p. 106.
Ciuitatum origo. *VI.* 162.
Collationes veſpertinæ eruditorum vnde ortæ *IV.* p. 109. in quem finem. ib. ſeq.

Antoninus pius Imperator, Philoſophus *XIII.* 298. Patronus Philoſophorum ac Pater, ib.

Arceſila philoſophus *IX.* 243.

Armorum ius an antiquiſſimum? *VII.* p. 200. ſeqq.

Atheus quis? *VI.* p. 166. ſeq.

Athenæus *IX.* 254. peripateticus philoſ. ibid.

Athenodorus, philoſ. IX. 253.

Auguſti tituli origo. XIV. p. 321. dicitur non ab auctu. p. 321. ſed ab augurio p. 322. huius ſynonimum eſt Sanctus ib. ſeqq. Cur ſucceſſoribus Impp. imponatur, p. 324. tit. Semper Auguſti, origo p. 325. ſeqq.

B.

Barbariſmus. *VI.* 165.

Barbaricæ gentes, Latrones *VI.* p. 158. & 166. eædem Atheæ p. 166. male religioſæ 167.

Barditus Germanorum. XVII. p. 571.

Bellum vnde iuſtum dicatur. V. p. 153.

Bibliothecæ Romanæ XIII. 317. quot fuerint. ibid.

Bibliotheca Byzantinorum. Impp. IV. p. 107.

Boethius philoſophus, Conſul Rom. XIII. p. 310. eruditio eius morumque probitas, ibid. occiditur. ib.

C.

Chaldæorum philoſophi *IX.* p. 252. Roma eiiciuntur ib.
Cain autor Latrocinii *VI.* p. 158.
Carneades philoſ. an vrbe eiectus? *IX.* 243.
C. Cotta, phil. Rom. cum Cicerone Academiam nuper inſtauratam, defendit *IX.* 248.
C. Velleius Rom. Philoſ. Epicureus IX. p. 249. contra Platonem diſputat. ibid.
C. Cæſar philoſ. IX. 251. Mathematicus & emendator Calendarii. ibid.
Cantica bella. XVI. p. 370.
Canticorum vſus in ſacris Chriſtianorum XVII. p. 371. origo artis cantandi in Germania p. 372. lis de eius præſtantia. p. 373.
Cantores Metenſes. p. 375.
Chartæ origo. *XII.* p. 284.
Certitudo medicæ ſcientiæ an detur? *II.* p. 23. negatur. ib. ratio ib. ſeqq. probatur p. 24. 25. exemplis.
Cicero philoſ. Rom. *IX.* 249. auditor Philonis, ib.
Circulus Philoſophicus in medicina commendatur. *III.* p. 106.
Ciuitatum origo. *VI.* 162.
Collationes veſpertinæ eruditorum vnde ortæ *IV.* p. 109. in quem finem. ib. ſeq.

Coagulatio ſanguinis, cauſa malorum funeſtorum. *III.* p. 71. ſeqq.
Conuentus doctorum *IV.* p. 107. vbinam habiti p. 108. ſeqq. quem in finem. ib. p. 112. conuentus hodierni p. 113.
Critica commendatur. *XI.* p. 278. adhibetur in locis quibusdam corruptis p. 279, ſeqq.
Cynicorum philoſophorum victus & habitus *XIII.* p. 314. an ſimul orti cum ſtoicis? p. 315.

D.

Deipnoſophiſtarum conuentus *IV.* p. 109. vbi, & in quem finem habitus fuit, ibid.
Diſcantus vnde ſic dictus? *XVII.* p. 377.
Diſcordia Platonis & Ariſtotelis *XIII.* p. 317.
Diogenes philoſ. IX, 243. ſectator ſtoæ, ib.
Diviſionis & diffiſſionis differentia *XIX.* p. 403. eius indoles p. 407.
Diuiſoriorum inſtrumentorum neceſſitas ib. ſeq. omnis ſine iis notitia, mera eſt ignorantia p. 408. quod probatur 409. eius triplex modus. p. 410.

E.

Epiſcopi, Vaſalli Imperatoris *XV.* 366. & ita ſub imperio p. 368.

F.

Fabulæ & Hiſtoriolæ nihil ad frugem. *XVIII* p. 382.
Fauo-

Fauonius philoſ. *IX.* 254. occiditur. ib.
Fauſtrecht. *VII.* p. 202. eius origo ib. merito ſublatum, ib.
Fœminæ philoſophiæ operam dedere. *XIII.* p. 299.
Frigus actuale cauſatur varia incommoda funeſta, *III.* p. 69.

G.

Gangræna, cauſa perfrigerationis. *III.* p. 73.
Gellius philoſ. Rom. *IX.* p. 259. eius ſingularis induſtria, p. 260.
Germani male olim religioſi *VI.* p. 167. prædones *VI.* p. 179.
Gigantes *VI.* p. 160. origo ib. latrones & athei. ib.
Grotii natiuitas & parentes *XV.* p. 330. ingenium p. 331. ſtudiorum progreſſus, p. 332. honores academici ib. ciuiles p. 333. Syndicus Roterodam. p. 334. ad perpetuos carceres damnatus. p. 335. mire liberatur p. 336. Geſta eius, vitæque caſus p. 338. ſeqq. morbus. p. 340. mors. 341. ſcripta eius p. 344. ſeqq.

Digitized by Google

Hæreſium origo. *XIII.* p. 316.
Heniochorum latrocinia priuata *VI.* p. 176.
Hebr. X. 5. locus eſt obſcurus interpretibus *X.* p. 260. ſeq. cur plerique errent. p. 261. errores recenſentur p. 262. &c. explicatur locus p. 263. ſeq.
Hippoctates artis medicæ Vindex *I.* p. 2. noſtri minus ſequuntur eius monita *III.* p. 49.
Hobbeſii error, de ſtatu naturæ, refutatur. *VII.* p. 192. 204.
Hy. Hirnhaimii typhus gen. hum. *IIX.* p. 209. quis fuerit. 231. ſeqq. quis ſcopus illius tractationis. 233.

I.

Imperatores an ius in Epiſcopos perdiderint? *XVI.* p. 352. negatur ib. probatur, ib. & p. 368. lis inter Papam & Imperatorem in hoc fuit de 3. capitibus p. 354.
Inuentiones Chinæ cum Europa communes. XII. p. 283.
Indiuiduum phyſicum XIX. p. 398. præſuppoſita de eo. p. 399. quid illi contrarietur? ib.
Inueſtitura Impp. ad regimen ſeculare, pertineat XV. p. 360. ſeq. quid ſit. p. 362. cuius auctoritatis p. 366.

Iuri-

Iureconſulti Veteres Peripatetici & Platonici potius, quam Stoici fuere. IX. p. 251. probatur, quia Stoicorum doctrina multa habet, quæ leges evertunt. p. 252.

L.

Latrocinium efferæ gentes glorioſum habuerunt VI. p. 152. Differt a bello, cumprimis iuſto VI. p. 153. Latrocinium Gentis a priuatorum differt. p. 154. diſtinctio eius. p. 155. ſeq. non recens inuentum, ſed ante diluuium extitit. p. 158. Autor eius Cain, p. 159. eiusdem finis malus. p. 173. 175. eſt l. maritimum l. terreſtre. 175. moderatum & crudele p. 177. 179. iuſtum quibusdam viſum. VII. p. 181. glorioſum, p. 183. Deo gratum. p. 184. honeſtum. p. 200. origo. p. 198. Plato iniuſtum cenſet. p. 186. an iuſtum ſit in ſeruos immorigeros? p. 187. an naturæ conueniens, vti Hobbeſius? p. 192. &c. an ex mutuo conſenſu iuſtificari poſſit. p. 195.

Lælius, philoſ. Rom. IX. p. 242. ſapiens vocatur, ibid.

M.

Morbus. *I.* p. 2. immedicabiles Morbi, quinam? ib. differunt pro diuerſitate ſubiectorum; eorundem pericula pro conditione hominis p. *I.* 19. ſeq. probatur exemplis *II.* p. 33.

Motus corporis nimius funeſti abortus cauſa *I.* p. 15.

Mors in vndis Gentilibus inuiſa *V.* p. 116. 126. &c. cur? ib. ratio veriſimilis p. 118. 121. 127.

M. Cato, Stoicus. *IX.* p. 250. tamen Platonem legit. ib. ratio ib.

M. Craſſus peripateticam philoſ. amplexus. *IX.* 247. ratio, quia ea ad ingenium ipſius magis facere viſa eſt. ib.

Muſeum Alexandrinum *IV.* p. 109. quis ad illud admiſſus? p. 110.

Muſices origo in Germ. *XVII.* p. 371. ſeq. incrementum p. 376.

N.

Nigidius Figulus philoſ. *IX.* p. 248. phyſicus diligentiſſimus. ib. an recte de eo Gellius cenſeat? ib.

Nimrod, *VI.* 161. Monarcha primus, tyrannus & latro. ib.

Nordalbingi, Chriſtiani, ſimul etiam latrones. *VI.* p. 172.

O.

Octauius Cæſar Auguſtus, philoſ. *IX.* p. 253. fauor in philoſophos. ib.

P.

Paganinus Gaudentius. *IX.* 237. & 296. iudicium de hoc. p. 238.

Panætius quis? *IX.* p. 241. primus philoſophus Romæ. ib.

Paracelſus Alchimiſta. *XII.* 287.

Perſrigeratio. *III.* p. 51. communis febribus ardentibus, ib. periculoſiſſima p. 53. ſeq. ſignum mortis, p. 55. deliria febrilia comitatur. ib. probatur exemplis p. 57. aliis funeſta, aliis minus. p. 64. eius cauſa & origo. p. 66. 69. ex 71. 73. cui omnino Venarum ſectio noxia. p. 81. item Catharſis p. 92. niſi in aphoniis p. 84. & in hæmorrhagiis. p. 90. ſudorifera quoque certa ei

412. dubitatur. 413. cuius ratio p. 415. ſeq. an hæreticus p. 418. non omnes hæretici, qui tales a Pontificiis habentur ib.
Phlegyæ gentes, athei & latrones. *VI.* p. 167.
Plethora an cauſa abortus *I.* p. 6. negatur p. 8.
Philoſophiæ Romanæ hiſtoria. *IX.* a p. 237. & *XIII.* p. 298.
Philoſophia viguit apud Chriſtianos *XIII.* 309. eius finis. 318. pulchra ſed callida. *XIX.* p. 405. ſeq.
Philoſophi ſuperbi & auari. *XIII.* p. 306. Roma pulſi *IX.* p. 242. rurſus admiſſi. p. 244.
Philo iudæus philoſophus. *IX.* p. 255.
Potus frigidi noxii *III.* p. 69.

Q.

Q. Lucilius Balbus philoſ. Romanus *IX.* p. 249.

R.

Regum ſingularia olim nomina XIV. p. 320.
Rerumpublicarum origo *VI.* p. 162.
Romanæ philoſophiæ origo. *IX.* 239. autor primus p. 241.

S.

Sapientia vera & falſa *IIX.* p. 223. ſeq. via ad veram commonſtratur. p. 229.
Scythiſmus quid? *VI.* p. 163.
Scholarum tanti numeri origo *IIX.* p. 210.
Scholæ peripateticæ. *IX.* p. 243

Seneca

[S]eneca philoſ. *IX.* p. 256,
[S]trepitus in ventre funeſtus. I. p. 3. ſeq. eſt ſignum rupturæ venæ. ib.
[St]udiorum modus peruerſus, cauſa erroris eſt. *IIX.* p. 208. 210. ſciendi deſiderium vanum p. 210. fuit cauſa lapſus. p. 211. ſcientiarum fluxilitas, p. 211. 212. incertitudo. ib. quæ probatur multis 213. earundem ſterilitas p. 218. Doctorum vitia. p. 218.
[Su]lpitius Gallus Rom. philoſophus & aſtronomus *IX.* p. 242.
[S]yluester *II.* Papa, philoſophus, non magus. *XIII.* 313.

T.

[T]artari & Arabes latrones VI. p. 158.
[T]auriſci prædones *VI.* p. 178.
[T]ituli Auguſti origo *XIV.* p. 321. ſeq.
quo titulo Carolus M. vſus p. 326. quis porro eo vſus? p. 328. tit. allezeit mehrer des Reichs origo, eiusque ratio XIV. p. 328.
[T]raianus imperator philoſophus. IX. p. 258.
[T]ransmutationis metallorum cultores XII. p. 285. propagatores 286. qui varii ſunt

Digitized by Google

pitus in ventre eſt ib. eadem funeſta p.15. ſeq. quod detur, probatur p.21. Exemplum quod eadem quoque non noxia I. p.29.
Venæſectio intempeſtiua cauſatur perfrigerationem funeſtam III. p. 66.
Veritas in puteo latet. IIX. p. 206. & noſtro æuo. p. 207. neminem eam poſſidere ib. cuius ratio. p. 208.

X.

Xenarchus, peripateticus, IX. 254. Amicus Arii & Augusti ib.

VA 1
1513353